BREVILOQUIUM
PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE

AD USUM

FRATRUM STUDENTIUM ORDINIS FRANCISCALIUM

REFORMATAE PROVINCIAE GENUENSIS

EX OPERIBUS DIVI BONAVENTURAE

DESUMPTUM

STUDIO ET LABORE

P. BASILII A NEIRONE

LECTORIS S. THEOLOGIAE

ET EIUSDEM PROVINCIAE MINISTRI.

Voi non andate giù per un sentiero
Filosofando; tanto vi trasporta
L'amor dell' apparenza e il suo pensiero.

(DANTE, *Parad.* 29)

GENUAE

EX TYPOGRAPHIA ARCHIEPISCOPALI

1881.

DILECTIS IN CHRISTO FILIIS

ENVER. CLERICIS PHILOSOPHIAE STUDIOSIS

REF. NOSTRAE GENUENSIS PROVINCIAE

En novum christianae philosophiae breviloquium. Novum dico, sed tantum quoad formam, substantialiter enim, maximam redolet antiquitatem. Etenim desumptum fuit ab operibus Magistri nostri D. Bonaventurae Ecclesiae Catholicae Doctoris praestantissimi, qui tam in deliciis semper fuit apud nostros, quam apud Dominicanos D. Angelicus. Sancti enim Bonaventurae doctrinam plurimis illustrarunt lucubrationibus tum Ioannes Pechamus, tum Guilelmus Lamarensis Oxoniae professor celeberrimus, tum Alexander de Alexandria, tum Clemens Dolera Cardinalis ex Provincia Januensi, tum Ioannes de Padula, tum Guilelmus de Falgario, tum Petrus Capullius Episcopus Conversanus, qui, omnium nomine, Seraphicum Doctorem appellavit virum plane divinum, et omnium disciplinarum singularem, quem omnes vere docti observant, et venerantur (1). Innumeri autem fuerunt ex nostris scriptores, qui in eorum libris doctri-

(1) Comment. in 2 sentent. D. Bonav.

nam seraphicam resumpserunt, ornarunt, laudaruntque, quos inter, honoris gratia, sufficiat Bernardinum Senensem, Ioannem a Capistrano, Angelum a Clavasio, Pacificum a Navarra, Michaelem a Mediolano, et Bernardinum de Bustis nominare, nec non subtilem Scotum, qui saepe D. Bonaventuram imitatus est, eiusque adhaesit analysi, ut Deiparam Virginem, a primo conceptionis instanti, ostenderet Immaculatam.

Ast non tantum apud domesticos, verum etiam extraneos, maximi habita est doctrina Seraphica. Hanc enim admirati sunt ex Ordine Praedicatorum; Riccardus Clapoel, Hieronymus Savonarola, S. Antoninus Florentiae Archiepiscopus, Ioannes de Ragusio, Henricus Kalteisen, Ioannes de Turrecremata, Ioannes Baptista de Iudicibus Episcopus Vintimiliensis; hanc Hieronymus de Praga Camaldolenesis; hanc Nicolaus de Iudeschis Ordinis S. Benedicti Abbas ; hanc Alexander de Ancona ex Eremitanis S. Augustini Magister : hanc Martinus monachus Fuldensis; hanc Ambrosius De Spiera Ordinis Servorum S. Mariae Virginis: hanc Card. Bellarminus, Societatis Iesu: hanc denique Ioannes Gersonius Parisiensis Cancellarius, cuius amplissimum testimonium pro omnibus valet. Scripsit enim: « Si quaeratur a me; quis, inter » caeteros Doctores, videatur idoneus ? Respondeo sine » praeiudicio, quod Dominus Bonaventura. Quoniam in » dicendo solidus est, et securus, et pius, et iustus, et » devotus. Praeterea recedit a curiositate quantum po» test, non immiscens positiones extraneas, vel doctri» nas saeculares dialecticas aut physicas, terminis theo» logicis adumbratas, more multorum: sed dum studet » illuminationi intellectus, totum refert ad pietatem, et » religiositatem affectus. Unde factum est, ut ab inde-

» votis scholasticis, quorum, proh dolor! maior est numerus, ipse minus extiterit frequentatus, cum tamen » nulla sublimior, nulla divinior, nulla salubrior atque » suavior sit doctrina (1). Sint alii Doctores qui di» cantur Cherubici, Bonaventura autem verissimo no» mine Seraphicus simul et Cherubicus, quia inflammat » affectum, et erudit intellectum » (2). Post haec, aliquid aliud cuperes gloriosius? Sit tibi testis D. Thomas, qui omnium dotes colligens, et excedens, tum sanctitatem, tum sapientiam sui collegae optimis laudibus celebravit. Sanctitatem: quia prospiciens Francisci filium, acta Patris sui calamo notantem, socio dixit: Sinamus Sanctum laborare pro Sancto. Sapientiam: nam quadam die rogans amicum Bonaventuram, ut patefaceret, quibus libris tantam sibi comparasset scientiam, Bonaventura respondit: ex Crucifixo et Biblia. Quanti ponderis sit hoc testimonium considera. Quis enim interrogat? Divus Thomas, qui velut sol totum illuminat orbem: D. Thomas, qui eloquiis suis, totam docet Ecclesiam: D. Thomas, quem Dominus celebravit dum ait: Bene scripsisti de me Thoma: D. Thomas, quem, Pontifex immortalis Leo XIII, ad omnes scholas extendit catholicas, ut Magistrum et Patronum! Quare interrogavit? Quia profundissimam, altissimam, ac plene coelestem, a Bonaventura doctrinam tradi noverat et mirabatur. D. Thomas mirabatur, ideoque Bonaventuram interrogabat. Utinam hoc suffragium considerarent, qui malo spiritu et ignorantia decepti, etiam inter Sanctos discordias serunt!

(1) In Epist. ad Usualdum Mon., part. I.

(2) In Epist. ad quemdam Minor.

Quod si ad ulteriora foret progrediendum, et alia oporteret inducere testimonia, prope infinita nominaremus. Nominaremus populos, qui Seraphica volumina, latino sermone conscripta propriae linguae reddidere. Hoc enim perfecerunt Itali, Galli, Belgici, Hispani, Germani, Angli, Bulgari quoque et Sinenses, prout demonstrant eius librorum editiones numero plures. Nominaremus collegia, quae sub tanti Magistri praesidio militarunt, quae inter, Duacense recordamur Minoritarum nationis Anglicae, ex quo viri doctissimi prodiere, et quinque ob fidem catholicam martyrio affecti (1), et Minorum Conventualium de Urbe a Sixto V per bullam, quae incipit: *Ineffabilis divinae providentiae altitudo*, Kalendis Ianuarii anni Incarnat. 1587 Romae datam, institutum; ut innumeras Minorum accademias praetereamus silentio, quae sive ex praescripto legum, sive Summorum Pontificum mandato, sententiis Seraphici inhaerent. Nominaremus universitates celebriores, quae constanti ratione, ut Magistrum D. Bonaventuram suspexerunt, cuiusmodi fuerunt Coloniensis, Ingolstadiana, Ossunensis et Valentina, de qua scriptum est: quod singularem cathedram habeat, in qua S. ac Seraphici Doctoris aperitur et defenditur doctrina. Nominaremus concilia; et in Lugdunensi vocem Seraphicam audissetis Graecorum errores condemnare; in Viennensi, turpitudines Fraticellorum, Beguardorum nec non Beguinarum: in Constantiensi, Hussitas et Wiclefitas: in Basileensi, tum de comunione sub utraque specie, tum de corrigendis peccatis publicis, tum de libera praedicatione verbi Dei, tum de civili dominio Clericorum, Bohemorum errores

(1) Fragment. Prov. Angliae oct. pag. 128.

refutare: in Florentino non semel aut bis, sed ter praestantiam eius doctrinae decantari: in Lateranensi quinto immortalitatem animae, tum circa eiusdem in uno quoque homine unitatem eius verbis declarari: in Tridentino eius doctrinam summopere commendari: tandem in Vaticano eius principiis tum rationalistas, tum semirationalistas, tum veteres catholicos profligari, ut videre est, apud Ludovicum a Castroplanio Ordinis Seraphici doctissimum Lectorem. Denique nominaremus Summos Pontifices, videlicet, Clementem IV, Gregorium X, Sixtum IV, et Sixtum V, quorum ultimus in Bulla: *Triumphantis Ierusal.* scripsit: quod D. Bonaventura, ea divini ingenii sui monumenta, posteris reliquit, quibus perdifficiles et multis obscuritatibus involutae quaestiones, magna optimorum argumentorum copia, vi et ordine, enucleate et lucide explicantur, fidei catholicae veritas illustratur, perniciosi errores profligantur, et piae fidelium mentes ad Dei amorem et caelestis patriae desiderium inflammantur. Sed dicta sufficiant. Nobis enim satis abunde est sententia Nostri Ioannis Eckii, magni nominis theologi, hanc comparationem instituentis: « Inter Ecclesiasticos Doctores, quo» rum doctrinae vel scriptis amplius incnmbendum sit, » non potest convenienter definiri sub certa regula: di» versi enim diversis delectantur doctrinis, vel scriptis. » Alii afficiuntur ad speculativa, alii ad practica, alii » ad contemplativa. Alii abundant in vi rationali, alii » in concupiscibili, alii in irascibili. Quae varietas in» venitur inter Doctores ipsos. Nam SS. Augustinus et » Ambrosius abundant in vi rationali: S. Hieronymus » in irascibili: SS. Gregorius et Bernardus in concu» piscibili: moderniores Doctores utputa S. Thomas,

» Alexander Ales, Scotus et alii communiter abun-
» dant in rationali, et ad intellectum excolendum
» satagunt. Porro S. Bonaventura tam in rationali,
» quam concupiscibili abundat, propter quod doctrina
» eius, non inconsone, a religiosis est capessen-
» da (1) ».

Doctrina igitur Seraphica, quam vobis, dilectissimi iuvenes, in hoc Breviloquio offerimus, omne perfectionem et altitudinem pertingit. Summo enim gradu, lucem et ardorem, altitudinem et pietatem, scientiam et charitatem, intellectum et sapientiam complectit. Divus enim Bonaventura in logicis demonstrationibus et concertationibus adeo excelluit, ut iis qui disputationem cum eo suscepissent, difficile esset argumentationum illius aciem effugere, si quando res ita postularet; atque ita studet illuminationi intellectus, ut iudicare non possis, an exponendo sublimior, an facilior, an clarior, an perspicacior, an sive doctis sive insipientibus accomodatior, an disserendo subtilia aptior, an moralia docendo speculabilior fuerit, quo genere, doctrina eius maxime inter caeteros videtur excellere. Et hoc dum Sanctus agit, recedens, ut diximus, a curiositate, nunquam mordax, nunquam detrahens, sed totus suavis est et benignus. Hinc profundus est non verbosus, subtilis non curiosus, disertus non vanus, flammantia non inflantia verba proferens. Et quia profundus est non verbosus, ut egregie scribit F. Noster Fidelis a Fanna, « subtilis non cu-
» riosus, disertus non vanus, flammantia non inflantia
» verba proferens, ideo veluti Seraph, Dei sapientiae,
» quae simplex et unica est propinquior, pauciora quam

(1) Lib. Antiluth., cap. 19.

» alii ad res explicandas verba adhibet, crebriores sen-
» tentias, atque a Deo quantum potest, initium argu-
» mentandi et altissimas rerum petit rationes. Et cum
» a creaturis incipere debet, quantocius potest, lecto-
» rem ad Deum reducit, quia ipse in suis scriptis totus
» est in ostendendo Dei causalitatem et coefficientiam in
» universo, omniumque creaturarum et actionum sub-
» iectionem et habitudinem ad Deum, quem proinde u-
» bique et semper obvium habet. Ac tantam saepe col-
» ligit doctrinam philosophicam vel theologicam in parvo
» opusculo, vel uno operis capite, aut una quaestione,
» quantum alii vix magno volumine, aut integro tra-
» ctatu comprehendere solent. Quamobrem eius doctrina,
» quae, primo intuitu, legenti pauca et obvia comple-
» cti videtur, multa dein et profundissima paucis ac
» summatim perstringere cernitur. Unde quod prius
» fons parvus videbatur, mox crescere prospicitur in
» fluvium eruditionis maximum, et in lucem solem-
» que scientiae et sapientiae converti, atque in a-
» quas plurimas doctrinae salutaris redundare, quae
» mentem pariter et cor hominis maxime foecundant,
» et uberrimos fructus iustitiae et veritatis ferre fa-
» ciunt (1) ». Sed haec antiqua sunt, hodieque parvi valent. Antiqua sunt? Ergo potiora et maiorem exhibent auctoritatem. Doctores enim non garrulitate hodierna, quae etiam librorum titulos ignorat, sed maiorum iudicio permaxime in eorum operibus practico, sunt metiendi. Antiqua sunt? Ergo sunt viva, ergo vera, ergo efficacia. Mors enim nec vivit, nec loquitur, nec operatur. Quid enim? Numquid Bonaventura erat Deus, ut

(1) Ratio novae Collectionis, pag. 14.

posset caecos illuminare invitos, surdisque auditum voluntariis praebere? Numquid veritati imputandum, quod vel ineptis, vel ignavis, vel invidis, vel non legentibus? Si quidem addis, doctrinam Seraphicam hodie minoris aestimari. Ergo nec amplius verum, nec sublime, nec amplissimum est, quod Seraphicus scripsit? Ergo lucerna illa ardens et lucens extincta est, primamque flammam amisit? Sed hae nugae sunt viris philosophis indignae. Doceat te Vincentius Gioberti, qui Seraphici philosophiam Thomae sociatam vocavit perfectam; doceat Antonius Rosmini, qui hominem summum non Italum sed mundi celebravit. Doceant te Benedictus d' Acquisto Siculorum philosophorum princeps, Antoninus Maugeri Catanensis professor, Salvator Scilla inter metaphysicos nostri temporis summus, Minoritae: doceat De Margerie inter Gallos, doceat Balmes inter Hispanos, doceat Augustus Conti inter Italos peritissimus, doceant Germani et Belgae et Angli: doceant Concilii Vaticani Patres: qui omnes vel saepissime ad Bonaventuram appellant, ut difficillimas solvant quaestiones, vel summis laudibus exornant, vel copiosis lucubrationibus commentantur, vel sedulam navant operam, ut in scholis vivissima eius veritatum lumina effulgeant.

Talis doctrina, talis Doctor, tale substantialiter Breviloquium Nostrum. Omnia enim, quae in hoc includuntur, redolent tum doctrinam, tum Doctorem, tum libri eius titulum. Mei enim sola est paupertas, mea imperitia, mei, si qui sunt, errores. Quamquam ne hoc quidem timeam, quia mei parum est, imo quasi nihilum. Tota est igitur, aut ad sententiam, aut frequentius ad verbum, doctrina Seraphica. Hanc igitur sectaminor, optatissimi iuvenes, hanc devote suscipite, hanc attente

perlegite; et quantum vires vestrae patiuntur, diligenter enucleate. Hanc diurna, hanc nocturna versate manu: huic, totis animi nervis, et sedula animadversione studetote, si disciplinis philosophicis proficere vere, et theologicis cum fructu initiari exoptatis. Si enim indubium est, philosophiam in fidem provehere, id exacte huiusce Breviloquii studio certe adsequemini. Nullum enim simile hactenus extat, quod magis doctrinam revelatam oleat, et Clericis Franciscalibus dignius sit; quod si posthabeatis, nullum aliud ex neotericis conspicitis, quod id muneris rite exequatur, cum fere plura, ne dicam omnia, Patrum philosophiam, fideique cum ratione harmoniam praetermittant, atque fide potius quam rationibus philosophicis Deum agnoscant, eo quia sensismo, rationalismo, semirationalismo, pantheismo tabida, in veram et claram divinitatis ideam sustolli scientifice nequeunt. Iis propterea illud Pauli ad philosophos Areopagi quadrat: Quod Deus tempora huius ignorantiae despiciens, viros nobis e pulvere scholasticorum suscitaverit per magisterium Summi Pontificis infallibile, videlicet D. Bonaventuram et Thomam, veritatibus vere divinis homines erudituros, eosque de sensuum illecebris, mentisque arrogantia, quibus fascinabantur et superbe intumescebant, erepturos.

Macti igitur animo, iuvenes studiosissimi, omnigenis curis promovetote, ut in praesenti scientiarum rationalium pravitate, veritates ediscatis hoc Breviloquio insertas. Veniet enim tempus pugnae vestrae, et secure pugnare poteritis, ubi de victoria securi sitis. O vere tuta, cum Christo veritate et pro Christo veritate, pugna, in qua nec vulnerati, nec prostrati, nec conculcati, nec millies, si fieri posset, occisi, fraudabimini a

veritatis victoria, tantum ut a veritate non fugiatis. Sola causa, qua perdere poteritis victoriam, a veritate fuga est. Fugiendo poteritis illam amittere, moriendo non poteritis. Beati si pugnando moriemini, quia mortui coronabimini mox. Vae autem, si declinando pugnam, perditis et victoriam simul et coronam. Tam inflagranti veritatis amore succensi sperandum erit copiosam studiorum vestrorum segetem germinaturam fore in Ordinis Nostri et Provinciae decorem, in scientiae incrementum, in Religionis gloriam, solatiumque humanae societatis, quae nil fortius desiderat et praestolatur quam veritatem, quae mentes scientiarum percupidas impleat et satiet, cuius plena consecutione, tota instauratur familia, illuminatur schola, sodalitia eriguntur, spiritus saginantur, et in Deum trajiciuntur. Faxit hoc nobis, quia si multa dicimus, deficimus verbis, consummator omnium sermonum Dominus Noster Iesus Christus, cui innumeras gratias ago, quia mihi lumen praebuit, ad hoc misellum opusculum ideandum, miseratus paupertatem scientiae et ingenii mei.

Opto ut in Christo valeatis, et in eius amore semper proficiatis.

PROEMIUM.

DE DEFINITIONE, UTILITATE, PARTITIONE, ET HISTORIA PHILOSOPHIAE.

1. *Q.* Quid sit philosophia?

R. Philosophia, cuius nomen a vocabulis graecis φιλος et σοφία desumitur, est scientia sapida rerum omnium per altiores causas ordinis naturalis. Dicitur *scientia sapida,* quia, ut ait Divus Bonaventura, scentia est ex cognitione veri, sapien- ex adiuncto amore boni (1). Insuper dicitur *rerum omnium*, quia agit de mundo, de homine, de Deo. Tertio *per altiores causas,* quia aliae scientiae pro obiecto habent mundum et hominem, sed ea non perscrutantur altioribus causis, sed proximis. Quarto *ordinis naturalis:* et his verbis distinguitur philosophia a theologia. Ista enim respicit illud triplex obiectum, sed in lumine supernaturali, illa in ordine naturali. Hinc patet philosophiam distinctam esse, tum ab aliis scientiis naturalibus, tum a theologicis disciplinis; et quamquam sit princeps et regina omnium scientiarum naturalium, utpote suffundata principia praebens, tamen quoad theologiam nihil est nisi ancilla, tum ratione obiecti, tum luminis.

2. *Q.* Quot sint columnae philosophiae christianae?

R. Ex spiritu Divi Bonaventurae magistri nostri, sunt septem. Prima columna, per quam stabilitur philosophia christiana, est pudicitia in carne. In malevolam enim animam non

(1) *De profectu religiosorum lib. 11, cap. 72.*

intrabit scientia sapida, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Castitas et humilitas sunt pedissequae bonae philosophiae. Si vis me, quae sum philosophia, serva pedissequas meas. Serva humilitatem, quia sine hac internorum non est cognitio defectuum. Unde in fronte Apollinis scriptum erat: Recognosce te ipsum, quia sine hoc impossibile est devenire ad philosophiam. Unde quanto philosophus plus proficit, tanto plus se despicit. Unde malus mercator est qui se decipit; quod facit qui se appretiatur plus quam valet; sed alios appretiari, et se despicere, hoc est principalissimum studium philosophiae, ut sibi persuadeat homo suos defectus, et fiat humilis in oculis suis. Serva castitatem. Qui enim luxuriose vivunt non vident lucem; vinum et mulieres faciunt apostatare sapientes.

Secunda philosophiae columna est simplex innocentia sive pax. Pax enim rerum omnium est tranquillitas ordinis. Et sine tranquillitate non est studium; sine studio non est scientia. Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bonis studiis operationem suam. Quae operatio est in castigatione passionum facile excedentium. Puer enim, quando nimis clamat, compescitur; sic homo censura quadam iudiciali debet domare et restringere huiusmodi passiones, ut quando venit dolor dicatur: Sta in pace, et sic de aliis; et praesertim debet deserere principales et pueriles affectiones. Pueri enim insectatores sunt passionum. Maledictus enim puer centum annorum.

Tertia columna philosophiae christianae est modestia. Quia hac virtute caruerunt philosophi, plus ad errores quam ad veritatem progressi sunt. Tanta est connexio inter philosophiam et modestiam, quod minus sapiens, si modestus fuerit, sapiens reputabitur. Quid ergo gloriaris? Qui nescis, per scientiam tuam, nec infirmitatem tuam, nec eius causam, nec medicum, nec medicinam? Quotquot fuerunt philosophi, sine modestia, habuerunt pennas struthionum, quia affectus non erant sanati, nec ordinati, nec rectificati.

Quarta columna philosophiae christianae est suadibilitas in affectu, scilicet bonis consentiens. Sicut margarita in corona ornat faciem, sic amor et verbum bonum ornat philosophum. Tanto enim magis philosophus, quanto magis boni amator et veri.

Quinta columna est liberalitas in effectu. Philosophus enim non sibi solum esse debet, sed Deo, Fratribus, Religioni, Ecclesiae, quia est veritati. Sicut animarum zelus procedit a convinctione veritatis, ita non curare gloriam Dei, proprium est ignavorum et ignorantium.

Sexta columna philosophiae christianae est maturitas in iudicio. Sine enim rectitudinis aequitate nullus est verus philosophus. Homo solus, qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum, et omnem errorem intuitu suo. Iratus Plato, suspenso flagello, non praesumpsit iudicare servum. Si causam nescis, quid iudicas? Amici Iob arguebant eum dicentes: « Deus iustum non punit, te autem punit, ergo tu non es iustus ». Iob respondebat: « Convertimini ad me omnes et venite, et non inveniam in vobis ullum sapientem ».

Septima columna philosophiae christianae est simplicitas in intentione, sive sanctitas simplicitatis. Hac columna coeli culmen attingitur, propter quod dicitur: quae sursum sunt sapite. Quid habet amplius stulto sapiens, nisi ut pergat illuc, ubi est vita? Huius philosophiae Christus fuit fundator et consumator. Fundamentum alterum nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus; et in Christo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (1).

3. *Q.* Quid prosit philosophia?

R. Philosophia prodest scientiis, tum speculativis, quia notionem veri generaliorem suppeditat, tum practicis, quia praebet ordinis et boni, naturaeque entium dirigendorum cognitionem. Prodest homini tum privato, tum publico, et in statu

(1) In *Haexamerone* passim.

sociali considerato, quia primi facultates promovet et perficit, et secundo genuinum ordinis societatumque constitutionis conceptum affert. Prodest religioni, quia impiorum diluit sophismata, demonstrat praeambula fidei, et promovet aptitudinem naturalem ad fidem accipiendam. Ad rem noster Seraphicus Doctor: « Cum multi sint qui fidem nostram impugnant, atque » rationem de ea poscunt, utile et congruum videtur per ra- » tionem eam astruere et modo inquisitorio et ratiocinando » procedere.... Modus procedendi perscrutativus atque inquisi- » tivus convenit huic doctrinae (theologicae), quippe qui ini- » tiantes ad fidem promovet, infirmos fovet, perfectosque con- » solidat. Nihil enim libentius intelligimus, quam quod fide » iam credimus (1) ».

4. *Q.* Quot sint partes philosophiae?

R. Sunt tres, quas, ut docet doctor Seraphicus, philosophi non invenerunt ut essent, sed quia iam secundum veritatem essent, omnino adverterunt. Est enim *veritas morum*, *veritas signorum* seu *vocum*, et *veritas rerum* (2). Nunc ex veritate rerum oritur *metaphysica*, ex veritate morum oritur *ethica*, ex veritate vocum oritur *logica*.

5. *Q.* Quaenam sit origo, et evolutiones praecipuae philosophiae christianae?

R. Nomine philosophiae christianae, ut ex enunciatis liquet, illa veritatum de Deo, de homine, de mundo series intelligitur, quam homo acquirere potest sua propria ratione, lumine divinae revelationis primitus a Deo, instructa. Homo enim naturaliter est philosophus, quia ad rerum cognitiones per causas devenire potest. Quae possibilitas, factum evasit ex clementissima Dei bonitate. Deus enim homini non defuit in cognitionibus, tum ad propriam perfectionem, tum ad prolem rite edocendam, necessariis. Huic philosophiae non parum pro-

(1) I. Sent., quaest. 2 in pro.

(2) *Haexameron.* serm. 4.

fuerunt veteres Indiae, et Sinensium sapientes et nonnulli alii ex Aegyptiis et Caldeis, quorum principes extiterunt ex orthodoxis Indis Diaymini, ex semiorthodoxis Patandiali, ex eterodoxis Chanada, ex Sinensibus Lao-tseu, Confucius; ex Persis Zoroaster, inter Caldeos Berosus; inter Aegyptios Trismegistus, quoad Phoenices Sanchoniaton, docentes inter multos pantheismi et emanatismi errores, tum Deum esse unicum, et Creatorem, universique administratorem, tum animam, origine coelestem, esse spiritualem, et immortalem.

Ex horum philosophorum scholis, non pauca delibarunt Ionici, quorum fundator fuit Tales; Italici, quibus initium dedit Pithagoras: Eleathici, quorum magister fuit Xenofanes, cum magna discipulorum turba, nempe Parmenidis, Zenonis Eleatae, Leucippi et Democriti: tum Sophistae, inter quos celeberrimi fuerunt Protagoras et Gorgias; qui omnes licet in vanas disputationes prolapsi sint, aliquid tamen veri, philosophiae perenni contulerunt, eo quod ineptias et fabulas praecedentium doctrinarum detexerunt, magisque errores patefecerunt.

Sed perennitati philosophiae christianae nulli melius servierunt quam Socrates, Plato et discipulus eius Aristoteles. Socrates enim diversas sortitus est scholas; Cyrenaicam ab Aristippo voluptuosam, Megaricam ab Euclide dialecticam; Elyacam a Phoedone satis iurgiosam, Cynicam ab Antisthene moribus corripiendis severe addictam, Scepticam a Pyrone qui dubium universale, Epicuraicam ab Epicuro, qui morum infamiam suis doctrinis undique per Graeciam invexit, academicam a Platone nimis idealem, peripatheticam ab Aristotele subtiliter analyticam. Hae omnes scholae quamquam in turpissimos errores contra legem naturalem et Deum lapsae sint, et perversissimam morum doctrinam, in quibusdam libris inculcarint, tamen Deum, fontem moralitatis ab universi concordia et unitate manifestatum obiectum obsequii nostri cognoscebant, solum esse bonum quod honestum, aliquando praedicabant, finem scientiae esse nos Deo assimilari, docebant.

Huius veritatis exstant, ut praeclarissima monumenta, tum Platonis, tum Aristotelis ingeniosissima opera. Plato enim fama nominis et philosophiae laude tam antecellit, ut eius doctrina in suis libris exposita Phoedonis, Teletes, Sophystae, Eutidemi, Legum, Reipublicae, Timei, Eutiphronis Cratili et Philebi, a patribus Ecclesiae maxime Augustino et Divo Bonaventura, plurimi habita fuerit et, erroribus remotis, acceptata. Aristoteles ab Aligherio, omnium sapientium magister vocatus, philosophiam distribuit in theoreticam et practicam; et theoreticae, quam in physicam et metaphysicam dividit, addit, tamquam instrumentum, logicam. Practica autem dividitur a Stagyrita in Ethicam, Politicam et Oeconomicam; quae philosophandi ratio, cum sit omnium accuratissima, plurimi a christianis sapientibus facta est. Sed philosophia ex Graecia Romam venit; et Romani, peculiarem scholam non instituerunt, sed Graecis addicti, alii Accademiam, alii Peripatum, alii Stoicos, alii Epicureos sectati sunt. Epicureae philosophiae nomen celeberrimum dedit Lucretius, Stoicorum placitis iuvit Seneca et Epitectus; Aristoteli Platonique sociatus fuit Cicero, illosque splendide exornavit pereleganti sermone, quo adeo pollebat. Ad hos pertinet Sextus Empiricus, qui scepticismum formaliter professus est.

Ast philosophia maxime viguit et floruit, quando Christi Religio populis promulgata fuit. Haec enim religio, e coelo descendens, omnes supergressa est limites, divinoque suffusa lumine, super omnia philosophica inventa quam maxime eminet. Maxima in hoc campo radiant luce, tum Graeci tum Latini Patres. Pertinent ad primos, profligatores scholae eccleticae Alexandrinae a Potamone, Plotino et Porfirio inductae, tum Parthenus, tum Clemens Alexandrinus, Origenes et Athenagoras, Athanasius, Basilius, Gregorius Nissenus, Nazianzenus, Ioannes Chrysostomus, et Ioannes Damascenus, aliique plurimi minoris momenti. Ad secundos autem scilicet Latinos, adscribi volunt, Iustinus, Tatianus, Irenaeus, Tertullianus, Arnobius,

Lactantius, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, quorum praeclarissimum agmen a Boethio, Cassiodoro et Vincentio Lyrinensi concluditur.

Sed altera philosophiae christiane aperitur epocha, post irrequietum barbarorum incursum, in coenobiorum scholis, quae propterea scholastica nominatur. Sub hac epocha, ad talem perfectionis apicem pervenit, ut a tali acumine postea minime excreverit. Temporibus enim istis, relictis minoris famae philosophis Alcuino, Rabano Mauro, ac Scoto Erigena, qui pantheismum excitavit, Rochellino qui nominalismum, Guilelmo Campellano qui realismum, Abeillardo qui conceptualismum, evulgarunt, floruerunt Lanfrancus, Anselmus, et Petrus Lombardus, qui primi fidem ad scientiam evehere adnixi sunt. In summam autem perfectionem perducta est philosophia christiana ab Alexandro Alensi, a Divo Bonaventura, a Ioanne Scoto, a Bacone Ruggerio ex nostris; ab Alberto Magno, a Divo Thoma, ab Aegidio Columna, ex Ordine Praedicatorum, qui omnes, plus minusve, tanta rationum foecunditate, tanta distinctionum claritate, tanto evolutionis scientificae progressu innotuerunt, ut principum philosophiae christianae nomen consequerentur.

Sed iam ad ultimam philosophiae christianae epocham est accedendum. In hac aetate, nonnulli contra scholasticam aliquid novitatis intulerunt; nonnulli eam, aperta fronte adorti sunt; nonnulli tandem eam de imperio eiecerunt, et in perniciosam adduxerunt oblivionem. Inter primos adnumerandi sunt Raimundus Lullus et Laurentius Valla, qui methodo diversa eversionem scholasticae praepararunt. Secundae classis sunt Ioannes Bruno, Cardano, Campanella, Bernardus Telesio, et multi alii, qui relictis scholasticis, potius deliramenta quam veram philosophiam ediderunt. Ad tertiam revocandi sunt Descartes, Bacone a Verulamio, Lock, Mallebranche, Leibnitz, Hobbes, Bayle, Huet, Berkeley, Humé, Condillac, Reid; qui materialismum, naturalismum, rationalismum, idealismum,

scepticismum, dualismum, per omnem philosophiae campum, induxerunt. Contra hos, hac nostra aetate, in Germania exorta est alia secta, praecedentibus longe perniciosior, quae, duce Kant et eius discipulis Fichte, Schelling et Hegel, potiusquam veteres conterere errores, in alios peiores dilapsa est. Quod autem apud Germanos idem fuit in Gallia et inter paucos Italos nostros, qui scholasticam repudiarunt. Grassantur quam latissime, etiam nunc, perniciosi errores ac pestilentes tum Rousseau, tum Voltaire, nec non De Lamenais, Leroux, Fourrier, Cousin, Littré, Comte, ut nihil dicamus de nostris Iosepho Ferrari, Ausonio Franchi, Bertini, eiusdemque furfuris aliis; qui omnes vel pantheismum, vel sensismum, vel criticismum, sive scepticismum et idealismum redolent. Sed contra omnes impugnatores, philosophiam christianam servarunt firme, ac valide tuiti sunt catholici philosophi, inter quos referre sufficiat elapsae aetatis Card. D'Aguire, Bossuet, Fenélon, Pascal, Salmanticenses, Frassen, I. B. Vico; et nostrae aetatis De-Maistre, Ozanam, Nicolas, Maret, Donosum Cortes, Card. Gerdil, Galuppi, Debonald, Gioberti, Balmes, Sanseverino, D'Aquisto, Romano, Liberatore, Taparelli, Antonium Rosmini, Ioachinum Venturam, Augustum Conti, ingenii acumine et eruditionis copia praeclarissimos. Isti enim philosophiae scholasticae plus minusve faventes, ad veritatem revelatam et ad traditiones scientiae perennis animos revocarunt, eiusque dominium in omnes scientias conclamarunt, ancillamque theologiae reddiderunt. Hisce autem tantorum virorum conatibus, fausta erit felixque finis, si nostra aetas, tantis exagitata erroribus, doctissimo Pontifici Leoni XIII scholasticam doctrinam, speciatimque Divi Thomae et Sancti Bonaventurae proferenti, lubenti constantique animo adhaerebit.

PRIMA PARS PHILOSOPHIAE

DE VERITATE SIGNORUM

LOGICA.

6. *Q.* Quid sit logica?

R. Logica est scientia ratiocinationis. Dicitur scientia non vero ars, quia proprium est scientiae colligere naturam et affectiones rei ex principiis internis eiusdem; sed logica, ex principiis, quae ratiocinationem constituunt, colligit quomodo ratiocinia componenda sint, ut liceat progredi ex noto ad ignotum. Ergo logica est scientia. Dicitur ratiocinationis, quia finis logicae est mentem dirigere in scientiis ad verum sine errore, facili certoque ordine. Atqui mens nostra in scientiis assequitur verum ope ratiocinationis. Ergo ratiocinatio est obiectum logicae. Hinc liquido patet logicam ab obiectis reliquarum scientiarum distingui; nam logica modum conficiendi ratiocinia tradit, non vero conficit syllogismos, quorum ope, quaelibet scientia circa propriam materiam assequitur verum.

7. *Q.* Quotuplex sit logica?

R. Logica duplex est, scientifica, et naturalis. Prima est scientia ratiocinationis, secunda est dispositio animis insita, per quam recte facultatibus ad verum destinatis utimur.

8. *Q.* Quomodo dividatur logica scientifica?

R. Logica scientifica dividitur in formalem, et criticam.

LOGICA FORMALIS.

9. *Q.* Quid sit logica formalis?

R. Logica formalis, quae etiam dialectica dici solet, est pars disputativa logicae, quae dividitur in quatuor capita, prout respicit aut simplicem apprehensionem, aut iudicium, aut ratiocinium, aut methodum.

CAPUT I.

DE SIMPLICI APPREHENSIONE.

10. *Q.* Quid sit simplex apprehensio?

R. Per simplicem apprehensionem intelligitur ea intellectus operatio, qua aliquod obiectum mere percipitur: v. g. cognosco hominem.

11. *Q.* Quisnam sit effectus apprehensionis?

R. Effectus apprehensionis est conceptus sive idea, sive intuitus, et hic a simplici apprehensione distinguitur, sicut actio a re effecta.

12. *Q.* Quid sit conceptus?

R. Conceptus est similitudo obiecti in mente existens, vel cum D. Bonaventura, est similitudo rei cognitae (1).

13. *Q.* Quaenam differentia sit inter conceptum et phantasma?

R. Differentia inter conceptum et phantasma in hoc est, quod phantasma semper aliquid individuale exhibet, dum conceptus abstrahit ab omni individuali conditione. Sed est altera differentia. Conceptus enim obiectum scientiarum constituit, non phantasma: conceptus enim abstrahit ab omni individuatione, ac proinde praesefert quid immutabile. Hinc effatum scholae: — Scientia non est de concretis, sed de abstractis.

(1) I. Sent. D. 35.

14. *Q.* Quotuplex sit conceptus?

R. Conceptus ex parte modi dividi potest: Primo, in clarum et obscurum, prout obiectum ab aliis distinguit vel non. Secundo, in distinctum et confusum, prout notas praecipuas obiecti secernit vel non. Tertio, in completum et incompletum, qui primo modo est, si omnes notas praecipuas obiecti cogniti enumerat; secundo modo se haberet, si omnes notas non enumeraret. Quarto, in adaequatum et inadaequatum. Conspicis non tantum omnes notas priores et essentiales obiecti, sed etiam secundarias et accidentales? Habes ideam adaequatam. Inadaequata est, si tua mens haec omnia non contuetur. Quinto, idea potest esse comprehensiva, et apprehensiva. Est comprehensiva, quando rem repraesentat quantum repraesentari potest, scilicet secundum totam eius intelligibilitatem; est apprehensiva, si rem quomodocumque repraesentat. Ex parte obiecti conceptus est realis, quando obiectum reale repraesentat, logicus, si tantum in mente existentiam habet. Hi conceptus dicuntur etiam primae et secundae intentionis, v. g. lapis, arbor erit primae; praedicatum, species, differentia, erit secundae exemplum. Denique conceptus dividitur in positivum et negativum, in concretum et abstractum, in simplicem et compositum, in communem et proprium, prout sunt obiecta a mente concepta.

15. *Q.* Quid sit comprehensio?

R. Comprehensio est complexio notarum, quibus constituitur conceptus.

16. *Q.* Quid extensio?

R. Extensio est amplitudo conceptus in pluribus vel paucioribus individuis repraesentandis, v. g. animalitas et rationalitas efformantes ideam hominis, comprehensionem constituunt; ordo eiusdem ideae ad omnes homines, vocatur extensio.

17. *Q.* Quid sit signum et quotuplex?

R. Signum, ut verbis utamur S. Augustini, « est res praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud faciens in

» cogitationem venire ». — Hoc potest esse vel conventionale vel naturale, prout ex natura, aut ex pacto hominum rem significat.

18. *Q.* Quot sint signa, quibus homines invicem cogitationes suas communicant?

R. Tria sunt; nempe gestus, voces et scriptura. Gestus est motus corporis ad animi cogitationes patefaciendas comparatus. Vox est sonus articulatus, ad animi cogitationes exprimendas, institutus. Tandem scriptura est complexio signorum permanentium, quibus homo aliis, qui ab eo distant tempore vel loco, conceptus suos manifestat.

19. *Q.* Quotuplex sit scriptura?

R. Scriptura est alphabetica, si per litteras alphabeti ideas exprimit; est phonetica, si denotat voces; est ideographica, si significat ideas, quae potest esse vel figurata, cuiusmodi est pictura, vel symbolica, cuiusmodi est illa, qua innocentia per columbam, vel feracitas per spicam demonstratur.

20. *Q.* Quid tibi videatur de origine sermonis?

R. Origo sermonis est a Deo. Sententia enim rationalistarum, qui contendunt sermonem sponte sua exsurexisse omnino absurda est. Primo, quia si sermo sponte sua in nobis oriretur non tantum unius labii omnes homines essent, sed ne ulla quidem disciplina indigerent ad sermocinandum, qua reapse indigere nemo diffitetur. Secundo, quia firmum ratumque est, hominem non loqui priusquam alios loquentes audiat. Tertio, quia primus homo, utpote non solum auctor sed institutor generis humani, a Deo constitui debuit aetate perfecta, iisque omnibus instructus, quae ad aliorum instructionem et gubernationem pertinent, ideoque etiam sermone, cuius longe maior necessitas ingruebat. Ad rem: Divus Thomas (1): « Si» gnificare conceptus suos est homini naturale, sed determi-

(1) Secunda secundae, quaest. 85, art. 1.

» natio signorum est ad placitum ». Quam veritatem perbelle cecinit Aligherius his versibus:

Opera naturale è che uom favella;
Ma, così o così, natura lascia
Poi fare a voi secondo che v' abbella (1).

21. *Q.* Quid et quomodo dividatur terminus vocalis?

R. Terminus, qui a nostris auctoribus definitur, extremum propositionis, dividitur secundum vim significandi, in univocum, quando nomen pluribus communiter attribuitur secundum propriam significationem, v. g. animal, quod homini et bruto convenit; in aequivocum, quia de pluribus secundum diversa signicationem enunciatur, ex. g. canis, quo et canis coelestis et marinus denotantur; in analogum, si datur pluribus, quia in eis est aliqua ratio, ex qua illud commune nomen accipiunt: sic sanitas, tribuitur corpori, medicinae, pulsui.

Dividitur etiam terminus in vagum et fixum, prout fixam vel vagam habet significationem, v. g. templum, natura. Quando autem se solo aliquid significat ut Deus, homo, dicitur significativus; consignificativus appellatur si expostulet consortium alterius termini ad aliquid significandum, v. g. aliquis, nullus.

Ratione obiecti, termini dividuntur in abstractos et concretos, in simplices et compositos, in connotativos et absolutos. Concretus est, qui significat formam cum concernentia ad subiectum, v. g. parvus homo. Abstractus est, qui significat formam sine concernentia ad aliud, v. g. albedo, humanitas. Est simplex, si unico vocabulo, complexus, si pluribus constat, v. g. homo, philosophia. Si notat terminum, quocum perfecte significat et sine quo perfecte non significat, dicitur connotativus; absolutus autem quando se solo est perfecte significativus, v. g. Deus, homo.

(1) Parad. 26.

Quoad extensionem terminus dividitur in proprium, et communem. Est proprius qui individuum aliquod per notas individuales ipsique proprias significat, v. g. Odoricus, Adulphus; est communis, quando de pluribus, per notas communes, aliquid dicit ex. g.: homo, mater. Terminus autem communis, si dicitur de omnibus individuis, quibus est applicabilis, est universalis; si ad quaedam tantum, particularis; si ad unum dumtaxat, singularis. Terminus potest adhuc dividi in collectivum et distributivum, prout colligit vel distribuit plura, ex. g.: exercitus, miles.

22. *Q.* Quaenam sint proprietates termini?

R. Omissis inutilibus et ab usu remotis, ad quinque revocantur termini proprietates. Prima est suppositio, quae est usus termini pro re aliqua, v. g. philosophia etc. Secunda est ampliatio, qua extenditur terminus a minori ad maiorem significationem: v. g. mansueti haereditabunt terram, Odoricus peccavit. Tertia est distractio, qua accipitur terminus ad significandum pro alio tempore: ex. g. caeci vident. Quarta est appellatio, qua applicatur notio per unum terminum significata ad rem significatam per alium terminum, ex. g. sapiens architectus. Quinta est restrictio, quae est coarctatio termini principalis, ope termini incidentis, a maiori significatione ad minorem, v. g. omnis doctus est dignus praemio.

CAPUT II.

DE IUDICIO.

23. *Q.* Quid sit iudicium?

R. Iudicium est actus mentis, quo comparantur inter se et colligantur duae ideae, ex. g. homo est animal. Ex quo exemplo claret tribus elementis quodlibet iudicium constare, nempe subiecto, praedicato et copula. Subiectum est id cum quo aliquid coniungitur, aut ab eo separatur; praedicatum est id quod con-

iungitur subiecto aut separatur, copula autem est vinculum, quo praedicatum cum subiecto coniungitur, vel ab eo separatur.

24. *Q.* Quotuplex sit iudicium?

R. Iudicium potest esse vel a priori vel a posteriori. Iudicium a priori dicitur analyticum; a posteriori, syntheticum. Analyticum est illud cuius oppositum intelligitur esse impossibile, v. g. circulus non est quadratus. Syntheticum dicitur illud cuius oppositum intelligitur esse possibile, v. g. Petrus est dives. Insuper iudicia possunt esse mediata vel immediata prout indigent inductione vel non. Analytica immediata sunt semper axiomata, dum synthetica hoc carent privilegio, quod tamen, inductionis ope, adipisci possunt.

25. *Q.* Quid sit propositio?

R. Propositio, quae ut signum iudicii habetur, definitur a Scoto nostro: oratio iudicativa unius de alio, sive actus qui aliquid de aliquo affirmat vel negat.

26. *Q.* Quid et quot sint praedicamenta propositionis?

R. Praedicamenta, quae nihil aliud sunt quam supremae notiones, decem adnumerantur, nempe, primo, substantia (ut homo); secundo, quantitas (ut quinque); tertio, qualitas (ut bonus); quarto, relatio (ut pater, servus); quinto, actio (ut ardor, amor); sexto, passio (ut moveri, comburi); septimo, ubi? (ut platea, gymnasium); octavo, quando (ut heri, hodie); nono, quo in situ (ut sedere, cubare); decimo, habitus (ut purpura indutus). Haec omnia his versiculis comprehenduntur:

Arbor, sex, servos, ardore, refrigerat, ustos
Ruri, cras, stabo, sed tunicatus ero.

27. *Q.* Quomodo definiantur?

R. Primo, substantia est ens per se stans et esse potest prima vel secunda, v. g. hic homo, pertinet ad primam; homo in genere ad secundam.

Secundo, quantitas est positio partium extra partes, et est continua vel discreta. Si non habet limites proprios vocatur

continua, v. g. linea, baculus; si partes coniunctae non sunt, dicitur discreta, v. g. acervus lapidum.

Tertio, qualitas est quidquid substantiae adiicitur, ex. g. homo est bonus.

Quarto, relatio est necessitas ad aliquid.

Quinto, actio est mutatio, quae fit a causa activitatem suam exercente.

Sexto, passio est mutatio, quae in aliquo subiecto recipitur.

Septimo, ubi? est determinatio ad locum.

Octavo, quando? est determinatio ad tempus.

Nono, situs est dispositio partium in loco.

Decimo, habitus est denominatio deprompta ex quolibet tegumento corporis vel rei.

28. *Q.* Quae et quot sint universalia et transcendentalia?

R. Transcendentalia quae de omnibus entibus non tamen univoce affirmari possunt, sunt sex: Ens, Res, Aliquid, Unum, Verum, Bonum; Universalia autem, quae de pluribus non de omnibus, numero quinque sunt: Genus, Species, Differentia, Proprium et Accidens.

29. *Q.* Quomodo definiantur universalia?

R. Primo, genus est id, quod de pluribus speciebus affirmari potest tamquam aliquid ipsis commune, et dicitur pars determinabilis essentiae. Talis est notio animalis quoad hominem.

Secundo, species est ratio, quae constituit essentiam communem plurium individuorum. Talis est, hominis ratio.

Tertio, differentia, quae dicitur determinans, est id, per quod una species ab aliis speciebus discriminatur, quae sunt eiusdem generis.

Quarto, proprium est id, quod pluribus competit tamquam necessario dimanans ab eorum essentia, ex. g. loquela, risus sunt propria hominis.

Quinto, accidens est id quod pluribus competere potest, ita ut possit esse vel abesse, salva eorum essentia, ut scientia in homine. Ex dictis patet, genus magis patere quam species

30 *Q*. Quotuplex sit genus?

R. Genus triplex est: Supremum, Proximum, et Intermedium. Supremum est quod sub alio superiori non continetur, v. g. substantia. Proximum est quod infra se non genus, sed species tantum habet, v. g. animal, respectu hominis. Intermedium, quod inter supremum et infimum continetur, appellatur, ex. g. vivens. Quae constituunt speciem sunt genus proximum et differentia proxima, quae dicitur ultima.

31. *Q*. Utrum sint alia universalia, praeter haec quinque?

R. Non sunt alia; quia omnia quae pertinent ad essentiam habent rationem aut generis aut speciei aut differentiae; quae autem ad essentiam non pertinent, proprii vel accidentis rationem induunt.

32. *Q*. Quomodo dividantur propositiones?

R. Propositiones quadrifariam dividuntur.

Primo, ratione materiae proximae, propositio est necessaria, si praedicatum necessario adnectitur subiecto, ut spiritus immaterialis; est impossibilis, si repugnat, ut circulus quadratus; contingens, si ad arbitrium tribuitur, ut homo veridicus. Ratione materiae remotae, propositio potest esse simplex, si unico subiecto et praedicato, composita, si pluribus constat. Composita autem potest esse vel conditionalis, si per particulam *si*, vel copulativa si per *et*, vel disiunctiva si per *vel*, vel causalis si per *propter*, prout termini, vel conditionate, vel copulative, vel disiunctive, vel causaliter coniunguntur.

Secundo, ratione formae est affirmativa vel negativa, prout copula afficitur particula affirmante vel negante. Ex his eruitur, negativam propositionem praedicatum semper habere universale, quia universim attributum a subiecto removet. In affirmativa vero praedicatum est plerumque particulare.

Tertio, ratione extensionis dividitur propositio in universalem, si sumitur subiectum iuxta totam extensionem; in particularem, si iuxta partem tantum; in communem vel inde-

finitam, si sine particula determinante; in singularem, si singularem individuum denotat.

Nota tamen quod extensio propositionis a subiecto determinatur. Nam tantum patet propositio, quantum subiectum.


Quarto tandem propositiones dividuntur ratione modi in modales, quae declarant modum, quo attributum convenit subiecto, in exponibiles si indigent explicatione. Quae explicatio potest esse vel exclusiva, vel exceptiva, vel reduplicativa, prout respectivae particulae *tantum*, *praeter*, *quatenus*, admiscentur. Ultimo, ex relatione signi ad rem significatam, propositio vera vel falsa esse potest.

33. *Q.* Quot sint propositionum proprietates?

R. Sunt tres: oppositio, aequipollentia et conversio.

34. *Q.* Quid sit et quotuplex oppositio, et quibus principiis regatur?

R. Oppositio est repugnantia inter duas propositiones eodem subiecto et praedicato constantes. Quae repugnantia esse potest quantitate, et propositiones dicuntur subalternae. Si qualitate solum discrepant, vel sunt universales vel particulares; si primo, dicuntur contrariae; si secundo, subcontrariae vocitantur. Quando simul quantitate et qualitate repugnant, appellantur contradictoriae. Hinc exurgunt quatuor oppositionis genera; haec omnia ex inspectione sequentis schematis clariora fient.



Principia, quibus reguntur propositionis species, sunt quatuor.

Primo, subalternae possunt esse simul falsae et simul verae; si vera est universalis, etiam particularis, quia in illa continetur. Si autem falsa esset universalis, particularis potest esse vera. Quando autem particularis est falsa, evadit falsa universalis; sed si vera est particularis, nil sequitur quoad veritatem aut falsitatem universalis.

Secundo, contradictoriae non possunt esse simul verae, et simul falsae; nam quod affirmatur in una, negatur in altera; et nihil potest esse simul et non esse.

Tertio, propositiones contrariae possunt esse simul falsae, sed non possunt esse simul verae; simul falsae quia evenire potest ut utraque pars sit excludenda; non autem possunt esse simul verae; nam si contrariae essent simul verae, sequeretur duas contradictorias esse simul veras, quod est contra secundum principium.

Quarto, propositiones subcontrariae possunt esse simul verae in CONTINGENTIBUS (dico in contingentibus, quia in necessariis diversimode evadit). Nam hic non agitur nisi de iisdem ut patet in schemate; non possunt tamen esse simul falsae, quia si supponantur falsae, earum contradictoriae essent verae, quae constituunt duas contrarias, quae esse non possunt simul verae, ut supra notatum est.

35. *Q.* Quid sit aequipollentia propositionum, quidque prosit?

R. Nomine aequipollentiae propositionum intelligitur, apud logicos, ea proprietas, qua duae vel plures propositiones verbis inter se differentes, eamdem important significationem, v. g. ex hominibus pauci salvantur, ex hominibus multi pereunt. Ex aequipollentia propositionum id eruitur, ut in humano sermone, altera alteri sufffici possit; unde non raro locutionis ornatus melius obtinetur, et veritas apertius explanatur.

36. *Q.* Quid sit conversio?

R. Est inversio propositionis: v. gr. scientia instauratur a Lu-

dovico; Ludovicus instaurat scientiam. Est autem duplex, nempe simplex et per accidens. Simplex erit, si mutantur termini, servata eadem quantitate propositionis. Per accidens, quando variatur propositionis quantitas, v. g. nullum corpus cogitat: aliquid cogitans non est corpus.

CAPUT III.

DE RATIOCINIO.

37. *Q.* Quid sit ratiocinium?

R. Est oratio, quae constat tribus iudiciis ita inter se colligatis, ut ex duobus primis tertium oriatur. Hinc quisque videt, simplicissimam ratiocinii expressionem eam fore, qua tres enumerantur propositiones, inter se ita connexae, ut ex primis tertia inferatur. Sicut propositio est enunciatio iudicii, sic argumentatio est ratiocinii, verbis extra mentem expressi, manifestatio.

38. *Q.* Quomodo dividatur argumentatio?

R. Argumentatio dividitur in syllogismum, enthymema, epicherema, polysyllogismum, soritem, dilemma, inductionem et exemplum.

39. *Q.* Quid sit syllogismus, et aliae species argumentationis?

R. Syllogismus est argumentatio, in qua, quibusdam positis, alterum quid a positis necessario sequitur; ex. g. omnis homo est rationalis; atqui Odoricus est homo, ergo Odoricus est rationalis.

Enthymema est argumentatio, in qua ex una propositione sequitur conclusio, ex. g. Odoricus currit, ergo movetur.

Epicherema est argumentatio, in qua singulis praemissis, vel earum alterutri adiungitur probatio, priusquam deducatur conclusio, ex. g. qui multis angitur non est beatus; nam indiget tranquillitate; sed Archangelus multis angitur, sive propter curiositatem, sive propter ambitionem, ergo Archangelus non est beatus.

Polysyllogismus est argumentatio pluribus syllogismis constans, ita inter se colligatis, ut conclusio praecedentis habeatur pro praemissa subsequentis. Ex. g. quod est intelligens, est spirituale; sed anima est intelligens, ergo spiritualis; quod est spirituale, est immateriale, ergo anima est immaterialis; atqui quod est immateriale, est incorruptibile, ergo anima est incorruptibilis; sed quod est incorruptibile, est natura sua perpetuum, ergo anima humana est perpetua.

Sorites est argumentatio pluribus propositionibus constans, in qua attributum primae fit subiectum secundae; attributum secundae fit subiectum tertiae, atque ita deinceps donec tandem in conclusione attributum ultimae cum subiecto primae coniungatur. Ex. g. quodlibet corpus est in spatio, quod est in spatio potest esse in alio, quod potest esse in alio, potest mutare spatium, quod potest mutare spatium est mobile, ergo quodlibet corpus est mobile.

Dilemma est argumentatio bicornis seu complexa, in qua duae partes ita disponuntur, ut respondens nullo modo effugere queat. Hac argumentatione, Phocion urgebat Philippi legatos consulentes, ut saltem pro filiis munera oblata acciperet: — « Aut mei similes erunt aut dissimiles; si similes, idem hic » agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin » autem dissimiles sint mei futuri, nolo meis impensis illorum » ali et luxuriam augeri ».

Inductio est duplex, alia dicitur ascensus; et est argumentatio a particularibus sufficienter enumeratis ad universalia. Ex. g. logica est utilis; utilis metaphysica, utilis medicina etc. ergo omnes scientiae sunt utiles. Altera dicitur descensus, et est argumentatio ab universali ad particularia sufficienter enumerata, ex. g. omnis homo est rationalis; sed Odoricus, Cletus et Ioannes, coeterique, qui stant hoc in loco, sunt homines, ergo sunt omnes rationales.

Exemplum tandem est argumentatio, in qua deducitur unum ex alio propter similitudinem. Ex. g. Deus pepercit Mag-

dalenae propter poenitentiam; ergo parcet cuilibet, qui poenitentiam egerit.

40. *Q.* Utrum istae species argumentandi ad unam reducantur?

R. Reducuntur omnes ad syllogismum. Nam cum argumentatio quaecumque non sit aliud, quam expressio ratiocinii, cumque ratiocinium sit ea mentis operatio, quae tribus constat iudiciis ita ordinatis, ut tertium ex aliis, rationali necessitate, effluat; et cum germana expressio huiusmodi mentis operationis, sit syllogismus, recognoscitur quod quaelibet arguendi species ad syllogismum est reducibilis. Quantum spectat ad Enthymema, Epicherema, Polysyllogismum, et Dilemma, res adeo liquet, ut dubium enasci non possit. Circa Soritem, Inductionem et Exemplum quamquam fuerit excitata quaestio, tamen, omnibus bene perpensis, etiam istae argumentationes ad syllogismum sunt reducendae. Processus enim, qui in istis fit, est apparens et materialis, plusquam logicus et realis. Nam tum in Sorite cum in Inductione et Exemplo, praeter propositiones particulares quae exprimuntur, subaudiuntur quaedam aliae universales. Cuiusmodi sunt: — Similium rerum similes sunt qualitates; causae similes producunt effectus similes; futurum praeterito erit simile. Cum aliquod attributum cum subiecto coniungitur, quot sunt ea, quae de attributo dicuntur, dicuntur et etiam de subiecto. Hinc maxime a veritate aberrarunt Destutt-Tracy, et Baco a Verulamio diversimode sentientes; nam diversus non est processus, qui habetur in istis formis argumentandi ab eo, qui in syllogismo.

41. *Q.* Quaenam leges observari debeant ad rationem bonae argumentationis?

R. Quatuor praecipuae; et prima est quod ex vero antecedenti nunquam falsum consequens sequi potest: secunda, a falso antecedenti nunquam verum consequens legitime potest induci. Ex opposito autem tertia, si consequens est legitime

verum, antecedens quoque verum esse oportet: quarta, si falsum consequens, etiam et antecedens falsitate pollet.

42. *Q.* Quaenam sit materia et forma syllogismi?

R. Materia syllogismi duplex est: proxima scilicet et remota. Propositiones ex quibus componitur syllogismus, dicuntur materia proxima illius; quae propositiones, ut diximus, sunt tres, maior, minor et consequentia. Termini ex quibus conficitur haec triplex propositio, materia remota syllogismi dicuntur; qui termini sunt tres: unus dicitur medius, alius maior, et alius minor. Medius est terminus, qui ponitur in maiori et minori, non vero in consequentia: maior est terminus, qui ponitur cum medio in maiori: minor est terminus qui ponitur in minori cum medio, et maior et minor, in consequentia, ut patet in hoc syllogismo: virtus est pulchra, sed obedientia est virtus, ergo obedientia est pulchra. Forma autem syllogismi componitur ex figura, et modo. Figura est dispositio medii cum extremis, secundum debitam subiectionem et praedicationem. Modus est dispositio praemissarum inter se, et consequentiam, secundum quantitatem et qualitatem, quod patet in supra posito syllogismo; in quo figura consistit in eo quod, terminus virtus, qui est medium, taliter disponatur cum extremis, ut in maiori propositione sit subiectum, in minori, praedicatum. Modus autem consistit in eo, quod praemissae ita disponantur inter se et consequentiam secundum quantitatem, quod omnes sint universales, et secundum qualitatem, quod omnes sint affirmativae.

43. *Q.* Quaenam regulae ad legitime efformandum syllogismum excogitatae fuerint?

R. Plurimae ab antiquis logicis, praesertim nostris, quas omnes exponere nimis longum esset, nec satis utile. Nos tantum indicabimus octo praecipuas, quae his versibus continentur:

Terminus esto triplex, medius maiorque minorque;
Latius hos quam praemissae conclusio non vult.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto,
Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
Utraque si praemissa neget nihil inde sequetur.
Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
Peiorem sequitur semper conclusio partem.

Prima regula prohibet, quin plures tribus terminis in syllogismo sint. Unde hic syllogismus non est bonus: mus est syllaba, atqui syllaba non rodit caseum, ergo mus non rodit caseum. Ratio est quia terminus mus aequivocus est, duplicem sensum habet, et ratiocinium destruit.

Secunda vetat, quominus quidam terminus in conclusione latius sumatur, quam in praemissis. Unde hic syllogismus non iuvat: quod ego sum, id tu non es, atqui ego sum homo, ergo tu non es homo. Ratio est quia homo in minori accipitur particulariter, in conclusione generaliter, et minus universale nequit continere magis universale.

Tertia expostulat, ut terminus medius, saltem in una praemissarum, universe accipiatur. Unde hic syllogismus claudicat: aliquod animal ratione pollet: atqui equus est aliquod animal, ergo equus ratione pollet. Ratio est quia sunt quatuor termini, siquidem in maiori animal significat hominem, in minori brutum.

Quarta poscit, terminum medium nunquam in conclusione ingredi. Contra quam, peccat hic syllogismus: virtus est laudabilis, sed castitas est virtus, ergo virtus castitas est laudabilis. Ratio est, quia in praemissis fit comparatio subiecti et praedicati cum termino medio, dum in conclusione solum praedicanda est relatio inter subiectum et praedicatum.

Quinta vetat, quin ex duabus propositionibus negativis, conclusio fiat. Hinc male se habet hic syllogismus: homo non

est aeternus, atqui animal non est aeternum. Ratio est, quia cum sint ambae praemissae negantes, nihil de convenientia vel discrepantia subiecti et praedicati cum termino medio colligere possunt.

Sexta prohibet, quominus ex duobus affirmantibus, conclusio negativa colligatur. Et id sine exemplo patet; praemissae enim sunt affirmantes, si tam subiectum quam praedicatum cum termino medio conveniunt. Atqui quoties subiectum et praedicatum cum termino medio conveniunt, conclusio enunciare debet convenientiam subiecti et praedicati inter se. Ergo ex duabus affirmantibus, non negans sed affirmans eliciendа est conclusio.

Septima prohibet, quominus ex duabus particularibus, aliquid inferatur. Et sic non concludit hic syllogismus: aliquis homo est vivens, sed aliquis homo est mortuus, ergo aliquis homo est vivens. Ratio est, quia peccat contra tertiam regulam, caret enim universali. Haec lex tamen non tangit propositiones singulares, quia in iis subiectum sumitur in tota sua extensione, universaliumque instar merito habetur. Hinc bonus est hic syllogismus: Cicero fuit eloquens, sed Cicero fuit quidam Arpinas, ergo quidam Arpinas fuit eloquens.

Octava est ista. Conclusio partem debiliorem semper sequitur; hoc est, si praemissarum altera fuit negans vel particularis, conclusionem negantem vel particularem esse oportet. Ratio est, quia si una praemissarum affirmat et altera negat, non conveniunt; si non conveniunt, negant. Secunda ratio est, quia in consequentia bona non infertur universale de particulari.

44. *Q.* Utrum ad aliquid unum, omnes syllogismi leges, reducantur?

R. Omnes syllogismi leges ad unam reducuntur. Ad conficiendum enim recte syllogismum una sufficit regula, quae sequenti formula exprimitur: Una praemissarum conclusionem contineat, et altera contentam declaret. Sed quamquam haec regula sit o-

ptima, tamen caeteras non excludit prout inutiles nec minus opportunas ad acuendam mentem, et defectus syllogismi facile evitandos. Quare optime aiebat Iourdain apud Patrem Venturam: « Methodus scholastica utilissima Medio Aevo, maximae » necessitatis, nobis est ut reliquias servari, atque iterum aedi- » ficium veritatis construi possit. Maximi autem detrimenti » fuit, doctos illam a se removisse, ad favendum Carthe- » sio, qui omnia perdidit ». Postea idem auctor addit: « Scho- » lastica argumentatio magnopere favet ampliationi quarum- » dam qualitatum, quas et patres nostri maximi ducebant, » et educatio bene ordinata negligere nequit. Nequaquam fieri » enim potest ut, cum in usu habeamus omnibus elocutionis » artibus veritatem expoliare, eam intueri, ipsius ideas coor- » dinare, atque coniunctionem sequi, quid diligentiae, intui- » tionis, solertiae spiritus ne sibi quidem lucrifaciat. Quodnam » exercitium, pro hac potentia gymnastica intellectuali haberi, » quod easdem consequentias dare posset? Hoc respectu, argu- » mentatio syllogistica maxime prodest scholasticae discipli- » nae (1) ».

45. *Q.* Quomodo dividatur syllogismus?

R. Syllogismus distinguitur in simplicem, et compositum. Compositus autem subdividitur vel in conditionalem, vel in disiunctivum, vel in copulativum. Syllogismus conditionalis est ille, in quo, data quadam propositione conditionali, ex ipsius antecedentis aut consequentis admissione vel negatione, alterutrius admissio reciproce vel negatio deducitur. Ex. g. si ibi ista est causa, ibi est hic effectus, atqui ista causa ibi est, ergo et effectus. Recte concludit, si conditio verificatur. Copulativus est ille, in quo, prima propositio est copulativa. Ex. g. non dies est et nox, sed dies est, ergo non est nox. Hic syllogismus, ut sit bonus, connexionem partium integram propositionis copulativae importat. Denique disiunctivus dicitur

(1) Ventura, *Corso di filosofia cristiana,* vol. V, § 145, p. 400.

ille, in quo prima propositio est disiunctiva. Ex. g. aut dies est aut nox; sed dies est, ergo non est nox. Habetur autem ut legitimus, si enumeratio perfecta erit.

46. *Q.* Quid sit sophisma et quotuplex?

R. Sophisma est syllogismus ita confictus, ut, sub specie veri, falsum exhibeat. Et sicut falsitas potest esse vel in vocibus vel in rebus per voces significatis, duplex evadit fallacia, nempe fallacia dictionis, et extra dictionem. Fallacia autem dictionis, vel est in sensu composito, vel in diviso. Est in composito, quoties plures dictiones, quae in sensu diviso dumtaxat sunt verae, accipiuntur in sensu composito. Ex. g. caeci vident, claudi ambulant, intelligenda sunt in sensu diviso, ita nempe, ut qui ante caeci erant, viderent, qui claudi, ambularent. In sensu composito en ergo sophisma; ea, quorum unum alteri tollitur, simul stare nequeunt; atqui caecum esse et videre, claudum esse et ambulare, sunt huiusmodi, ut unum alteri tollatur; ergo repugnat caecos videre, claudos ambulare. Est in sensu diviso, cum plures dictiones, quae in sensu composito solum sunt verae, sumuntur in sensu diviso. Ex. g. si duo et tria, quae coniuncta quinque efficiunt, seiuncta acceperis, inde poteris hoc eruere sophisma: Duo et tria sunt paria et imparia, atqui quinque sunt duo et tria; ergo quinque sunt paria et imparia.

Fallaciae extra dictionem variae sunt.

Prima est fallacia ignorationis elenchi, et est cum sophista adversario aliquam contradictionem obiicit, quae realiter non existit. Ex. g. Christus est aeternus, atqui Christus natus est in tempore, ergo Christus est aeternus et non aeternus.

Secunda est fallacia petitionis principii, et habetur quoties idem assumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo. Ex. g. anima humana est superstes corpori, ergo immortalis.

Tertia est fallacia non causae ut causae, et existit cum aliqua propositio sumitur ut causa falsae conclusionis, cum illa huius causa reipsa non sit. Ex. g. anima humana multipli-

catur secundum multiplicationem corporis; ergo, destructo corpore, non durat. Sed hoc falsum, ergo falsum, multiplicari animas secundum corporis multiplicationem.

Quarta est fallacia accidentis, quoties alicui tribuitur id absolute, quod solum est per accidens, aut secundum quid. V. g. homo currit, sed Odoricus est homo, ergo Odoricus currit. Quod per accidens evenit, absolute praedicat.

Quinta denique est fallacia plurium interrogationum, et est quando complures enunciationes ita componuntur, ut sive affirmes sive neges, semper falsitatis redarguaris. Ex. g. quidquid non perdidisti, non habes; atqui oculos non perdidisti, ergo oculos non habes. Dicis te habere? en aliud sophisma: Quidquid non perdidisti, habes; sed cornua non perdidisti, ergo cornua habes.

CAPUT IV.

DE METHODO.

47. *Q.* Quid et quotuplex sit methodus?

R. Methodus, sive via ad aliquid, est ordo, quem mens nostra in scientia comparanda sectatur: aut clarius et brevius a nostris, methodus est oratio ignoti manifestativa ad scientias adipiscendas. Methodus secundum finem vel est demonstrativa, vel inventiva, vel didascalica, prout veritas vel est demonstranda rationibus, vel experimentis inquirenda, vel aliis manifestanda. Methodus demonstrativa dispescitur in probativam, quae veritatem directe tuetur, vel in apologeticam, quae obiectiones enucleat et destruit, vel in polemicam, quae insectatur errores. Methodus inventiva tot habet divisiones, quot veritatis species perscrutantur, puta, methodum experimentalem, psychologicam, chimicam. Methodus didascalica vel est doctrinalis, vel pedagogica, prout simpliciter docet, aut maiori animi vi, exemplis, comparationibus in veritatibus explicandis

operam confert. Secundum modum, methodus vel est analytica, vel synthetica. Prima ea est, quae ab effectibus ad causas, a particularibus ad universale, a compositis ad simplicia progreditur. Secunda vero est illa, quae procedit a causis ad effectus, ab universali ad particularia, a simplicibus ad composita. Hinc liquet analysim et synthesim simul consociandas esse. Non enim sufficit aut obiectum in elementa resolvere, aut resolutum componere, ut funditus tum quoad partes, tum quoad totum percipiatur; sed ambae necessariae sunt, integrae et completae obiecti notioni adipiscendae. Quare potius quam methodus analytica et synthetica, processus mentis in verum nominatur. Neoplatonici igitur nostri, qui synthesim exclusive se adhibere iactant, extra methodum vagantur.

48. *Q.* Quibus praecipue elementis constet methodus?

R. Relicta inductione, de qua iam egimus, methodus constat praecipue Definitione, Divisione et Demonstratione.

49. *Q.* Quid sit definitio, quotuplex, et quaenam conditiones ad bonam requirantur?

R. Definitio est oratio explicans naturam rei. Et est metaphysica, si per conceptus metaphysicos naturam rei explanat; quae esse potest vel quidditativa vel descriptiva, prout naturam rei explicat per differentiam essentialem, vel per propriam passionem. Ex. g. homo est animal rationale, homo est animal risibile; prima ad quidditativam, altera ad descriptivam pertinet. Secundo, definitio dividitur in physicam, quae explicans naturam rei per causas physicas, est essentialis vel accidentalis. Essentialis est illa, quae datur per causas intrinsecas, quae sunt de essentia compositi. Ex. g. homo constat corpore et anima. Si datur per causas extrinsecas, quae non sunt de essentia compositi, dicitur accidentalis. Ex. g. homo est ens creatum a Deo, et ordinatum ad vitam aeternam. Conditiones autem ad bonam definitionem conficiendam, sunt quinque.

Prima, ut constet genere proximo, et differentia specifica

(ultima), ut haec: homo est animal rationale; animal, est genus; rationale, est differentia.

Secunda, ut omni suo definito et non aliis conveniat, quia si debet explicare, hoc non praestaret, si aliis conveniret.

Tertia, ut definitio convertatur cum suo definito, ita ut ab uno ad aliud valeat consequentia, tam affirmative quam negative.

Quarta, ut definitio suo definito sit clarior, secus naturam explicationis non haberet.

Quinta, ut definitio non sit superflua nec diminuta. Si superflua enim confundit; si diminuta, definitum non explanat. Ex enucleatis colligitur, omnia definiri non posse nec debere. Primo, quia sunt notiones simplices, quae nullo genere continentur, nec possunt in partes resolvi; secundo, quia si omnia essent definienda, hae notiones clariores per alias clarissimas illustrari deberent, et sic in infinitum, quod est impossibile, procederetur. Si tamen definiri omnia nequeunt, possunt describi, ita ut eorum conceptus clarius effulgeat.

50. *Q.* Quid, quotuplex, et quaenam conditiones ad bonam divisionem requirantur?

R. Divisio est oratio totum in suas partes distribuens; quae distributio esse potest vel homogena vel heterogena, vel physica vel metaphysica, vel per se, vel per accidens, prout totum dividitur in partem eiusdem rationis vel diversae, in partes physicas vel metaphysicas, in essentiales vel accidentales. Ex. g. divisio aquae in duas partes ad primam; divisio hominis in caput, manus, pedes, ad secundam; divisio hominis in corpus et animam, ad tertiam; divisio hominis in animalitatem et rationalitatem, ad quartam; divisio animalis in rationalem et irrationalem, ad quintam; divisio hominis in album et nigrum, ad sextam pertinet. Conditiones autem bonae divisionis distinguuntur quinque.

Prima, ut sit brevis, simile enim est confuso quidquid usque ad pulverem sectum est.

Secunda, ut sit adaequata, scilicet ut membra dividentia divisum adaequent.

Tertia, ut totum excedat quamlibet partem dividentem.

Quarta, ut membrum dividens de alio non praedicetur.

Quinta, ut membra dividentia aliquam oppositionem et distinctionem habeant.

51. *Q.* Quid sit demonstratio, et quotuplex?

R. Demonstratio est probatio iudicii quod effertur. Probatio est propter quid, vel secundum quia. Propter quid, est illa quae propriam, proximam et adaequatam rationem rei demonstratae continet. Demonstratio secundum quia, est illa, quae sumit effectum ad causam probandam. Unde Aligherius:

State contenti umana gente al *quia,*
Che se potuto aveste veder tutto,
Mestier non era partorir Maria (1).

Demonstratio dividi etiam potest in directam et indirectam, in ad hominem et regressivam. Prima est cum aliquod verum ex alio vero deducitur, cum quo connectitur. Secunda, quando evincitur verum ex eo, quod, illo negato, aliquid absurdum aboriretur. Tertia est, quando, ab adversario concessis, deducitur verum. Quarta denique, quando a cognitione effectus ad cognitionem causae progredimur, et a cognitione causae ad reddendam rationem effectus regredimur.

52. *Q.* Quaenam vocamina in demonstrationibus praecipue adhibeantur?

R. Septem principaliter: primo, Axioma; secundo, Postulatum; tertio, Theorema; quarto, Lemma; quinto, Scholion; sexto, Corollarium; septimo, Hypothesis.

Axioma est propositio theoretica vel practica, cuius veritas patet sola terminorum definitione.

(1) Purgat., cant. III, v. 13.

Postulatum est propositio practica, quae ad dandam demonstrationem exposcitur.

Theorema est propositio theoretica demonstrabilis, dum problema est propositio practica, quae demonstratione eget.

Lemma est propositio, quae est ex alia scientia in qua demonstratur.

Scholion est id quod insumitur, ut propositio quaedam sit clarior, et principia, ad obiectiones dissolvendas, ponit.

Corollarium est quod infertur ex demonstratis.

Hypothesis denique est enunciatio coniecturalis, quae ad illustrandam demonstrationem adhibetur.

53. *Q.* Quid sit scientia?

R. Scientia, quae est effectus demonstrationis, vel ut actus vel ut habitus consideratur, et definitur a Scoto nostro: Actus vel habitus certus et evidens rei necessariae per demonstrationem acquisitus. Haec definitio ab omnibus philosophis, nisi verbo, saltem re admittitur, et sic explicatur. Dicitur actus vel habitus, quod ponitur loco generis, in quo convenit scientia cum aliis cognitionibus. Caeterae particulae, differentiae loco, ponuntur. Dicitur enim certus in quo differt scientia ab opinione, quae est actus intellectus, qui in unam partem contradictionis cum formidine alterius fertur, et non est certa sed formidolosa. Dicitur evidens, in quo differt a fide sive divina sive humana; quae licet sit certa, non est evidens sed obscura. Fides enim est mentis adhaesio alicui rei, quam fide quis non videt, sed alteri dicenti aut Deo aut homini credit. Unde Aligherius cecinit:

Fede è sostanza di cose sperate,
Ed argomento delle non parventi (1).

Dicitur rei necessariae, in quo differt ab arte, quae versans circa contingens et particulare, dicitur: ratio recte aliquo-

(1) Parad., cant. XXIV, v. 63.

rum operum faciendorum. Dicitur per demonstrationem acquisitus, in quo differt ab actu et habitu primorum principiorum, quae per demonstrationem non habentur; unde patet praedictae definitionis bonitas.

54. *Q.* Quotuplex sit scientia, et quomodo distinguatur?

R. Scientia vel est speculativa, vel practica. Est speculativa, si pro fine solam alicuius veritatis contemplationem habet, et versatur circa rem cui suum esse non est a mente. Ex. g. quid est Deus, quid est philosophia? Est practica, si tractat de re operabili, quam ad suum finem dirigit. Ex. g. homo est amandus. Est partialis, quae est cognitio per causam alicuius rei, est totalis, si de tota re loquitur. Est primaria vel secundaria, prout obiectum formale vel primarium vel secundarium evolvit. Dixi obiectum formale non materiale, quia ex formali scientia distinguitur; nam scientia est actus, actus dicit motum, motus mensuratur a meta, et specificatur. Specificatio vel est a termino, vel est a medio, per quod tendit ad terminum. Scientia ergo ab obiecto formali distinguitur. Ex. g. etsi unum sit obiectum tam philosophiae quam theologiae, hae tamen distinctae sunt, et diversificantur. Quia illa procedit ex principiis rationis, ista revelationis; philosophia de Deo Creatore, theologia de Redemptore, una de Deo, altera de Deo uno et trino disputat.

55. *Q.* Utrum sit aliqua scientia cui caeterae subsint?

R. Est quidem, et dicitur metaphysica, vel protologia, vel theoria scientiae. Metaphysica enim est scientiarum prima et nobilissima, ut eam vocat Doctor Noster, propter universalitatem subiecti, et illi omnes famulantur scientiae. Nam est de ente primo et secundo, de simplici et composito, de substantia et accidente, de eodem et diverso, de actu et de potentia, de uno et de multis (1).

Hinc scientiae metaphysicae subsunt:

(1) In libro qui inscribitur: *Principium Sacrae Scripturae.*

Tum mathematica, de quantitate disserens, quae est circa sex: aut circa numeros simpliciter, et sic est arithmetica: aut circa numeros, prout considerantur in sonis, et sic musica: aut in quantitate continua, et circa proportiones dimensivas generaliter, et sic geometria: aut per additionem de linea visuali, et sic perspectiva: aut secundum quantitatem utramque, et secundum discretiones numerales et substantiales vel continuas vel discretas; et sic astrologia; et illa est duplex: una de corporibus regulatis per motum, et sic astronomia; alia de influentia, et haec partim secura est, et partim periculosa; et haec astrologia periculosa est propter iudicia quae sequuntur, et ab hac fluunt geomantia, vel chiromantia, et caeterae species divinationis (1).

Tum physica de proprietate naturarum dicens, quae est vel circa mineralia, et dicitur metheorica, vel de vegetalibus, et est scientia de plantis, quae nominatur botanica; vel de sensilibus quae de animalibus tractat, et est zoologia; vel de intellectivis, de Deo, de Angelo, de mundo et de homine; et scientiae theologiae, Angelologiae, cosmologiae, et anthropologiae exurgunt.

Tum scientia sermocinalis de elocutione tractans, quae dicitur Grammatica, si congrue indicat elocutiones, Logica, si ratiocinationes, Rhetorica, si persuasiones. Pertinent autem ad logicam, ut vidimus, tum praedicamenta, tum enunciationes, tum argumentationes, et alia hic similia. Secundum grammaticum, omnis pars orationis significat mentis conceptum; habet enim partem significantem substantiam et qualitatem, et sic est nomen; habet partem significantem motum, et sic est verbum, quod dicit inclinationes; ut indicativus, qui habet modum significandi, ut in rationali; imperativus ut in irascibili: optativus ut in concupiscibili; subiunctivus partem utramque; infinitus quasi materialis. Et ad has differentias o-

(1) In *Haexamerone,* serm. 4.

mnes reducuntur secundum Priscianum. Similiter determinat de littera, de syllaba, de dictione et oratione, quia enim varii sunt modi significandi et terminandi secundum diversas linguas, ut terminatum in *a* foeminini generis, ut in pluribus: in *us* masculini generis, et sic de aliis. De littera determinat, sed ad hanc non potest descendere nisi per syllabam. Ultimo considerat de connexione dictionum, sed postea determinat de prosodia similiter et dyasynthetica. Exprimit autem omnia per octo partes orationis. Ad litteram autem descendit per syllabam, et postea de prosodia et methrica, et huiusmodi referuntur ad primum. Considerat similiter modos, ut accidentia, ut in quibus accidentibus nominativus construatur cum verbo singularis numeri, ut non dicatur: *homo currunt:* quia ab una substantia non egreditur nisi unus actus. Similiter, ut post verbum transitivum non ponatur nominativus, sed accusativus, qui dicit terminum, non principium actus ut nominativus. Unde Grammatica a rebus naturam trahit, nec potest esse bonus grammaticus nisi sciat res......

Denique, secundum rhetoricae artem, oportet, ut rhetor provideat civili utilitati, ubi potest esse periculum propter dissensionem animorum. Procedit autem secundum tria attributa, et triplex genus causae, scilicet demonstrativum, deliberativum, et iudiciale. Demonstrativum personae, ut ad laudem vel vituperium; ergo vel est laus, quantum ad bona animae, quae tria sunt, scilicet virtus, scientia et veritas; vel est laus quantum ad corpus, scilicet pulchritudo, fortitudo et caetera; vel de bonis fortunae, ut divitiae, parentela et patria. Deliberativum est respectu rei faciendae; et tunc persuadetur si adest securitas, utilitas et honestas; vel persuadetur non fieri, si sequitur damnum, periculum et inhonestas. Genus iudiciale respondet rei factae: quae habet constitutionem, coniecturam, dubitationem legitimam. Iudicialis constitutio est: Fecisti? Non feci: quae apud alios litis contestatio vocatur. Coniecturalis, cum aliquid producitur ad probandum.

Legitima dubitatio iuridicialis est descriptio iuridicialis, quando factum conceditur, sed defendit se, quod non sit reus; vel quia potuit facere de mandato Domini, vel quia debuit. Ad hoc autem quod sit potens orator, necesse est, quod habeat exordium, ad captandam benevolentiam, non nimis prolixum, non nimis obscurum, non nimis exquisitum; quod habeat rationem ut factum narret, postea ut negotium distinguat, et caveat multitudinem partium; postea partem suam confirmet per rationes; postea adversarium confutet, et rationes suas ostendat frivolas: postea concludat. Item necesse est, ut habeat inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam et pronunciationem (1).

Omnes igitur scientias, metaphysicae vel protologiae subesse concedendum est; et quemadmodum omnia in unum coalescunt mundum, ita omnia scientialia in uno corpore continentur, et Encyclopedia dicitur.

56. *Q.* Utrum philosophia debeat ancillari revelationi?

R. Quamquam protologiae omnes subsint scientiae, propter universalitatem subiecti; tamen omnium nobilitates causarum, ex Doctore nostro, aggregantur in divina scientia. Nam in quantum est progressio quaedam et scaturigo fontis aeterni, habet ex efficiente nobilissimo auctoritatem inviolabilem....... In quantum vero est fluvius aquae vivae, habet a subiecto nobilissimo profunditatem imperscrutabilem. In quantum vero ostensus, revelatus et inspiratus, habet ex nobilissimo modo, processum inconfutabilem. In quantum splendidus, habet certitudinem infallibilem. In quantum crystallinus, pulchritudinem incontaminabilem. In quantum lignum vitae afferens fructus duodecim, habet ex fine nobilissimo fructum desiderabilem. In quantum in medio plateae Ierusalem, habet amplitudinem incoarctabilem (2). Humanae itaque scientiae subdantur opor-

(1) In *Hexaem.* serm. 4 sub fine.

(2) *Principium Sacrae Scripturae.*

tet scientiae divinae, et theologiae revelatae debent omnino ancillari; nullum principium constabilire, nullumque consectarium uti verum acceptare, quae revelationi adversentur. Earum quoque intrinseca constitutio hoc idem prorsus exquirit. Nam si analysi plene subiiciantur, omnes omnino ad theologiam reducuntur. Quam analysim Bonaventura perfecit in opuscolo, quem inscripsit: *De reductione artium ad theologiam*. Ibi namque quadripartitum cognitionis lumen ostendit, et membra singula tam perfecte divisione et subdivisione resolvit, ut in enumeratione artium atque scientiarum, nihil habeat, quod aut desit, aut redundet. Lumen autem illud a sursum descendens in suo quadruplici radio sex differentias habere statuit; ac denique copiose demonstrat quomodo ad lumen Sacrae Scripturae illuminatio quaevis referatur, et divinae theologiae tamquam dominae famuletur. Expleto siquidem itinere, et labore reductivo consummato, ea ratiocinationis vi, quae mentem ad assensum cohibet, et ad verum supernaturale acceptandum, credendum, venerandum inclinat, Bonaventura per orationem sparsa resumens, concludit: « Et sic » patet quomodo multiformis sapientia Dei, quae lucide tra- » ditur in Sacra Scriptura, occultatur in omni cognitione et » in omni natura. Patet etiam quomodo omnes cognitiones » famulentur theologiae (1) ».

57. *Q.* Quinam in scientiis acquirendis modus sit attendendus?

R. Modus sciendi a Divo Bonaventura triplex constituitur: scilicet in ordine, studio et fine. Sunt enim quidam qui volunt scire eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et quidam qui scire volunt ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; quidam item qui scire volunt ut scientiam suam vendant, et

(1) Vide *Disquisitionem hist. theolog.* quam F. Ludovicus a Castroplanio elucubrat.

turpis quaestus est; quidam, ut aedificent, et caritas est; quidam, ut aedificentur, et prudentia est (1).

(1) Collationes *De septem donis Spiritus Sancti,* n. 37 e 43.

FINIS PRIMAE PARTIS LOGICAE.

SECUNDA PARS LOGICAE

LOGICA CRITICA.

58. *Q.* Quid sit logica critica, et quomodo dispescatur?

R. Logica critica est illa pars logicae, quae tractat de ordine, qui inter conceptus et res conceptas intercedit; cumque obiectum huius partis sit veritas quatenus assecuta, hanc partem in tria capita divisam mandamus. In primo capite de veritate eiusque assecutione, in secundo de viis ad veritatem, sive de criteriis veritatis, in ultimo de erroris et ignorantiae fontibus, agemus.

CAPUT I.

DE VERITATE EIUSQUE ASSECUTIONE.

59. *Q.* Quid sit veritas, et quotuplex?

R. Respondet Divus Bonaventura: Veritas potest considerari in comparatione ad illud in quo est, et sic veritas est id quod est: secundum Augustinum, alio modo per comparationem ad intellectum, et sic veritas est finis intelligentiae speculativae (1). Veritas, ut vidimus, triplex est; vel logica, vel metaphysica, vel moralis seu ethica. Veritas morum est rectitudo vivendi, veritas rerum est indivisio entis et esse,

(1) I. Sent. dist. III, par. I, dub. VII.

veritas vocum sive logica est adaequatio vocis et intellectus, vel clarius intellectio adaequans rem intellectam.

60. *Q.* In quanam mentis operatione veritas reperiatur?

R. Quamquam veritas sit inchoative in simplici apprehensione, quia apprehensio est similitudo obiecti in mente existens, et in sensibus, quia percipiendo obiecta corporea, eorum referunt imagines sensibiles: tamen veritas plene et perfecte solum in iudicio reperitur. Tum quia solum iudicium conformitatem mentis cum obiecto exprimit: tum quia voces disiectae, homo, lapis, non dicuntur verae aut falsae, sed statim ac propositiones constituunt, ex. g. hic homo est albus, verae aut falsae appellantur. Veritas ergo logica, plene et perfecte, in solo iudicio reperitur.

61. *Q.* Quaenam sint mentis imperfectiones in assecutione veritatis?

R. Imperfectiones mentis in assecutione veritatis, sunt tres: scilicet ignorantia, dubium et probabilitas. Prima imperfectio mentis est ignorantia, quae definitur ut carentia veritatis: et esse potest vel pravae dispositionis, vel mere negativa, vel partialis vel totalis, prout nullam ideam, aut aliquid tantum attingimus. Secunda mentis imperfectio est dubitatio, quae, ut docet Seraphicus Doctor, proprie dicit indifferentiam iudicii rationis respectu utriusque partis contradictionis, ita quod neutrum praeeligat alteri (1). Dubitatio autem duplex est, negativa vel positiva. Si dubius haeret animus, quia neutra ex parte rationes advertit, negative; sin aequales utraque ex parte rationes habet, positive procedit. Denique probabilitas definitur: adhaesio animi uni parti cum formidine alterius. Haec autem adhaesio uni parti, si habet aliquam rationem est probabilitas levis, si graviorem, est probabilitas probabilior, si pro omnibus et in se, est absoluta, si pro aliquibus tantum, relativa, respectu cognoscentis, vocatur. Hinc fulget levem pro-

(1) III. Sent. dist. 17 ad I.

babilitatem in conflictu probabilioris non elidi. Quaelibet enim propositio probabilis, quamquam probabilissima sit, tamen potest esse falsa. Atqui quando una pars contradictionis potest esse falsa, altera potest esse vera, ergo probabilitas probabilis non eliditur in pugna probabilioris.

62. *Q.* Quaenam sit perfectio mentis in veritate assecuta?

R. Perfectio mentis est certitudo, quae definitur ut firma adhaesio veritati cognitae. Haec definitio in duplicem dividit certitudinem, in subiectivam in quantum firmitatem adhaesionis subiective determinat, in obiectivam quatenus obiectum ostendit, ad extorquendam adhaesionem, idoneum. Deinde subiectiva, in metaphysicam, physicam et moralem secernitur. Est metaphysica, cum mentis assensus in rerum essentia fundatur. Ex. g. totum est maius sua parte. Est physica, cum assensus mentis constantia naturae legum innititur. V. g. lapis sibi relictus deorsum ruit. Erit moralis, cum assensus mentis in hominum testimonio, legibusque, quibus hominum mores temperantur, fulcitur. Ex. g. certum est Persas ab Alexandro debellatos fuisse. Ex his quae diximus patet primo, in intensitate adhaesionis, certitudinem suos gradus habere, sunt enim motiva alia aliis firmiora. Eminet secundo certitudinem fidei nostrae esse, omni naturali certitudine, firmiorem. Nam motiva sunt firmiora, nempe, veritas Dei loquentis et lumen omni lumine clarius, nempe lumen divinum gratiae. Ad rem Divus Bonaventura: « Cognitio, quam quis habet in via, potest
» esse dupliciter, aut respectu illorum, quorum est fides, aut
» respectu aliorum cognoscibilium. Si respectu illorum, quo-
» rum est fides, certior est fides quam scientia. Unde si ali-
» quis philosophorum cognoscit aliquem articulorum ratioci-
» nando, utpote Deum esse creatorem, vel Deum esse remu-
» neratorem, nunquam tamen ita certitudinaliter cognoscit
» per suam scientiam, sicut verus fidelis per suam fidem. Si
» autem loquamur de scientia, secundum est cognitio aliorum
» cognoscibilium, sic quodam modo certior est fides quam

» scientia...... Est enim certitudo speculationis et certitudo ad-
» haesionis. Et prima quidem respicit intellectum, secunda
» vero respicit ipsum affectum. Si loquamur de certitudine
» adhaesionis, sic maior est certitudo in ipsa fide, quam sit
» in habitu scientiae, pro eo quod vera fides magis facit ad-
» haerere ipsum credentem veritati creditae, quam aliqua
» scientia alicui rei scitae. Videmus enim veros fideles, nec
» per argumenta, nec per tormenta, nec per blandimenta, in-
» clinari posse, ut veritatem, quam credunt saltem ore tenus,
» negent. Quod nemo sciens sanae mentis faceret pro aliquo
» quod cognoscit, nisi in quantum doctrina fidei dictat non esse
» mentiendum. Stultus enim esset geometra, qui, pro quacum-
» que certa conclusione geometriae, auderet subire mortem.
» Unde verus fidelis, etiam si sciret totam scientiam physi-
» cam, mallet totam illam scientiam perdere, quam unum so-
» lum articulum ignorare, vel negare. Adeo adhaeret veritati
» creditae! De certitudine ergo adhaesionis verum est, fidem
» esse certiorem scientia philosophica (1) ».

CAPUT II.

DE VIIS AD VERITATEM COGNOSCENDAM SIVE DE CRITERIIS AD VERUM.

63. *Q.* Quaenam, et quot sint criteria veritatis?

R. Media, quibus assequimur certas de veritatibus cognitiones, in scholis, post Graecos, criteria vocitantur. Non pauci philosophi, post Cartesium, media veritatis assequendae a criterio veritatis distinguunt, et generatim in evidentia statuunt. At nobis videtur unicum hoc et commune criterium non dari, quod adiungitur mediis cognoscendi, tum quia, si hoc exsisteret, nullo alio criterio ad verum a falso discernendum, opus

(1) III. Sent. dist. 23, art. 1, q. 4.

esset: tum quia, non paucae sunt cognitiones quidem certae, at non evidentes. Sic evidentes nobis non sunt illae cognitiones, quibus obiectum, non in seipso, sed per speciem alicuius rei deprehenditur; itemque illae, quae versantur circa veritates contingentes et veritates facti. Adde quod realitas, quae se nobis manifestat, et intellectum ad assensum rapit, est quidem causa, cur illis assentiatur necessario, sed non est proprie causa, cur ea certe cognoscat. Caeterum criteria quinque a nobis adnumerantur, scilicet conscientia, sensus exteriores, ratio, memoria, et auctoritas.

64. *Q.* Quid sit conscientia, et quale iudicatorium?

R. Conscientia est criterium, quo percipimus facta interna, quae in actu sunt. Hoc criterium tam est perspicuum, ut nec demonstrationem admittat, neque egeat. Non admittit, quia nulla est demonstratio, in qua id, quod in quaestionem adducitur, pro certo sumitur: atqui infallibilitas conscientiae demonstrari nequit nisi iam pro certa sumatur, ergo demonstrationem non admittit. Non eget, quia admittitur ab eo, qui eam negat, aut de ea dubitat. Qui enim se existere negat, affirmat se existere negantem. Si dubitat utrum sit, affirmat se dubitantem, si dicat se nescire an sit, affirmat se nescientem, si dicat se somniare, iam dicit se vivere somniantem; si fallor enim, sum, inquit Augustinus, nam qui non est, utique neque falli potest (1). Egregie Iacobus Balmes: « Existo ego?
» Certe. Probare queo? Nequeo. Probatio ratiocinationem sup-
» ponit; solida autem non est ratiocinatio sine principio firmo,
» quo nitatur; principium nullum est firmum, nisi supponatur
» existentia entis, qui ratiocinatur. Revera, si loquens de pro-
» pria existentia haeret, nequit de existentia proprii sermonis
» certus esse. Non est enim ratiocinatio si absit ratiocinator.
» Sine hoc igitur supposito non sunt principia, quibus niti
» possimus, nihil habemus, nisi illusionem, imo ne illusionem

(1) *De Civitate Dei*, lib. 2, cap. 26.

» quidem, quia abest illusio, ubi non adsit illusus. Existentia » nostra demonstrari nequit; ipsius enim nobis est cognitio » tam clara, tam viva, ut minimam incertitudinem non admit- » tat. Ante rationem sunt principia, quibus ipsa fulcitur: et » rationis existentia, et entis ratiocinatio, tum usum rationis, » tum alia principia, tempore antecellit (1) ».

65. *Q.* Quid, et quot sint sensus exteriores, et quale veritatis criterium constituant?

R. Sensus externi sunt media ad cognoscendas res externas, sive, ut scribit Bonaventura, « sensus est ea vis animae, quae rerum corporearum, corporeas recipit formas, sed praesentes ». Sensus autem sunt quinque: visus, auditus, odoratus, gustus et tactus, qui omnes proprium obiectum habent. « Nam per vi- » sum, sunt verba eiusdem Doctoris, intrant corpora sublimia » et luminosa et caetera colorata; per tactum vero, corpora » solida et terrestria; per tres vero sensus intermedios, in- » trant intermedia, ut per gustum aquea, per auditum ae- » rea, per odoratum vaporabilia, quae aliquid habent de na- » tura umida, aliquid de aerea. aliquid de ignea seu calida, » sicut patet in fumo ex aromatibus resoluto. Intrant igitur » per has portas tam corpora simplicia, quam etiam compo- » sita ex his mixta » (2). Hinc videtur in sensibus esse tum organum, qui recipit sensationes, tum vim sentiendi, quae est facultas cognoscendi sensibilia, ut sensibilia. Patet etiam sensorium esse subiectum sensus, dum anima eius est principium. Perspicuum denique est, sensibile determinans sensationem triplex esse: proprium, commune et per accidens. Quod singuli sensus primario percipiunt, dicitur proprium: quod a pluribus sensibus attingi potest non per se et primario, dicitur commune: si mediantibus suis qualitatibus attingitur substan-

(1) *Filosofia fondam.*, lib. I, cap. 17.

(2) *Itiner.* cap. II, num. 3. Vide etiam II. Sent., d. 14, p. 1, ad 1, q. 11.

tia, sensile per accidens, vocitatur. Sensus autem exterior est verum veritatis iudicatorium quoad externa; tum quia, si subiectum non haberet affectiones quas sentit, sentiret et non sentiret; sentiret quia sentit, non sentiret, quia non esset. Neque dicas affectionem posse esse diversam: nam referre sensationem idem est ac percipere impressionem, quae, si esset falsa, principium contradictionis everteretur. Insuper sensus externus bene dispositus falli nequit, quia Deus verax est. Si sensus enim nos deciperent, Deus naturae auctor mendax esset: atqui hoc consequens est falsum, ergo et antecedens. Tertio confirmatur ex eo, quod homines nihil certius habent, quam quod sensibus usurpaverint. Ex dictis sequitur, idealistas tum subiectivos, ut Fichte, tum obiectivos, ut Cartesius et Mallebranchius, in errore versari. Primus enim supponit repraesentationes corporum a mente produci: secundus authumat quod repraesentationes rerum producuntur, et sustentantur a principio mere spirituali, absque concursu obiecti materialis: ultimus denique arbitratur, Deum, constanti lege, producere sensibilia, quibus nullum respondet obiectum, et sic reddit errorem necessarium.

66. *Q.* Quid sit intellectus, ratio, et qualia sint criteria?

R. Respondet Balneoregii Doctor: « Intellectus est illa vis » animae, qua anima apprehendit res immateriales et intel- » ligibiles: et est ianua considerationum scientialium, partim » a dictamine naturae, sive a lumine interiori, partim ex cer- » titudine experientiae, sive a lumine exteriori, partim ex » illustratione lucis aeternae, sive a lumine superiori. Quod » sit partim ex dictamine naturae patet...... Quod anima tres » habet operationes: unam, qua, propter immunitatem a ma- » teria, est reflexiva sui supra se; secundam, qua, propter » naturam perfectionis et formae, est conversiva sui supra » corpus administrandum. Tertiam, qua, transcendens corpus » et se, est elevativa sui ad Deum contemplandum. Est autem » hic intellectus secundum naturae dictamen, quod patet in » Adam, qui omnibus rebus, secundum specificas differentias,

» nomina imposuit. Anima autem nostra habet supra se quod-
» dam lumen naturae signatum, per quod abilis est ad co-
» gnoscendum principium, et illa semiplene, quia principia co-
» gnoscimus, in quantum terminum cognoscimus. Secundo; in-
» tellectus iste est a frequentia experientiae. Nam...... ex mul-
» tis sensibus fit una memoria, ex multis memoriis unum
» experimentum, et ex multis experimentis unum universale,
» quod est principium artis et scientiae. Tertio: iste intelle-
» ctus est ab illustratione lucis aeternae, secundum illud: Erat
» lux vera, quae illuminat omnem hominem. Quaerit Augu-
» stinus: ubi scriptae sunt leges iustitiae, secundum quas iudicat
» impios, et respondet: scriptae sunt in libro lucis aeternae,
» quae descendunt in animam, non migrando sed imprimendo,
» sicut imago annuli cerae imprimitur, et annulum non relin-
» quit. Homo et angelus docent, ministerialiter et adminicu-
» lative, sicut qui fenestram aperit, dicitur domum illuminare.
» Solus Deus docet effective, solus cathedram habet in coelis,
» qui docet hominem in terris. In Deo vivimus, movemur et su-
» mus. Dicit Augustinus, quod Apostolus loquitur non tantum de
» vita temporali, sed intellectuali, secundum quod Deus est o-
» mnibus causa essendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi (1) ».

Ex allata, Seraphici nostrae scholae ducis, doctrina constat: Primo, intellectum varia habere munera: sed si varia munera, variae sunt cognitiones; si variae cognitiones, varia sunt earum principia: si varia, unicum non potest esse principium omnium scientiarum. Nam hae sint oportet consentaneae principiis obiectivis et realibus ipsarum rerum: sed species rerum (quae sunt obiectum cognitionis humanae) diversae sunt: ergo diversa sunt principia cognitionis humanae.

Constat secundo differentia, quae, intellectum inter et rationem, intercedit. Intellectus enim exercetur in speculatione veri; ratio autem est vis animae, qua anima inter verum et

(1) In *Hexaem.* serm. 3 post initium.

falsum discernit, vel ut alibi dicit idem auctor, « ratio est ea vis animae, quae rerum corporearum formas, naturas, differentias, propria et accidentia omnia percipit incorporea, sed non extra corpora, nisi ratione existentiae ». Abstrahit enim in corporibus, non actione, sed consideratione.

Constat tertio, animam sensu percipere corporea, imaginatione corporum similitudines, ratione corporum naturas, intellectu spiritum creatum, intelligentia spiritum increatum (1)

Constat quarto, nec intellectum nec rationem esse posse fallaces. Non intellectus, dum simplices format ideas, quia exprimit in se similitudinem obiecti, quae si falsa evaderet, esset similitudo et non esset. Esset, quia est expressio, non esset, quia falsa. Quoad iudicia analytica vel immediata, intellectus tam verax est, ut non solum demonstratione non egeat, sed ne demonstrari quidem possit; potest tamen declarari. Nām error in mentem ex eo cadere potest, quod ipsa interdum, medio opportuno non utitur, ad rei veritatem diiudicandam. Hinc, quoties mens rem, sine ullo medio, sed ipsa per se cognoscit, nullus errori locus esse potest; atqui in iudiciis immediatis mens connexionem inter terminos, sine ullo medio cognoscit, ergo in huiusmodi iudiciis nullus errori locus esse potest. Nec minus verax est anima in rationibus tum inductivis, quam deductivis. (Nota: ratio inductiva est ea, quae colligit, deductiva est ea, quae per syllogismum, verum elicit). Dico inductionem falsitati obnoxiam esse non posse, quia nititur experientia, ut ostendit Scotus, et a ratione vim suam sumit. Experientia monstrat enim quamdam qualitatem constanter in aliqua re inventam esse; ratio suggerit eam qualitatem, eo quod constans sit, ad eius naturam pertinere. Ex quo sequitur illam qualitatem, in omnibus similibus obiectis, invenire. Ergo ratio inductiva per se verax est (2).

(1) *Centil.* part. 3, Sess. 23.

(2) I. Sent. dist. 3, quaest. 4, Scholion.

Sed etiam verax est deductiva, ut his verbis clare probat Ugolinus noster Fasolis: « Mens falli nequit non tantum in- » tuitione, qua veritatem contemplat, sed etiam argumenta- » tione, ratiocinatione, qua per tertiam unam ab alia idea » deducit, dummodo fideliter adhaereat regulis ab ipsa na- » turali natura praescriptis iudicio ac ratiocinio. Nam si prin- » cipium per se generale apprehendit, etiam potest in ipso » contentum percipere, idemque explicare per alias mentis » operationes, quae ante mentem principium intuitum diffrin- » gunt. Scientiae semper, ope ratiocinationis, progressae sunt; » illae enim congeries sunt ratiocinationum bene inter se con- » nexarum (1) ».

67. *Q.* Quid sit memoria ut criterium veritatis, et quale?

R. Quamquam memoria nihil novi nos doceat, utpote illa vis animae, quae conservat formas sensibilium specierum, ut verbis utar Divi Bonaventurae (2); tamen cogitationes ante adeptas revocat, ac proinde sciendi est suprema conditio. Unde Dantes:

Apri la mente a quel ch' io ti paleso,
E fermalvi entro, chi non fa scienza,
Senza lo ritenere, avere inteso (3).

Memoria autem est criterium veritatis. Quia omnes consentiunt, memoriam positam esse in vi recognoscendi perceptiones, quas antea habuimus, nec aliter nos posse decipere, nisi quatenus menti offerat perceptiones non ante habitas; atqui horum unum altero destruitur, ergo oportet memoriam per se esse veracem. Insuper discernimus perceptiones veras a fictis. Quoties enim aliquid recordari conamur, species rerum, quae nobis se praesentant, respuimus, donec illa, quam quaerimus, nobis occurrerit. Sed qui reale a ficto discernit est verax, memoria igitur verax est.

(1) Nuovo testo di filos. elem.

(2) Declar. termin. theolog.

(3) Parad. c. V, v. 39.

68. *Q.* Ex quibus elementis exurgat auctoritas?

R. Cum sint quaedam, alia ad experimentalem, alia ad ordinem dogmaticum pertinentia, quae a nobis percipi nequeant, propter locorum distantiam et temporis lapsum, hinc exurgit necessitas auctoritatis, quae constat testimoniis. Testimonium est declaratio, qua testis refert rem sibi notam. Testis est ille, qui propriam cognitionem alteri significat. Fides est assensus, quem alterius testimonio praestamus. Auctoritas est id quod testi fidem conciliat.

69. *Q.* Quotuplex sit testimonium?

R. Testimonium, ratione subiecti loquentis, vel est divinum vel est humanum, prout nos Deus vel homo docet. Hinc ut divinum divinam, sic humanum fidem humanam gignit. Ratione materiae, testimonium vel est dogmaticum vel historicum. Est dogmaticum, si eius materia est dogma, vel veritas, vel doctrina; est historicum, si factum respicit. Testimonium dividitur etiam in authenticum, si omnem prudentem erroris formidinem excludit; in oculatum, si propriis sensibus facti experientiam cepit; in auritum, si facti notitiam a testibus immediatis accepit. Testimonium est coaevum, si tempore quo factum accidit, vixit; suppar, si proximo; si tardiori, remotum.

70. *Q.* Quotuplici conditione pollere debeat testimonium, ut sit motivum infallibile iudicandi, et pariat certitudinem?

R. Quintuplici. Prima conditio est, ut factum sit possibile. Secunda, ut factum sit gravioris momenti. Tertia, ut habeat cum posterioribus connexionem necessariam. Quarta, ut scientia convenienti testes sint praediti. Quinta, ut testes sint veraces.

71. *Q.* Quid sit traditio, historia et monumentum, quale criterium constituant et quaenam corollaria exinde oriantur?

R. Traditio est facti narratio, quae, per non interruptam testium seriem, usque ad nos ore transmissa est. Debet esse constans et ampla. Constans est illa, qua ab ultima linea tra- s itionali ad primam regreditur. Ampla, ut multos habeat te- dtes. Historia est factorum narratio, quae scriptis continetur

Certam autem fidem faciet historicus, si constet, neminem eorum, inter quos scribebat, contradixisse; si post vulgatam historiam, integritate morumque castimonia, a coaevis et a posteris probatus fuerit; si legitima traditio veritatis narrationem testetur, maxime si illa referat, quae parti suae adversa sunt, vel praeiudicatis obsistunt opinionibus, vel non gloriam et divitias, sed potius dedecus, persecutionem imo mortem ipsi afferunt; si monumentis publicis, quae sunt quaedam signa, ad factum memorabile perpetuandum, destinata, fulciatur; si testimonio totius generis humani non adversetur. Consensus enim communis, quamquam non semper, et in omnibus sit infallibilis auctoritas, tamen iudicia vere communia, quae a sensu communi dimanant, nequeunt esse falsa. Ex enucleatis bene perpensis haec corollaria sequuntur.

Primum corollarium est, plurimos testes, qui concorditer aliquod factum simplex, publicum et illustre narrant, fidem prorsus mereri. Tum quia multi, nec possunt decipi, nec volunt decipere. Non possunt decipi, quia defectus naturales sunt per accidens, et quod est per accidens, in plurimis evenire non potest. Nolunt decipere, quia homines naturaliter diligunt veritatem, et impossibile est, in idem mendacium conspirare. Mendacium enim dividit, sola veritas ad consensum adducit.

Secundum est, testimonium circa supernaturalia facta, certitudinem gignere posse. Sufficit enim ut nobis constet testes non esse deceptores nec deceptos; atqui haec duo explorata nobis esse possunt; ergo testes, circa supernaturalia facta, certitudinem gignere possunt. Imo in factis supernaturalibus facilius est certitudinem habere, quam in naturalibus; spectatores enim principio dubitare solent, quia factum est insolens, arduum, supra spem; deinceps instituunt inquisitionem, neque adsensum dant, nisi rem clare perspexerint.

Tertium est, testimonium unius, si non semper, non raro certam cognitionem parere. Quia non raro de scientia et probitate

unius testis dubitari non potest; atqui a tali testimonio vis auctoritatis pendet, ergo non raro de uno teste certi esse possumus.

Quartum est, historiam tum veterem, tum recentem, certam factorum notitiam nobis praebere, dummodo critices regulae observentur. Patet ex dictis, quia tum traditione, tum monumentis publicis, tum testibus, historia fundatur.

Quintum docet, veritatem nec mutationis, nec progressus esse capacem. Quia veritas posita est in convenientia cum rebus, quas repraesentat in realitate rerum; atqui realitas est immutabilis, quemadmodum et Deus: ergo veritas mutationis, et progressus non est capax.

Sextum docet, rationem decretis fidei nunquam adversari posse. Quia decreta tum rationis, tum fidei sunt vera; sed solum falsum vero contrarium est, ergo impossibile est, rationem per se fidei adversari. Unde eloquenter Henric. Dominic. Lacordaire: « Il genere umano non uscì da Dio nello stato di » manicheismo. Sono in noi due principii che si armonizzano; » la ragione e la fede rendono il medesimo suono da tutta » l'eternità, quantunque sopra un modo diverso. Elle ritraggono tutt'affatto delle due arpe, l'eolia e l'ionica. L'arpa » eolia sospesa nelle foreste gemeva sotto l'azion libera dei » venti; l'ionica era tocca dalla man dotta degli artisti, ma » entrambe si intendevano e si rispondevano. La ragione è » come l'arpa eolia, selvaggia, abbandonata a sè medesima, » e che si ispira e si anima nelle tempeste; la fede è come » l'arpa dell'Ionia, più regolata, più sicura di sè, più divina; » ma la lira della natura e quella dell'arte, la lira degli uomini e quella de' figliuoli di Dio, ambedue nella somma cantano l'inno medesimo, esse parlano di Dio all'universo, l'annunziano, lo profetano, gli rendon grazie e trasportan l'uomo » nell'immortalità col loro fremito armonioso ed unanime. La » ragione, orgogliosa di sua volontà, è quella che non intende » i suoni della fede; la fede ignorante è quella che non in-

» tende i suoni della ragione, e non rende a lei giustizia. Sì, » come il disse già Ippocrate del corpo umano, tutto concorre » e consente nell' umanità; la ragione e la fede, la ragione » degli uomini di Stato, la ragione degli uomini di genio, la » ragion popolare, tutto è fratello, concittadino, armonico; e » se v' ha lotta, la causa non è negli elementi della nostra » costituzione, perchè ciò sarebbe un supporre che il nostro » principio di vita è la contraddizione. Or la contraddizione » è la morte, e noi non siamo stati creati morti, ma vivi (1) ».

Septimum asserit, consensum communem omnium gentium, esse certum veritatis indicium. Quod enim ab omnibus communiter dicitur, impossibile est, totaliter esse falsum. Falsa enim opinio infirmitas quaedam intellectus est; sicut falsum iudicium, de sensibili proprio, ex infirmitate sensus accidit. Defectus autem per accidens est; non potest esse semper, et de omnibus; sicut iudicium de saporibus, quod ab omni gusto datur, non potest esse falsum: ita iudicium, quod ab omnibus de veritate datur, non potest esse falsum. Hanc scholasticam doctrinam eloquentissime evolvit Iacobus Balmes in sua *Philosophia fundamentali* hisce verbis:

« Sensus communis: en locutio maxime vaga. Ut locutiones omnes, quae plures ac differentes ideas continent, sensus communis locutio dupliciter est consideranda: aut secundum vim etymologicam, aut secundum realem. Haec duplex vis non semper identica, imo interdum inter se valde dissonans, servat autem in discrepantia sua intimas relationes. Ad recte cognoscendum harum locutionum sensum, necesse est, ne insistere quidem sensu philosophico, sed ad vulgarem progredi. Huic enim saepe haeret summa philosophia, eo quod, his positis, vulgaris sensus est tamquam pretiosum sedimen, quod ratio, per multa saecula, in verbo reliquit. Saepe fieri solet ut, percepto ac resoluto sensu vulgari, philosophicus affirmetur; et

(1) Lacordaire, Confer. XV, 1843.

ita summa cum facilitate, quaestiones implicatissimae solutionem habent. Nota autem, praeter sensus corporales, aliud esse criterium, quod vocatur sensus communis. Sensus: hoc vocabulum reflexionem ac collectionem omnem excludit: nihil huius, in vocabulo sentire continetur. Quando enim sentimus, spiritus, multo magis passivus quam activus, nihil sui dat, sed accipit; non agit, sed patitur. Haec autem analysis ad consequentias maximi momenti nos attrahit. Aufert enim sensui communi omne, in quo spiritus agit, et intellectum quodammodo per se submittit legi sentitae, necessitati innatae, quam superare nequit.

» Communis. Hoc vocamen omne individuale excludit, monstrat sensus communis obiectum omnibus hominibus referri posse. Simplicia conscientiae facta, sensibilia sunt, sed non sensus communis; ea spiritus sentit, abstracta omni obiectivitate ac universalitate; quod enim in se experitur, est experientia tantum sui. Vocabulo autem communis intelligitur, huius criterii obiecta omnibus esse hominibus, et inde ordini mere obiectivo referenda; nam subiectivum in se ne generalitatem quidem, sed individualitatem dicit. Haec autem animadversio, tam est accurata, ut, communiter loquendo, ne oppositum quidem sensui communi vocetur quoddam accidens interius, quamquam perabsurdum, dummodo simpliciter exprimatur, et absque relatione ad obiectum. Illi, qui dicit: hoc mihi ita videtur, non obiicitur sensus communis, sed dicitur: res ita se habet; sin autem insolens est assertio, obiicitur: id contra sensum communem evadit (1) ».

Sensus igitur communis, spiritus nostri quaedam est lex in naturali inclinatione consistens, quae mentem, ad assentiendum veritatibus omnibus necessariis, tum in vita sensibili, tum intellectuali et morali, compellit. Conditiones autem, quas habere debet sensus communis, sunt quatuor. Prima, ut assensus

(1) Vol. I, pag. 213, cap. 32.

sit irresistibilis, ita ut nullo modo quis repugnare queat, nec expoliari. Secunda, ut omnis sensus communis veritas sit absolute pro omnibus certa, ut eam respuentes, fatui ab omnibus iudicentur. Tertia, ut omnis veritas, a sensu communi testificàta, a ratione examinari possit. Quarta, ut hoc totius generis humani testimonium, alicui magnae necessitati vitae sensitivae, et intellectualis, et moralis provideat. Cum sensus communis iudicatorium his fruatur conditionibus, prorsus infallibile est.

Ex his positis, nobis favoralibus, alia contra adversarios fluunt corollaria.

Primum est contra scepticos, qui, dum omnem certitudinem eripere conantur, non pauca pro certis et exploratis habent. Quia, dum statuunt nos nihil scire posse, fateri coguntur se hoc principium scire, nempe quod nihil scitur. Nam si assererent, se ne illud quidem scire, quod nihil scitur, suam ipsi philosophandi rationem perimerent. Atqui scire quod nihil scitur, est aliquid scire, ergo sceptici, eo ipso quo omnia incerta statuunt, aliquid certum admittunt. Dubium enim verum supponit iuxta Aligherium:

> Nasce per quello, a guisa di rampollo,
> A' piè del vero il dubbio; ed è Natura
> Che al sommo pinge noi di collo in collo (1).

Insuper, dum decernunt omnia esse incerta, monstrant quid sit scire, et quid nescire, quid sit incertum quidque certum; adstruunt ratiocinationes, demonstrationes conficiunt. Atqui haec omnia dicunt certitudinem; ergo sceptici, dum rationem oppugnant, ea utuntur, sumuntque pro certa.

Secundum corollarium exurgit contra rationalistas, qui humanam naturam peccato vulneratam impugnantes, contendunt rationem, etiamsi moraliter spectetur, sibi ipsa sufficere, quin

(1) Parad., c. IV.

indigeat ulla revelatione, ulla scientiali traditione, ullo civili adiutorio, ad omnia vera, sine errore, assequenda. Et merito, in hoc enim errant. Nam necessarium est, ut omnes homines veritates religionis et scientiae moralis sine errore attingant: sed sine revelatione humanaque traditione, et civili adiutorio, nonnisi a paucis, post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum, istae cognoscerentur; ergo necessum fuit, quod homines de iis instruantur a Deo.

Tertium loquitur contra traditionalistas, qui revelationem, ut unicum cognitionis criterium, assumunt. Quamquam enim homo, moraliter spectatus, ad omnia dogmata sane percipienda, et cultum Deo reddendum, traditione tum divina tum humana indigeat: tamen ratio, ut ex dictis prospicitur, circa pronuntiata facti et rationis, nec non circa ea, quae ab illis facile eruuntur, falli non potest. Unde Paulus inexcusabiles dixit philosophos, qui cognoscentes Dei existentiam et legem, Deum non adoraverunt, legemque violarunt. Insuper, hoc principio innixi traditionalistae, non religionem defendunt, sed perimunt. Si enim primas veritates reddunt incertas, ubi praeambula fidei? Si rationi humanae recte adhibitae, si testimoniis, si conscientiae inest naturaliter error, nonne omne revelationis fundamentum vacillat? Quare argute et sapienter Leibniz: « Comme l'on peut dire que la *raison* est une révé-
» lation naturelle dont Dieu est l'auteur, de même qu'il l'est
» de la nature, l'on peut dire aussi que la *révélation* est une
» raison surnaturelle, c'est-à-dire, une raison étendue par un
» nouveau fonds des découvertes émanées immédiatement de
» Dieu. Mais ces découvertes supposent que nous avons le
» moyen de les discerner, qui est la raison même : et la vou-
» loir proscrire pour faire place à la révélation, ce serait
» s'arracher les yeux pour mieux voir les satellites de Jupi-
» ter à travers un télescope (1) ».

(1) *Nouv. ess. sur l'entend. hum.*, liv. 4, chapitre 19.

Quartum corollarium et ultimum sit pulcherrima Iacobi Balmes allegoria, quae dicta nostra maxime illustrat, et falsas hostium opiniones retundit: « Cuidam nobili, diviti ac » frequenti familiae magnificum est archivium continens ti- » tulos nobilitatis, cognationis ac possessionum eius. Multis do- » cumentis nonnulla intersunt parum legibilia, aut ob scriptum, » aut vetustatem, aut detrimentum naturaliter ab annis allatum. » Nonnulla, in suspicionem adducuntur, tamquam apochripha; » quamquam plurima sint authentica, cum nobilitas ac alia » familiae iura in aliquo niti debeant, cum ubique sint cognita, » eo magis quod, hac ablata, nulla existit documentorum col- » lectio. Curiosus quidam archivium ingreditur, et intuens scri- » nia, pluteos clamat: Qualis hic confusio! ad discernendum » authenticum ab apochripho, ac ad omnia in ordinem redi- » genda, oportet archivium incendere ac eius cineres exami- » nare. Quid vobis de hac idea? Nunc curiosus iste est phi- » losopus, qui, ut in cognitionibus nostris vera a falsis distin- » guat, inchoat omnem veritatem certitudinem ac rationem » negando. Et illis, qui non negant, sed dubitant, dico: qui de » veritate dubitat, eam destruit; qui de ratione, eam delet. » Prudentia, sensusque rectus item se habent, tam in parvis, » quam in magnis. Sed insistentes in coepta allegoria, videa- » mus quid ratio, his positis, nobis suggerat ad bene agen- » dum. Ante omnia rerum existentia est signanda, quin quid etsi » contemnendum abiiciatur; omne in partes resolvendum, po- » stremo omne resolutum componendum. Accurate adnotan- » dum tempora, stylos, relationes, et ita tempus a tempore » discernendum; animadvertendum, si in tanta collectione in- » tersunt scripta primitiva, quae ad alia non referantur, et » contineant familiae originem. Perspicuae regulae sunt in- » stituendae, ut vetusta a recentibus discernantur; ne refe- » renda quidem omnia documenta ad unum, ab ipsis expo- » stulando unitatem, qua forte carent; nam in his interesse » possunt nonnulla primitiva et independentia. Recte autem

» distincto authentico ab apochripho, cavendum est etiam ab
» aliquo incendendo; nam saepe falsum ad explicationem veri
» prodest, et utile esse potest animadvertere, qui essent, et qui-
» bus causis, falsarii. Praeterea fieri potest, ut apochriphum ha-
» beatur documentum, tantum quia ita videtur, aut quia illud
» omnino non cognoscitur. Ergo omne, debita separatione, in-
» tuendum est; quod si apochriphum, instituere ac iura defendere
» nequit, prodesse tamen poterit archivii historiae; quod ma-
» gni habetur ab illo, qui distinguere vult apochriphum ab
» authentico. Spiritus humanus semetipsum non examinat nisi
» aetate perfecta: tunc primo intuitu in se videt copiam sen-
» sationum, idearum, iudiciorum, affectionum omnis generis,
» quod omne, modo insollubili, simul colligatum est. Ad diffi-
» cultatem augendam nequaquam solus, sed in societate ac
» intima relatione cum suis similibus versatur, in mutua com-
» municatione sensationum, idearum, iudiciorum; suae facul-
» tates super se vicissim agunt, ac actionem multorum entium
» dissimilium miro modo variorum subeunt; quae omnia univer-
» sum constituunt. Omnia igitur destruet? Incendet ne omnia,
» quin semetipsum excipiat, confidens se a pyra instar phoenicis
» resurrecturum? Ita agunt qui, ut sint philosophi, negant vel
» de omni dubitant. Legent arbitrarie factum dicentes; quo-
» niam aliquid nobis assumendum, quo nitamur, hoc assumi-
» mus, et in hoc scientia statuemus? Antequam omne cogno-
» scant, dicent: omne unum; adest tantum veritas absoluta,
» et abiicimus omne quod hinc non videmus? Nequaquam.
» Ante omnia eis est cognoscendum, quod in spiritu contineant,
» deinde eis est, idem examinandum, in partes dividendum,
» merito aestimandum. Ne incipiendum quidem est ab inutilibus
» ac stultis contra naturam conatibus, sed eius inspirationes sunt
» bene observandae. Non est philosophia sine philosopho; non
» adest ratio absque ente rationali; cogitantis igitur existentia
» necessario est supponenda. Haud possibilis est ratio, si contra-
» dictio esse et non esse, haud est impossibilis; ratio ergo verum

» contradictionis principium supponit. Cum ratio examinat, ratio » est quae examinat; ipsa autem regulis ac luce eget; omne » examen ergo hanc lucem supponit, idest, evidentiam suique » criterii legitimitatem. Homo ne se quidem format, sed for» matur; non sibi ipse conditiones imponit, sed conditionibus » subiicitur. Hae conditiones sunt leges naturae; ad quid in » eam pugnatis? Praeter fictitias praeoccupationes, ait Schel» ling, sunt nonnulla primordialia, ne ab educatione quidem » orientia, sed ab ipsa natura; quae in hominibus omnibus » sunt pro principiis cognitionis, et obstant libero cogitanti. » Quoad me, ego nolo omnibus praeminere, naturae obsistere; » si philosophus esse nequeo, quin humanitatem relinquam, » malo relinquere philosophiam, quam humanitatem (1) ».

CAPUT III.

DE ERRORE ET IGNORANTIAE FONTIBUS.

72. *Q.* Quid sit error?

R. Error est mentis assensus, quo vel negatur conformitas eorum quae sunt conformia, vel affirmatur identitas eorum quae sunt difformia.

73. *Q.* Unde sit erroris origo?

R. Cuiuslibet erroris fons primarius est in libera voluntatis motione. Nam obiectum nequit intellectum movere nisi sit clarum et summe evidens. Sola ergo voluntas est causa motiva, quae ad falsum, intellectum movere possit. Hinc omnibus patet originem erroris esse semper: primo, falsum sub specie veri intellectui exhibitum; secundo, esse influxum voluntatis in intellectum. Ad primam causam pertinet praeiudicium, et confusio idearum. Ad alteram, affectuum dominatus, novitatum amor, voluptas et superbia, spectant.

(1) *Filosof. fondam.*, lib. I, cap. ultimo.

74. *Q.* Quid sit praeiudicium et confusio idearum?

R. Praeiudicium est anticipatum quoddam iudicium, cuius motiva, iudice ratione, nunquam exploravimus. Hoc praeiudicium diversum est, pro indolis, nationis, familiae, educationis, sectae, professionis, varietate. Idearum autem confusio evenit, cum alicui veritati in iudicando altera inconsulto subrogatur, et tamen efformantur ratiocinia, ac si de eadem ageretur. In hac confusione radix est omnium errorum, qui semper ex defectu attentionis, vel reflexionis, sive ob ignaviam, sive ob impatientiam oriuntur.

75. *Q.* Quid sibi velint affectuum dominatus, novitatum amor, voluptas et superbia?

R. Isti imperiosi voluntatis affectus mentem non semel ad errorem impellunt. In plerisque enim hominibus, nedum rationi voluntas famuletur et obtemperet, rationi contra imperitat et opprimit. Hinc dimanant tot prava iudicia, quae omnes pene disciplinas, totamque vitae rationem conturbant. Quoties novitatum amor, voluptas et superbia in homine exurgunt, toties omne fere lumen animi penitus extinguitur. Adeo verum est, voluntatem suis deceptam cupiditatibus, intellectum corrumpere!

76. *Q.* Quo pacto erroribus occurrendum sit?

R. Ne animus errorum fiat ludibrium, ad se redeat unusquisque; tacitos mentis exploret affectus, frequenter distinguat, cupiditates deponat, scientiam logicam verset, ministerium sensuum, suos ultra limites, non extendat, raro deneget, (in erroribus enim veritas dimediata saepe reperitur), fictas ipotheses fugiat, et unica rationis lance omnia expendat. De his omnibus bene monet Aligherius hisce versibus:

E questo ti fia sempre piombo ai piedi,
  Per farti mover lento, com' uom lasso,
  Ed al si ed al no, che tu non vedi;
Chè quegli è tra gli stolti bene abbasso,

Che senza distinzione afferma o nega,
Così nell' un come nell' altro passo;
Perchè gli incontra che più volte piega
L'opinion corrente in falsa parte,
E poi l'affetto lo intelletto lega.
Vie più che indarno da riva si parte,
Perchè non torna tal qual ei si move,
Chi pesca per lo vero e non ha l'arte:
E di ciò sono al mondo aperte prove
Parmenide, Melisso, Brisso, e molti,
Li quali andaro, e non sapean dove.
Sì fe' Sabellio ed Arrio, e quegli stolti,
Che furon come spade alle Scritture,
In render torti li diritti volti.
Non sien le genti ancor troppo sicure
A giudicar, siccome quei che stima
Le biade in campo pria che sien mature;
Ch' io ho veduto tutto il verno prima
Il prun mostrarsi rigido e feroce,
Poscia portar la rosa in sulla cima;
E legno vidi già dritto e veloce
Correr lo mar per tutto suo cammino,
Perir alfine all'entrar della foce.
Non creda monna Berta e ser Martino
Per vedere un furare, altro offerere,
Vederli dentro al consiglio divino;
Chè quel può sorgere, e quel può cadere (1).

77. *Q.* Quid sit ignorantia, et quaenam eius causae?

R. Ignorantia est scientiae privatio. Ex qua definitione cognoscitur, ignorantiam nullum assensum aut dissensum mentis accludere. Causa autem ignorantiae prima est limitata hominis conditio. Nam ratio ipsa quamquam exculta, non est satis velox ad cito percipiendum, neque satis memor ad retinendum, neque satis acuta ad acriter intelligendum, neque satis

(1) Parad., cant. XIII, v. 115.

ampla ad multa simul capienda. Haec ignorantia dicitur involuntaria. Secunda ignorantiae causa, quae est voluntaria, multiplex est.

Prima est ignavia. Revera ad ignorantiam expellendam necesse est operam impendere, ut mentem locupletemus tot pulchris veritatibus, quae luminum instar ignorantiae calliginem dispellunt; sed ignavus ab occupatione abhorret, ergo ei impossibile est ignorantiam superare.

Secunda est spiritus aberratio, vitaeque gratae et effeminatae mollities. Quotidiana enim experientia compertum habemus, leves homines ac mollitiei deditos, a gravibus occupationibus multo magis abhorrere quam ignavos, quae occupationes exspostulant animi applicationem, privationes, maturam reflexionem, quibus omnibus mente abducti carent.

Tertia est arrogantia. Qui enim se erudire optat, suam ignorantiam fateatur, de se diffidat, et una cum vetere illo repetat: Hoc unum scio, me nihil scire.

Quarta est mala studiorum electio, idest propriae inclinationi ne favere quidem, sed obsistere: nec observare, iuxta Oratii dictum, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Unde Aligherius:

Sempre natura, se fortuna trova
  Discorde a sè, com' ogni altra semente
  Fuor di sua region, fa mala prova.
E se il mondo laggiù ponesse mente
  Al fondamento che natura pone,
  Seguendo lui, avria buona la gente.
Ma voi torcete alla religione
  Tal che fu nato a cingersi la spada,
  E fate re di tal ch' è da sermone;
Onde la traccia vostra è fuor di strada (1).

Quinta est, malus librorum delectus. Si vos utemini operis originalibus ex professo tractantibus de data materia, disce-

(1) Parad., c. VIII.

tis; si vero contra in liberculis elaborabitis, semper vobis ignotae erunt tot cognitiones, quae desiderantur.

Sexta est, mala studendi methodus. Hac nostra tempestate maxime in usum evenit, plures legere immo devorare libros, qui tantum placent, vel propriam vivendi ac sentiendi rationem oblectant. Inde mens eos devorans, nequit eos perpendere ac digerere, eo quod nimis praepropere percurrat. Hinc cum huius, quod legitur, nil remaneat nisi levis cognitio, perfacile succedunt illusiones, ipsa veritate, saepe tenaciores.

FINIS SECUNDAE PARTIS LOGICAE.

SECUNDA PARS PHILOSOPHIAE

DE VERITATE RERUM

METAPHYSICA.

78. *Q.* Quid sit metaphysica, et quomodo dividatur?

R. Metaphysica, cuius nomen a duobus vocabulis graecis ducitur nempe μετα, vel *supra,* et φυσυς, *natura,* est secunda pars philosophiae, quae de rebus supra-corporeis, sive immaterialibus, idest de rebus supra ordinem sensibilium elevatis, disserit. Sicut autem ens, duobus potest esse modis, secretum, nempe vel ex sua natura, quales sunt spiritus: vel per solam mentis cogitationem, ut ens in genere illiusque modi generatim spectati: ita duplex distinguitur metaphysica, generalis scilicet et specialis.

METAPHYSICA GENERALIS.

79. *Q.* Quid sit metaphysica generalis?

R. Metaphysica generalis, quae et ontologia vocari solet, est scientia, quae loquitur de ente et de iis, quae ipsum consequuntur. Nulla forte est pars philosophiae, quae magis quaestionibus luxuriet, sed pari modo nulla est tam praestans et necessaria; ab ea enim caeterae scientiae pendent. Quare or-

dini, perspicuitati, et brevitati consulere volentes, nostram hanc ontologiam sex capitibus complectemur.

Primum erit: De notione et possibilitate entis.

Secundum: De essentia entis.

Tertium: De entium causis.

Quartum: De speciebus entis generalioribus.

Quintum: De entium proprietatibus.

Sextum: De duratione entis.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET POSSIBILITATE ENTIS.

80. *Q.* Quid et quotuplex sit ens?

R. Ens est notio simplicissima, quae definiri nequit, potest tamen declarari, et est: id quod est aut esse potest. Hinc vides ens, in actuale et possibile, esse dividendum. Ens actuale est id quod actu existit; possibile est quod actu non est, sed est ad actum aptum. Ut enti, communissime accepto, opponitur nihilum, quod est absentia entis: sic possibili opponitur impossibile, quod non solum non est in actu, sed esse repugnat.

81. *Q.* Quotuplex sit possibile?

R. Multiplex est possibile ex Duce Nostro. « Est enim potentia omnino sufficiens et activa, ut potentia producendi res. Et est potentia pure passiva, ut potentia suscipiendi. Et est potentia defectiva, ut potentia peccandi. Et est potentia partim activa, et partim passiva, ut potentia ambulandi. Et est potentia partim activa, et partim defectiva, ut potentia suscipiendi poenam. Et est potentia partim passiva, et partim defectiva, ut potentia moriendi (1) ».

82. *Q.* Utrum potentia activa et passiva fundentur super diversa?

(1) I. Sent. d. 42, q. 2, ad 1 et 2.

R Hic non loquimur de potentia pure passiva, sed de illa quae producitur ad actum; et dicimus cum Doctore Nostro. « Necesse est enim, cum in omni creatura potentia activa coniuncta sit potentiae passivae, quod illae duae potentiae fundentur super diversa principia rei. De potentia, quae est ratio seminalis haec est vis; quia potentia talis super actum alicubi addit partem essendi vel essentiae: ut super rationem corporis addit animatum secundum rem, pro eo, quod animato aliquid est; organizatum tamen addit, ut super animatum addat sensibile, et sic usque ad hominem. Sic similiter de potentiis animae, quod sicut tetragonus addit unum angulum ad trigonum, et pentagonus ad tetragonum: sic sensitivum ad vegetativum, et rationale ad sensitivum. Aliquando autem addit solum modum essendi, ut de uno in potentia fiat unum in actu: addit solum modum essendi, quia unum non coniungitur materiae simpliciter, sed materiae habenti vitam in potentia radicali. Unde insanum est dicere, quod ultima forma addatur materiae primae, sine aliquo: vel quod sit eius dispositio, vel in potentia ad illam, vel nulla forma interiecta (1) ».

83. *Q.* Quotuplex sit nihilum et impossibile?

R. Nihilum est negativum vel privativum. Primum est absentia alicuius modi entis considerata in seipsa, ex. g. non videre, non habere rationem. Secundum est absentia alicuius modi entis considerata in aliquo subiecto, quod ad illam habendam proprietatem naturaliter comparatum est; ex. g. absentia visus in animali. Impossibile autem vel est intrinsecum, cum termini seipsos invicem destruunt, ex. g. circulus quadratus; vel extrinsecum, si alicui est relative possibile, sed non alii, qui ad actum reducere nequit, ex. g. Deo est possibile creare mundum, mihi impossibile. Hinc prospicitur impossibile intrinsecum, ne Deum quidem efficere posse; seipsum enim destrueret. Haec autem egregie illustrat Doctor Noster his verbis:

(1) In *Hexaem.*, serm. 4, B.

« Nos iudicamus aliquid impossibile variis causis. Uno modo per limitationem naturalis potentiae, ut de trunco fieri vitulum et virginem parere..... Secundo modo dicitur impossibile non propter limitationem potentiae, sed propter limitationem nostrae intelligentiae; ut duo corpora esse in eodem loco, vel idem corpus in diversis, vel maius in minori loco, quia nullo modo possumus capere, cum nostra imaginatio semper dicat oppositum. Unde etiam quando Deus sic facit in Sacramento altaris, necesse est ut ratio contra se elevetur, ut credat. Tertio modo dicitur impossibile, propter privationem omnis existentiae secundum omnem comparationem, scilicet principii, medii, et ultimi, ut praeteritum non fuisse praeteritum. Omnis enim potentia, quae intelligitur aliquid facere, respicit ens vel in ratione principii, vel termini, vel utroque modo. Unde de ente potest facere non ens, et e converso, et de uno aliud; sed de non ente facere non ens, hoc nullius omnino potentiae est. Unde quamvis Deus de omni ente creato possit facere quod non sit, sive de oratione, sive de re; tamen de eo quod fuit, et non est, facere quod non fuerit, hoc omnino Deo est impossibile, quia hoc facere est nihil facere..... et hoc repugnat ordini divinae sapientiae, sicut facere quod sit triangulus et non sit figura...... Cum enim dicitur praeteritum carere existentia: non dico propter hoc quod cum dicitur aliquid fuisse, dicatur omnino nihil; sed propter quod aliquid est verum fuisse, quod habuit aliquando esse, etiamsi de eius esse nihil omnino remanserit. Unde si totus Caesar cesserit in nihil, verum est Caesarem fuisse.....; si omnia creata omnino cedant in nihil, verum est mundum fuisse. Ob aliam etiam rationem dicitur carere existentia, quia nec est praesens, nec ordinatum ad praesens. Unde veritas propositionis de praeterito, non dicit a parte rei nihil omnino, nec vere ens in actu; sed aliud quod fuit, et non est; et hoc quidem non dicit quid creatum quod sit, sed quod fuit. Si ergo Deus dicatur posse aliquid super hoc, quod non fuerit, hoc est, aut quiescendo sive

nihil operando, aut faciendo aliquid, aut destruendo. Si..... nihil facit, propter hoc nihilominus praeteriit, nec fuisse desinit; quia cum non sit nec actu, nec potentia, nec indiget conservante, nec indiget producente. Secus est de futuro, quia futurum est ordinatum ad esse: ideo indiget producente; et ideo si Deus non velit facere futurum, non fit; et ita non erit futurum. Si ergo potest aliquid ut faciat hoc quod fuit non fuisse; aut hoc erit faciendo, aut destruendo. Sed facere, quod non fuisset, est nihil facere; cum non fuisse non dicat ens: ergo Deus faciendo nihil facit, quod est imperfectio, et contradictionis implicatio. Similiter non est aliquid destruere, cum fuisse non dicat aliquid esse. Ergo si destruendo hoc facit, destruendo nihil destrueret, quod est simile inconveniens. Non ergo potest nihil agendo, nec faciendo, nec destruendo; ergo de praeterito, quod non fuerit praeteritum, non potest facere.... Quarto modo dicitur impossibile, secundum illustrationem veritatis aeternae, et ordinem divinae sapientiae, ut v. g. quod duo opposita insint eidem, et secundum idem, hoc ipsa veritas aeterna, eo ipso quod veritas est, iudicat et illustrat, ut iudicetur impossibile: sicut et hoc, duo et tria non esse quinque. Quando ergo quaeritur, utrum Deo sit possibile omne impossibile, dicendum de impossibili, quod est impossibile propter limitationem potentiae, vel propter limitationem intelligentiae, quod Deo est possibile. Propter hoc quod eius potentia non est limitata, sed infinita; et ideo supra naturam et intelligentiam potest, quarum utraque est arctata. Illud autem impossibile quod est impossibile propter privationem omnis existentiae, et propter illustrationem veritatis aeternae, non potest omnino. Primum quidem non potest, quia illud posse est nihil posse. Secundum non potest, quia illud est posse inordinate, et contra ordinem sapientiae posse. Et quoniam Deus sic est omnipotens, ut nihil possit nisi quod decet suam potentiam, et non deordinat sapientiam; ideo haec impossibilia non potest (1) ».

(1) I. Sent. dist. 42, q. 3, art. 1 in concl.

84. *Q.* Quem gradum teneat notio entis in ordine tum cronologico, tum logico?

R. In utroque ordine primum, ut clarissime liquet ex his Iacobi Balmes argumentis. « Intellectui nostro nonnullae sunt » ideae, a sensationibus independentes ac eis superiores, quae » ad omnia se extendunt, atque necessariae sunt cogitatui no- » stro. Inter eas eminet idea entis. Scholastici affirmantes ob- » iectum intellectus esse ens, magnum aliquid proferebant, et » unum ex factis ideologicis certioribus ac maioribus consti- » tuebant. Ens per se, ablata omni modificatione, ac deter- » minatione, sua in magna generalitate consideratum, ab in- » tellectu concipitur. Quaevis huius ideae sit origo, et modus » quo in intellectu oritur, constat eam existere. Ea utimur quo- » tidie, sine ea nobis fere impossibile est cogitare. Omnes » gentes verbum esse (huius ideae expressionem) adhibent; » omnibus propositionibus, etiam simplicibus, haec inest ex- » pressio; tum sapiens, tum indoctus ea semper, eodem sensu, » pari certitudine utuntur. Inter eamdem ideam adhibentes, » haec una intercedit differentia; idest philosophum eam per- » pendere, indoctum negligere; perceptio vero directa eadem » est, in utrisque modis, ac pariter clara. Ex. g. id est, non est; » fuit, non fuit; erit, non erit; hoc existit, non existit, et si- » milia. En usum ideae entis ab omnibus factum, quin ulla » polleat obscuritate; cum omnes perfecte comprehendant vo- » caminum sensum, ac proinde ideam eis convenientem in spi- » ritu habeant. Si quae autem est difficultas, exurgit ex re- » flectione non entis, sed ideae entis. Quoad actum dire- » ctum, tam clarus est conceptus, ut nihil sit desiderandum. » Quod experientia docet, concludentibus rationibus probari » potest. Omnes conveniunt philosophi, principium contradi- » ctionis per se omnibus esse evidens, quin indigeat explica- » tione, cum sufficiat expressio; quod esse non posset nisi o- » mnibus entis idea inesset. Principium hoc est: impossibile » est aliquid simul esse, et non esse. Hic enim de determinatis

» non agitur, nec de corporeis, nec spiritualibus, nec substan-
» tialibus, nec accidentalibus, nec finitis, nec de infinito; sed
» de ente in sua quacumque maxima generalitate, ac proinde
» sequitur, idem non posse simul esse, et non esse. Nisi nobis idea
» entis sit insita, incomprehensibile principium evadit. Con-
» tradictio ne percipitur quidem, nisi adsit, extremorum inter
» se repugnantium, idea. Nunc extrema sunt esse et non esse.
» Idem prospicitur in altero principio valde simili, imo fere
» identico principio contradictionis, scilicet: quodcumque est,
» est, vel non est; hic etiam agitur de ente indeterminato, ente
» reduplicative sumpto; entis enim cum deficit idea, deficit et a-
» xioma. Etiam Cartesii principium: cogito, ergo sum, entis
» ideam includit: ego sum. Ipse philosophus, hoc ponens, ni-
» titur hoc principio; quod non est, non agit. Ergo entis idea
» non tantum principio, sed inest etiam fundamento, quo Car-
» tesii systema fulcitur (1) ». Omnibus ergo inest entis idea; ergo entis idea est prima, tum ordine cronologico, tum logico.

85. *Q.* Utrum notio possibilis sit omnium prima?

R. Entis possibilis notio non est omnium prima. Nam, ut intelligatur aliquid esse possibile, intelligere oportet elementa, ex quibus ipsum constat, et deinde haec huiusmodi esse, ut secum componi possint. Notio ergo entis possibilis non est prima.

86. *Q.* Utrum idea entis communissima sit intuitiva?

R. Entis notio communissima, non est intuitiva. Ens enim communissimum est indeterminatum; quod indeterminatum, non intuetur; ergo notionem entis non intuetur.

87. *Q.* Utrum possibilitas pura excogitari possit?

R. Possibilitas pura non est. Possibilitas enim pura esset veritas omnem intellectum, omneque ens, tum creatum tum increatum, excedens; sed haec est illusio et absurdum, ex ni-

(1) *Philosophia fundam.* lib. V, cap. 1.

hilo enim nihil est. Veritas non est athea, absque Deo nulla veritas.

88. *Q.* Utrum idea entis sit innata?

R. Dicimus ideam entis non esse innatam eo sensu, quo menti nostrae praeexistat, tamquam typus antecedens sensationes actusque omnes intellectuales: sed nullum est inconveniens dici innatam, si hoc nomine nihil aliud significetur, quam nostrae mentis facultas innata ad obiecta percipienda sub ratione generali entis, simul ac ad ea cogitanda se flectit. Unde egregie Aligherius:

> Lume non è, se non vien dal sereno
> Che non si turba mai, anzi è tenebra,
> Od ombra della carne, o suo veneno (1).

89. *Q.* Utrum nihilum cognoscatur ab intellectu?

R. Nihilum cognoscitur non per seipsum, sed per ens communissime sumptum. Non cognoscitur per seipsum, nequit enim per seipsum intelligi, quod esse sui proprium non habet. Atqui nihilum non habet in se aliquod esse: ergo per seipsum cognosci nequit. Cognoscitur autem per ens communissime sumptum; quia mens ponit limites, et limitando, ad absentiam entis devenit, quod nihilum est.

90. *Q.* Utrum Deus cognoscat negationes?

R. Deus cognoscit negationes, quia cognoscit entis cessationem, et in hoc est negatio. Cognoscit omnium propositionum negativarum veritatem, sive exprimant substantiam, sive relationem. Cognoscit ergo negationes.

91. *Q.* Utrum negationum cognitio sit imperfectio in Deo?

R. Cognoscere negationes, nulla est imperfectio. Nam in cognitione, perfectio est cognoscentis; et imperfectio est solum in rebus cognitis. Si Deus non cognosceret negationes, id eveniret, propter earum impossibilitatem; haec impossibilitas esset

(1) Parad., c. XIX, v. 64.

negatio finiti: negatio finiti esset negatio creationis; et ad pantheismum adduceret.

92. *Q.* Utrum negatio sit fertilis?

R. Negatio permaxime fertilis est. Negatio enim est foecunda, quia principium contradictionis generat, distinctionem et multiplicitatem facilitat, redditque possibilia, iudicia negativa.

CAPUT II.

DE ESSENTIA ENTIS.

93. *Q.* Quid sit essentia, et quotuplex?

R. Essentia, quae a scholasticis et quidditas, et forma, et natura, et ratio rei etiam appellatur, definitur: id, quo ens aliquid constituitur. Est physica vel metaphysica, quae inter se discriminantur, non quoad rem, sed quoad concipiendi modum.

94. Utrum sit nobis essentiarum cognitio?

R. Nobis essentiarum cognitio est; et hoc affirmamus contra Lock et Gioberti. Dubitari enim nequit, quin, multis in rebus, quasdam concipiamus differentias, quae illas constituunt in determinato entium gradu a caeteris distincto, et sunt veluti fontes, unde earum attributa pullulant. Attamen si eas cognoscimus, haec cognitio est imperfecta, utpote illa, quae ope perceptionis sensibilis, essentias illas, non immediate, attingit.

95. *Q.* Quaenam sint essentiarum dotes?

R. Tres praecipuae adnumerantur. Prima est indivisibilitas: essentiae enim augeri vel minui nequeunt, quin funditus destruantur. Secunda est immutabilitas: etenim si mutari possent, res, quas constituunt, esse possent simul quod sunt, et id quod non sunt, quod absonum. Tertia est aeternitas: quia a ratione temporis praescindunt prorsus, et a Deo ab aeternitate cognitae fuerunt.

96. *Q.* Quid sit existentia, et quaenam distinctio inter essentiam, et existentiam?

R. Existentia adeo simplex et clara est, ut definiri nequeat; potest tamen explicari, et dici actualitas essentiae. Quoad distinctionem, fuit controversia inter scholasticos, utrum distinguantur realiter, nec ne. Affirmabant Thomistae, sed nos cum Scoto et Alexandro Alensi negamus, affirmantes essentiam et existentiam alicuius creaturae, ratione tantum distingui. Nam essentia dum extra mentis conceptum constituitur, actu est; porro actu esse et existere idem est; ergo essentia actualis, non re sed ratione tantum, differt ab existentia. Si obiicies cum Sanseverino, essentiam ab existentia distingui realiter, secus res creatae essent aeternae, respondebimus: difficultatem hanc maxima ambiguitate laborare; ab ordine enim ideali ad realem transit. Cum enim de essentia loquimur, existentia supponitur, aut expressa vel tacita. In ordine ideali, ni sit existentia, non est essentia; essentia enim existentiam implicat. Dum erit essentia, erit et existentia, si deficit una, deficit et altera. Notio temporis hic abstrahitur. Restat igitur existentiam ab essentia non distingui realiter, sed tantum ratione.

CAPUT III.

DE ENTIUM CAUSIS.

97. *Q.* Quid, et quotuplex sit potentia et actus?

R. Potentia est abilitas ad aliquid; et est activa vel passiva. Si agit aliquid, pertinet ad activitatem, si quid recipit, ad passivitatem. Potentia est etiam completa vel incompleta, prout omnibus ad agendum, vel aliquibus tantum instruitur. Est naturalis vel supranaturalis, prout vires naturae non superat, vel eas excedit. Actus est exercitium potentiae; et esse potest primus, vel secundus. Nomine primi actus, intelligitur

ipsa potentia; secundi, est ipsum potentiae exercitium. Actus potest esse immanens et transiens. Immanet; si effectus in ipso agente locum habet; transit, si actus extra subiectum fertur, ex. g. contemplatio immanet, calefactio transit. Hinc duo axiomata fluunt:

Primo, ab actu ad posse valet consecutio, sed non viceversa.

Secundo, possibili posito in actu, nihil sequitur absurdi; scilicet nihil est absurdi, si quod esse potest, fingatur existere.

98. *Q.* Quid sit causa, et quale discrimen intercedat inter causam et principium?

R. Causa est id, a quo actio oritur: sive cum nostris, est quid, a cuius esse sequitur aliud; principium est id a quo aliquid procedit. Hic patet differentia; nam principium non importat dependentiam, quam semper videtur importare causa. Advertendum est etiam cum Divo Bonaventura, nullum esse in rebus creatis principium, quod simul causa non sit; in iis enim quidquid ex aliquo principio oritur, semper naturam ab illius natura saltem numero distinctam recipit, proindeque ab eodem dependet. In divinis autem, Pater principium Filii, et Pater et Filius principium Spiritus Sancti recte, et proprie dicuntur, siquidem principium denotat ordinem originis, quin ullam distinctionem naturae, ullamque prioritatem sive naturae, sive temporis includat (1).

99. *Q.* Quotuplex sit causa?

R. Causae affectiones ad quinque revocantur, nempe efficiens, materialis, formalis, finalis et exemplaris. Efficiens ea est, per quam existit effectus aliquis. Finalis est finis, quem agens sibi proponit. Materialis est id, ex quo aliquid fit. Formalis est id, per quod aliquid fit. Exemplaris est conceptus obiectivus, in cuius similitudinem fit aliquod opus ex intentione

(1) I. Sent. dist. 29, art. 1, q. 1 ad arg.

operantis. Ex praeiactis sequitur, si proprie et stricte loqui velimus, solam causam efficientem, causae titulum, iure et merito, sibi vindicare; siquidem sola effectum producit.

100. *Q.* Quomodo dividatur causa efficiens?

R. Causa efficiens dividitur in physicam et moralem. Sic pictor qui est causa suae picturae ad physicam, et homo, qui suadet et imperat homicidium, ad moralem spectat.

Secundo, dividitur in primam et secundam, prout pendet vel non pendet ab alia: talis Creator, talis creatura.

Tertio, distribuitur in generalem et particularem; in quantum cum pluribus ad operandum concurrit, vel tantum effectus consimiles procreat; tales sunt sol, arbor.

Quarto, dispescitur in causam per se, et per accidens. Medicamentum quod ex intentione medici aegrotum sanat, est per se; medicina, quae pro salute portat mortem, est causa per accidens.

Quinto, causa efficiens est necessaria vel libera, quando effectum vel necessitate, vel voluntate producit.

Sexto, causa distinguitur in univocam et aequivocam, si similes vel dissimiles gignit effectus.

Septimo denique, in proximam et remotam secernitur causa efficiens, in quantum immediate, vel mediate ad operationem concurrit.

101. *Q.* Utrum causa efficiens effectu possit esse prior?

R. Causa efficiens effectu est prior. Aliquid enim potest esse prius altero duplici modo, vel tempore, vel ratione. Tempore prius, quod certo temporis intervallo prius existit quam alterum, sic Adam fuit prior Abele. Prius ratione, si dumtaxat concipitur prius altero, etiamsi tempore prius non existat, ita circulus, ratione prius est figura, quam rotundus.

102. *Q.* Utrum notio causae sit obiectiva?

R. Notio causae est obiectiva, et qui hoc negant cum Humio delirant. Iugis enim et intima experientia nos docet, animam nostram novos modos in seipsa efficere. Vivere enim,

interrogat Augustinus, et meminisse, et intelligere, et velle, et cogitare, et scire quis dubitet (1)?

103. *Q.* Utrum effectus sine causa existant?

R. Quidquid effutiat Humius, effectus sine causa esse nequit. Effectus enim est aliquid quod incipit existere: si incipit, non existebat; quod non existebat, a potentia transit ad actum; reductum autem ad actum supponit aliquid ens actu; sed id non potest esse effectus, esset enim effectus et non esset; ergo effectus sine causa non existunt. Ergo quantacumque fingatur causarum series, necesse est, ut aliqua sit prima causa, quae ab altera procreata non fuerit, aliter duo entia essent priora simul et posteriora, quod abnormissimum est.

104. *Q.* Utrum causis creatis insit vis agendi?

R. Causis creatis inest vis agendi; et contra occasionalistas Cartesium et Mallebranchium, pluribus rationum momentis demonstratur. Nam si Deus communicavit hominibus similitudinem suam quantum ad esse, in quantum res in esse produxit, potest etiam communicare iis similitudinem quantum ad agere, ut etiam res creatae propriam habeant actionem; sed ex concessis ab adversariis communicavit primam, ergo et alteram. Quae communicatio non est ex insufficientia, sed ex immensa illius bonitate. Insuper sicut perfectio divina non esset dicenda infinita, si Deus non posset aliis extra se rebus existentiam largiri: ita ne infinita quidem ipsa dicenda esset, si Deus dignitatem causandi aliis conferre non posset. Sed primum fecit, ergo et alterum. Praeterea hanc veritatem experientia ipsa conmonstrat. Omnia enim entia, sive in coelis, sive in terris, sive in mari, sive in campo, sive in tectis, sive in urbe, tum inter bruta cum inter plantas, sic in nobis ut extra nos, in corpore, in mente, undique, activitate propria donantur. Electricitatis, magnetismi, galvanismi facta, quid praedicant, nisi innumera virium actuumque principia? Denique

(1) *De Trinit.* lib. X, cap. 10, num. 14.

praeter allata, nobis favet argumentum apagogicum. Nam si solus Deus operaretur in nobis, omnis libertas, ac proinde meritum et demeritum tolleretur, et omnia flagitia et scelera in Deum tamquam in solam causam refundi deberent; sed hoc est absonum; ergo entia creata vim operandi habent.

105. *Q.* Utrum primum in intentione, sit ultimum in executione?

R. Primum in intentione est ultimum in executione, ut patet. Intentio enim est actus voluntatis, qui versatur circa finem et media; sed agens media vult propter finem, dum in executione, nonnisi per media finem adipiscitur; ergo primum in intentione, est ultimum in executione.

106. *Q.* Quot sint et quaenam causalitatis axiomata?

R. Ad octo principaliter revocantur causalitatis axiomata.

Primo, non datur causa, prout causa, sine effectu, non datur effectus sine causa; inter effectum enim et causam vis intercedit necessitatis.

Secundo, nullum ens potest esse causa sui ipsius; oporteret enim, ut simul esset causa et effectus suimetipsius, quod repugnat.

Tertio, plura entia non possunt se invicem et reciproce causare, essent enim singula prius simul et non prius, quod implicat.

Quarto, posita causa, ponitur effectus; ablata causa, tollitur effectus.

Quinto, causa continet in se quidquid perfectionis est in effectu; quia nisi esset in causa, a causa produci non posset.

Sexto, effectus est proportionalis causae suae: scilicet effectus est tantus, quantus a causa producitur, quidquid maius esset sine causa.

Septimo, quod est causa causae, est causa causati. Data enim causa remota, a qua pendeat proxima effectum producens, iste effectus tribuendus est etiam causae remotae.

Octavo, non datur causarum series sine prima, non est e-

nim series in actu, sine numero in actu; nec est numerus, sine prima unitate.

107. *Q.* Utrum Deus per se, et immediate, influat in omnem creaturae actionem?

R. Deus per se et immediate influit in omnem creaturae actionem, quia contrarium est erroneum. Quaelibet enim causa secunda essentialiter subordinatur causae primae; quoad esse est enim ens participatum et dependens; sed non potest esse dependens quoad esse, quin sit etiam dependens quoad operationem, quia etiam in hoc dependet; ergo Deus concurrit, et influit in omnem entis operationem. Influit tamen mediate, quatenus causae secundae conservat virtutem agendi; influit immediate quia per se, et virtutem suam influit in operationem; hic autem influxus est actionis, non principii. Ex hisce nostrae scholae doctrinis, promotionem physicam Thomistarum non admittimus. Quia sin minus, certo saltem probabilius quoad actiones liberas, tum inutilem, tum libertati nocivam, tum Dei sanctitati aliquo modo detrahentem, reputamus. Attamen unusquisque abundet in sensu suo.

CAPUT IV.

DE SPECIEBUS ENTIS GENERALIORIBUS.

108. *Q.* Quid sit substantia?

R. Substantia est res, cui convenit esse in se, et non in alio subiecto. « Nomen substantiae, scribit Dux Noster, a du-
» plici potestate potest dici, videlicet a per se stando, non
» per aliud; si sic, proprie est in divinis, et magis proprie
» quam in creaturis. Vel a substando alii vel aliis, et hoc est
» tripliciter. Vel alii inhaerenti; et sic false et improprie di-
» citur in divinis, quia proprietates in divinis non sunt acci-
» dentes, nec inhaerentes. Vel alii distinguenti; et sic dicitur
» in divinis non omnino improprie, nec omnino proprie, quia

» proprietas illa non inhaeret, et ideo non facit subsistere, sive » substare, quasi sub alio stare, sed existere, quasi ab alio » esse; et hinc est quod Ricardus dicit in libro *de Trinitate*, » quod melius dicitur existentia quam subsistentia. Vel quia » substat ut perficienti; et sic dicitur res naturae substare » respectu essentiae. Et hic modus magis est circa nostrum » intelligere, quam circa divinum esse (1) ».

Haec Divi Doctoris verba clariora fient ex enucleandis, quorum praecipua octo sunt:

Primo, est in nobis ens purum, simplex, identicum, permanens, phoenomenorum subiectum, quibus afficimur.

Secundo, extra nos obiecta sunt, quae aliquid permanentis servant, in eorum varietate phoenomenorum.

Tertio, ergo in substantiae idea insunt aliae ideae, scilicet entis permanentis, absque inhaerentia ad aliud, quoad modificationes.

Quarto, in omnibus contingentibus relatio substantiae, dicit modificationes.

Quinto, attamen ens cogitari potest sine modificationibus, permanens, absque ulla ad aliud inhaerentia.

Sexto, substantia ergo immutabilis, non implicat.

Septimo, subsistere per se non idem est, ac esse in omnibus independens ex alio; confundenda enim non est relatio causae et effectus, cum substantiae et accidentis relatione.

Octavo, esse sine inhaerentia ad aliud, substantiae proprium est. Sed haec negatio in aliqua vi positiva nititur, in vi subsistendi, quin alio, cui inhaereat, indigeat.

109. *Q.* Quomodo dividatur substantia?

R. Substantia dispescitur in creatam et increatam, prout aliquam cognoscit causam, ex qua pendeat ad existendum, vel non; si prima, creata, si secunda, increata vocatur. Deinde substantia est simplex, si partibus physicis non constat; se-

(1) I. Sent. dist. 23, art. 1, q. 2.

cus erit composita. Tertio, est completa vel incompleta, in quantum non coniungitur alteri a quo perficiatur, ita ut sit sui iuris suarumque operationum principium, sic Odoricus; vel in alterius compositionem venit ita ut per hanc coniunctionem perficiatur, sic corpus humanum. Substantia singularis completa, quando rationis est expers, dicitur suppositum, talis equus; quando est particeps, a Latinis persona, a Graecis hypostasis vocitatur.

110. *Q.* Quid sit suppositum, et quid persona?

R. Suppositum est substantia singularis, quae per se est integrum quoddam et completum; persona autem est substantia singularis, quae ratione pollet, quaeque per se integrum quoddam est et completum.

111. *Q.* Quale intercedat discrimen inter substantiam et personam?

R. Maximum; plura enim ad personam requiruntur, quam ad substantiam. Ad rationem enim substantiae sufficit, ut ens in seipso, non autem in alio, subsistat; ad personam vero constituendam desideratur substantia totalis, quae per alterius accessionem et consortium non perficiatur, quae sit sui iuris, suarumque operationum principium, ita ut ipsi non alteri tribuantur. Unde axioma: actiones sunt suppositorum.

112. *Q.* Quid sit accidens et quotuplex?

R. Accidens definitur ab Aristotele, ens entis; et est res, cui convenit esse in alio, tamquam in subiecto. Est absolutum vel modale, prout substantiam afficit absolute, vel modaliter. Sic motus est accidens absolutum: velocitas et segnities motus, est accidens modale, calor aquae ad primum, caloris intensio ad secundum pertinet.

Doctor Noster docet etiam, quod est aliquod accidens, quod comparatur ad aliquid, sicut ad subiectum et ad causam; aliquod quod solum comparatur ad aliquid, sicut ad subiectum, et ad aliud sicut ad causam. Ex. g. nigredo in corvo comparatur ad ipsum corvum sicut ad subiectum et causam; lumen

in aere vel species in speculo comparatur solum sicut ad subiectum, non sicut ad causam, quia etsi ibi recipiatur, aliunde tamen ortum habet. Tale autem accidens quod comparatur ad aliquid, sicut ad subiectum et ad aliud sicut ad causam, potest esse sub triplici differentia. Quoddam enim est, quod habet ortum ab inferiori, quoddam quod habet ortum a pari, quoddam quod habet ortum a superiori. Sicut ab inferiori, ut species lapidis in oculo vel etiam in intellectu nostro. Sicut a pari, ut similitudo speculi in speculo. Sicut a superiori, ut lumen in aere illuminato. Tale autem accidens quod habet ortum a superiori in quantum accidens est, complementum est, non quantum ad esse primum, sed quantum ad esse secundum. Quia vero a superiori est, habet nobilitare subiectum in hoc, quod iungit ipsum, et conformat ei quod est ipso superius. Et si sit tale accidens quod ortum habet ab ente supremo, si eius infusio, vel origo sit secundum perfectam influentiam, non solum habet nobilitare verum etiam consummare et quietare: et hoc non facit tantum ratione sui, verum etiam ratione eius, a quo procedit, in quo reperitur omnis perfectio, et bonorum omnium aggregatio, ac per hoc completa beatitudo (1).

113. *Q.* Utrum accidentia distinguantur a substantiis?

R. Accidentia distinguuntur a substantiis. Accidentia enim alicuius substantiae possunt ad ipsam accedere, vel ab ea discedere, ac proinde aliquid reale distinctum constituunt. Sed in hac additione vel separatione, est aliquid reale distinctum, quia re ipsa fulcitur; ergo accidentia a substantiis distinguantur oportet.

114. *Q.* Utrum accidentia, ex Dei virtute absoluta, existere possint, quin actu inhaereant substantiae?

R. Cum magistro nostro affirmamus; accidens enim, quamvis non sit in subiecto, non tamen separatur a sua definitione,

(1) II. Sent. dist. 26, q. 3, art. 1 in concl.

imo ei convenit, quia actum est esse in suo subiecto. Comparatio enim accidentis ad subiectum, secundum aptitudinem, est essentialis, et haec nunquam privatur ab accidente (1). Sed quod essentiam non destruit, potest esse; ergo accidentia existere possunt, Dei virtute, seorsum a substantia, a qua pendent. Insuper quod intrinsece non repugnat, a Deo effici potest; sed quod accidentia substententur a Deo, non repugnat; ergo possibile est, Dei virtute, esse accidens sine inhaerentia subiecto. Tertio, Deus potest causare sine causis naturalibus; ergo potest tenere in esse accidentia, subtracta substantia, per quam conservabantur in esse.

115. *Q.* Quid sit finitum?

R. Ens finitum dicitur illud, quod limites habet. Sub duplici aspectu considerari potest, vel quoad essentiam, vel quoad entis quantitatem et qualitatem. Quoad essentiam est, quando limitatur ad naturam determinatam non comprehendens omnem perfectionem realitatis. Huiusmodi sunt entia creata. Quoad qualitatem et quantitatem, finitum est illud quod limite aliquo continetur, vel magnitudinis, vel numeri, vel intensitatis.

116. *Q.* Quid sit infinitum et quotuplex?

R. Infinitum dicitur illud, quod nullo limite circumscribitur. Etiam hoc sub duplici aspectu examinari potest; vel quoad essentiam, vel quoad qualitatem et quantitatem. Est primum, si habet plenitudinem essendi, in quantum nulla essendi ratio et perfectio deest; talis est solus Deus. Est secundum, quando limitem non signat, nec magnitudinis, nec numeri, nec intensitatis; et communiter indefinitum appellatur.

117. *Q.* Quaenam sint notatu digna circa infinitum et finitum?

R. Praecipua haec sunt:

Primo, inter finitum et infinitum nulla est comparatio, omnia enim, ad infiniti mensuram, mensurati media deficiunt. Ex impercettibili enim ad immensum, ex atomo ad omnium rerum pe-

(1) IV. Sent. dist. 12, par. 1, q. 1, I ad arg.

lagum progredimur. Hoc autem discrimen quod inter finitum et infinitum intercedit, principio contradictionis innititur; finitum enim limites ponit, infinitum negat. Inter affirmationem et negationem, nullum est medium.

Secundo, infinitum, limitem negans, negationem negat; ergo est affirmativum; sic finitum, negativum est, quia negationes ponit

Tertio, infinitum non est intuitivum. Ex nullo enim obiecto infinito intuitionem attingere possumus, nec absolute, nec relative.

Quarto, numeri infiniti conceptum habemus, quia ideas tum numeri, tum negationis limitis indeterminatas in mente sociare possumus, intellectuique indeterminate inhaerent.

Quinto, idem est de extensione infinita, quia, ex ideis ex tensionis et limitum negationis unitis, exurgit.

Sexto, nulla est tum intrinseca cum intrinseca repugnantia de existentia infinitae extensionis (1).

Septimo, utrum universi extensio sit finita vel infinita, per argumenta simpliciter philosophica, adscire nequimus. Pendet enim ex experientia, et experientia nulla est de extenso infinito. Ad solutionem huius quaestionis nullum est, inter homines, par ingenium. Id tantum certi est, extensionem mundi omnem mentis creatae conceptum superare. Quo magis scientiae astronomicae progrediuntur, eo magis dilatantur in Oceani spatium. Ubi litus? Est ne unum? Sola ratio hanc quaestionem non solvit. Nullius momenti homunculi, unius horae, quid ad tantum?

Octavo, idea entis actu infiniti realis indeterminata esse nequit; omnes enim perfectiones positivas et formales, ut adstringat oportet.

Nono, quidquid non implicat contradictionem de Ente actu infinito, est affirmandum; quidquid enim realitatis in rebus adinvenitur, de Deo vivo, vero est ponendum.

Decimo, Ens actu infinitum, intelligens, volens et liberum esse debet; haec enim omnia, nullum defectum important.

(1) Confer. Iacobi Balmes, *Filosofia fondamentale.* Vol. 4. Lib. 8.

Denique conceptus determinatus Entis actu infiniti, ex plenitudine entis perfecta, exurgit. Deus enim omnes perfectiones, gradu infinito, amplectitur.

118. *Q.* Quid sit ens a se, et ens ab alio: ens absolutum et ens conditionale: quid ens necessarium et contingens: et quid sub vocabulo natura intelligatur?

R. Ens a se est illud, quod in nullo dependet ab alio, et non potest esse, nisi Deus creator omnium, et gubernator. Ens autem ab alio est quodlibet ens, quod initium habet, et a Deo procedit. Nomine entis absoluti, vocatur illud, quod est prorsus in suo esse independens, sibique ipsi omnino sufficiens. Quod si ex alio dependet, et ab alio dimanat, ens conditionale nominatur. Ens necessarium dicitur ens increatum, ens infinitum; et est illud quod non esse repugnat, quod non potest non esse, et est solus Deus. Contingens autem est ens creatum, finitum, limitibus circumscriptum; et quod non esse non repugnat. Diximus Deum solum esse necessarium proprie, sed aliquid potest esse necessarium hypothetice; sic supposita natura animalis, necessaria est mors: et posito igni, necessum est ut calorem immittat. Necessarium autem triplex est, morale, physicum, et metaphysicum: prout contrarium, vel moraliter, vel physice, vel metaphysice, repugnat. Naturae vocamine, multa a philosophis significantur.

Significatur origo; et sic dicitur defectus naturae, ad indicandum generationis defectum.

Significatur principium; sic natura arboris dicitur semen, quod illam gignit.

Significatur materia, qua conflantur obiecta, sic ferrum est natura, qua efficitur clavis.

Significatur etiam materia prima, ab omni forma divisa, quam Deus de nihilo creat, et qua, omnia naturalia, plasmantur.

Significatur etiam rerum principium activum et forma; sic natura animae, spiritualitas: natura corporis, materialitas vo-

citatur. Et quoniam forma duplex est, prout respicit partem vel totum; sic utimur hoc vocabulo natura ad partem alicuius vel ad totum enodandum; sic dicitur, natura hominis est anima rationalis, et natura hominis est humanitas. Denique hoc nomine significatur etiam substantia completa, vel creata vel increata. Et hoc sensu: natura angelica, natura divina, dicitur.

119. *Q.* Quid sit spatium?

R. Per spatium, intelligenda est capacitas, corpora in se recipiendi. Ut reale, non est aliquid separatum a corporibus, et ideo ante creationem non exstitit; et a Deo cum ipso mundo creatum fuit. Quapropter corporum recipiendorum capacitas, quam extra mundi limites existere, et in qua creatum mundum esse concipimus, non est spatium reale, sed imaginarium, nempe figmentum, omni realitate orbatum, quod spatiosum nihil appellavit Augustinus (1).

120. *Q.* Quid, et quotuplex sit locus?

R. Locum definimus, spatium certis limitibus determinatum. Hi autem limites prout exstendunt se ad superficiem, vel realem vel possibilem, constituunt locum vel realem vel possibilem. Deinde locus si concipitur ut superficies rei sitae externa, extrinsecus; si vero totum spatium consideratur a corpore ipso occupatum, intrinsecus nominatur. Tertio modo aliquid potest esse in loco vel circumscriptive vel definitive. Est primum, quando tota substantia est in toto loco, sed non tota in singulis partibus loci, ut corpus aquilae in aere. Hoc modo, substantiae corporeae locum occupant. Est secundum, quando occupat spatium definitum; ut secundum se, totum sit in toto loco, simulque in quacumque loci parte; sic animus humanus est in corpore.

121. *Q.* Utrum Deus sit in loco definitive?

R. Deus non est definitive in loco. Virtus enim eius nullis

(1) *Conf.*, lib. VII, cap. 1, p. 2.

determinatur limitibus, omnibus rebus et spatiis adest, ubique est praesens, et secundum Aligherii versum, est illud:

> Ove s'appunta ogni ubi, ed ogni quando (1);

sed intime et interminabiliter, intus replens, ambiens foris, regens sursum, et infra sustinens.

122. *Q.* Utrum spiritus sint in loco?

R. Sicut anima est in corpore, sic spiritus sunt in loco. Et ad intelligentiam huius positionis, dicendum, quod locus habet, iuxta Magistrum, triplicem comparationem ad locatum. « Comparatur enim primo in ratione continentis; secundo in ratione mensurantis; tertio in ratione conservantis. Continet enim ut vas, mensuratur ut quantitas, conservatur ut natura. Secundum hanc triplicem habitudinem sunt in loco substantiae finitae, corporales, et corruptibiles, quia finitae et limitatae sunt in loco continente; quia corporales in mensurante; quia corruptibiles in loco conservante. Secundum duas comparationes primas, quae sunt continere et mensurare, sunt in loco substantiae finitae et corporales, sed incorruptibiles; secundum primam vero, quae est continere, sunt in loco substantiae finitae, spirituales et incorruptibiles, ut angeli. Et hoc dico in loco corporali; nam angelus habet locum spiritualem et conservantem, scilicet Dei virtutem; locum mensurantem sive circumscribentem propriae substantiae, virtutis limitationem sive clausionem: locum vero continentem non tantum spiritualem, sed etiam corporalem. Ratio autem...... est ordinatio partium universi: si enim non haberent aliquid continens, non esset eorum existentia ordinata ad invicem; quia ordinem non haberent in creatione, eo quod creata sunt simul; nec haberent ordinem unius ad alterum; hoc autem non decet universum, nec summum opificem. Ratio autem, quare continentur loco corporali, duplex est. Una est limitatio ipsius spiritus creati.

(1) Parad., c. XXVI, v. 12.

Cum enim spiritus increatus, qui est Deus, habeat in se simplicitatem, per quam est intra omnia, et immensitatem, per quam continet omnia, et ens extra omnia communicat illas conditiones creaturae eatenus, quatenus nata est recipere: unde simplicitatem communicat spiritui; sed spiritus non potuit recipere virtutem continentiae. Quia enim simplicitas eius est finita, ideo est hic et nunc; et quia non habet partem et partem, ideo secundum totum, est hic et nunc; et ideo non potest habere universalem capacitatem rerum. Corpus autem, quia compositum est, et habet partes innumerabiles, non potuit participare simplicitatem, sed propter partium extensionem, potuit recipere capacitatem; ideo Deus fecit unum corpus nobilissimum, quod esset natum omnia ambire et extra quod omnino nihil esset, et hoc est Empyreum...... Alia ratio est, quia in solo corpore est distinctio secundum hic et ibi. Quia enim caeterae creaturae ordinem habent in mundo, distinctionem et positionem habent secundum gradus perfectionum; et ita una est hic et alia ibi: una sursum et alia deorsum; et quia in solo corpore est potentialis distinctio secundum hic et ibi; ideo inter creaturas, soli corpori debet dari universalis potentia locandi, et respectu visibilium et invisibilium, ut sic universum esset unum in omnibus suis partibus ordinatum. Et sic patet ratio duplex, quare data est corpori potentia locandi spiritum, et spiritum contineri a corpore. Hoc enim exigebat ordo universi; tum propter limitationem spiritus creati, tum quia, in solo corpore, distinctio est secundum hic et ibi (1) ». Concedendum est igitur, spiritus esse in loco.

123. *Q.* Utrum corpus, virtute divina, possit esse simul in diversis locis definitive, et possit esse in uno definitive, et in alio circumscriptive?

R. Affirmamus; Deus enim quippe qui est causa prima et omnipotens et infinita, agere potest quod intrinsece non re-

(1) II. Sent. dist. 2, q. 1, par. 2, art. 2.

pugnat; atqui corpus, ad modum spiritus, et indivisibile, non repugnat, quod simul sit in diversis locis definitive, et in uno circumscriptive, et in alio definitive: ergo stat nostra affirmatio.

124. *Q.* Utrum repugnet intrinsece, plura corpora in eodem loco simul coire?

R. Hoc fieri, Deo non repugnat. Impenetrabilitas enim est vis, qua corpus impedit, ne locus, quem tenet, ab alio corpore teneatur, se prius non expulso. Sed quamlibet vim contingentem, Deus vincere potest, quia haec est finita, et Deus infinitus: ergo plura corpora, in eodem loco, virtute divina, simul coire possunt.

125. *Q.* Utrum possibilitas passiva (sive corpus sentitum) tam essentialiter corporibus inhaereat, ut sine ipsa sit principium contradictionis?

R. Hypothetice concedimus; Deus enim ita ordinem inter animam et obiecta statuit, ut sensibilitas, ex obiectis oriens, sit sentita. Absolute tamen et metaphysice negamus. Deus enim diversimode rerum ordinem constabilire potuisset; et de hac possibilitate indicia praestant nonnulla externa corpora, quae ex sensilibus insensibiiia, et ex insensilibus sensilia monstrantur. Sic condensatio aeris reddit corpus visibile, rarefactio, invisibile; corpus liquidum tangibile est, sed ad vaporeum statum transiens, evenit intangibile. Sed varietas, quae ex obiecti alteratione procedit, etiam ex organi modificationibus evinci potest. Quidnam enim non cernit oculus, certis instrumentis, armatus? Si ergo, salvis corporum legibus, haec patrantur, cur non erit possibile, virtute Dei absoluta, ut corpora, insensibilia eveniant?

126. *Q.* Utrum relationes sensuum cum obiecto sint metaphysice immutabiles?

R. Affirmamus conditionate, sensu autem absoluto negamus, scilicet ex eo, quo Deus iam statuit has relationes, adest necessitas, ut in logica comprobavimus, quae necessitas non esset, si Deus aliter statuisset; tractatur enim de contingenti-

bus. Possumus enim dicere: hoc eveniet, quia ita semper factum est, ex lege in mundo constabilita. Sed absurdum foret pronunciare; hoc eveniet, nec potest aliter evenire, si Deus aliter maluisset.

127. *Q.* Utrum transmissiones impressionum, ab organis ad facultates animi sensitivas, sint essentiales, ut in aliquo supposito, deficere nequeant?

R. Eodem modo, quo supra distinguentes, dicimus: virtute divina, non esse essentiales; principia enim scientialia respiciunt possibilia, non actu existentia et facta. Et nos de possibilitate metaphysica, non de rebus actu existentibus, hic loquimur. Hinc ab exposita doctrina emanat: principia Ecclesiae scientialia de augustissimo altaris Sacramento non esse absurda, ut nonnulli leves increduli obganiunt. Ex eo enim, quo supponitur suspensa relatio consueta corporis cum sensibus; sicut isti, unicum sunt medium ad exteriora recipienda, affirmare nequeunt absurditatem, de qua illis nulla est experientia. Ad percipiendam enim extensionem oportet, ut eam sentiamus; de extenso autem non sentito, nihil dici potest. Quamquam quae dicimus superius, omnes incredulorum obtruncent nervos, tamen non erit nec minus utile, nec minus iucundum, aliquid superaddere. Quid est extensio? Per se nihil aliud est, nisi multiplex affectio entium, quae extensum efformant. Hae affectiones sive relationes, non sunt intrinsece necessariae; ergo Deus illas potest mutare. Quaestio igitur tota est: potest ne Deus, virtute infinita, illas tollere, alterare, differre, affectiones entium non absolute necessarias? Potest, ut vidimus. Difficultas ergo non est de possibilibus, sed de facto; et sic ex scientia rationali, increduli, in motiva credibilitatis fidei, a vero aberrantes, insane digrediuntur. Obiectio ergo non est nisi de mysteriis acceptandis vel negandis. Sed quonam desunt mysteria? Quamque philosophiae partem, bonis non afficiunt? Peccatum originale est mysterium: sed hoc, integrum explicat mundum. Incarnatio est mysterium: sed traditiones generis humani red-

dit rationales. Fides mysteriis redundat: sed rationis indigentiis providet. Mysterium est principium creationis: sed, hoc negato, Deus, homo, natura, omnia obnubilantur. Christiana religio, mysteriis cumulatur: sed haec, sive in domo, sive in urbe, sive in coelis sive in terris, sive in Deo sive in homine, sive in linguis sive in scientiis, sive in arte, quidquid profunditatis, magnitudinis, sublimitatis, speciositatis, amplectunt. Sedulus scientiarum investigator, qui saepe religionem spernit, eam tum principio, tum fine suarum investigationum reperit, ipsique testantur pueri et senes, templa, coemeteria et leges; nec opus est, ut rationem ei expostulet, nam cum sit ipsa ratio suprema, omnia illuminat, omnia regit, omnia moderatur. Sic parva philosophia, ad incredulitatem et ad atheismum; magna, ad fidem et Deum laudandum, conducit.

CAPUT V.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS.

128. *Q.* Quaenam sint communiores entis proprietates?

R. Tres adscribuntur praecipuae: unitas, veritas, et bonitas.

129. *Q.* Quid, et quotuplex sit unitas?

R. Unitas est id, quod est indivisum in se, et divisum a quolibet alio. Indivisum, secus esset multiplex, divisum a quolibet alio, secus non esset ens, sed entis pars. Hinc oppido patet, omne ens esse unum. Nam per suam essentiam est id quod est; sed id quod est, est indivisum; ergo si indivisum, est unum; ergo omne ens est unum. Patet secundo, unum cum ente converti. scilicet, ut noster subtilis Doctor ait, eodem est aliquid ens et unum (1). Patet denique identitatem in eo consistere, quod ens cum seipso conveniat. Unitas autem duplex est, vel me-

(1) I. Sent. dist. 2, q. 2.

taphysica, quae dicitur unitas simplicitatis; et est illa quae excludit omnem compositionem, ut spiritus; haec vel consideratur in Deo; et est simplicitas positionis: vel in spiritu creato; et est simplicitas privationis. Alia est physica, quae appellatur simplicitas compositionis; et est illa, quae constituit totum physicum, ut corpus. Physica subdividitur in unitatem per se, et per accidens: sic homo est unus per se; exercitus est unus per accidens.

130. *Q.* Quotuplex sit compositio?

R. Multiplex est ex Duce Nostro. « Una compositio est ex partibus essentialibus, et haec est in omnibus per se entibus. Alia est ex partibus integrantibus. et haec est in omnibus corporibus. Tertia est ex partibus dissimilibus sive repugnantibus, et haec est in omnibus animatis et viventibus. Unde in omni substantia per se ente, quae dicitur creatura, est compositio. Quia omnis creatura, aut est corporalis, aut spiritualis, aut composita ex utroque. Similiter est considerare triplicem differentiam in creaturis. Prima est substantiae, virtutis et operationis, sive substantiae et accidentis. Secunda differentia est suppositi et essentiae. Tertia est differentia entis et esse. Prima differentia est rei, prout est agens; secunda, prout ens in genere; tertia, prout est ens in se. Prima differentia est in omni subiecto, quoniam esse subiectum habet esse mixtum; ideo non agit ex se toto: et ideo differt in eo, quo agit, et quod agit, et actio, sive subiecti proprietas. Secunda differentia est in omni individuo; quia omne individuum habet esse limitatum; et ideo in aliquo convenit, in aliquo differt cum alio; et ideo in omni individuo differt essentia et suppositum; multiplicatur enim essentia in suppositis. Differentia tertia est in omni creato, et concreato; quia omne, quod est praeter Deum, accipit esse aliunde. Ideo nihil est suum esse; sicut lux non est suum lucere. Si ergo dicatur simplicitas per privationem compositionis, sic proprium est solius Dei, in ratione substantiae, quia nulla alia est substantia, quae non habet

compositionem ex possibili, et actuali saltem. Si autem simplicitas dicat privationem essentialis differentiae, et dependentiae, ita quod in essentia nulla sit diversitas, nec dependentia, est proprium Dei, in ratione entis, quia nullum aliud ens est, in quo non cadat aliqua diversitas, vel dependentia.... Creaturae igitur compositae sunt, nec vere simplices: quia habent esse mixtum ex actu et potentia; quia habent esse limitatum;..... Quia habent esse aliunde datum; quia habent esse post Deum unum, a quo deficiunt; et ita cadunt in compositionem (1) ».

131. *Q.* Utrum unitas simplicitatis sit perfectius in Deo, quam in creaturis?

R. Unitas simplicitatis perfectius est in Deo, quam in creaturis; et Seraphici ratio est, « quia cum unum multo completius sit in Deo, quam in creaturis, multo formalius ibi dicitur positive. Et rursus: cum omnis unitas ad primam unitatem reducatur...... necesse est, quod unum in Deo aliquid ponat. Et propterea dicendum, quod est loqui de hoc nomine *unus* in creaturis, vel quantum ad rem intellectam, vel quantum ad rationem intelligendi. Si enim loquamur quantum ad rationem intelligendi, sic dico, quod dicitur privative, unde et ratio eius assignatur per privationem divisionis, sive multitudinis: et hoc est, quia unum est primum, et prima non habent intelligi a nobis, et notificari nisi per posteriora, et inde est, quod privative dicitur unum. Unitas autem in substantia..... quia habet aliquid prius, per quod possit intelligi, dicitur positive ut identitas, aequalitas. Sin autem loquamur, quantum ad rem intellectam, sic unum habet respectum ad materiam, et habet respectum ad formam. Ratione respectus ad materiam, est in se indivisum, tamen potentia divisibile; et quia potentia materialis se habet per modum privationis, similiter et unum. Ratione respectus ad formam, quae dat esse distinctum et li-

(1) I. Sent. dist. 8; par. 2, art. 1, q. 2.

mitatum, sic dicit positionem. Quoniam igitur in Deo est unum omnino secundum formam, in creaturis attenditur et secundum formam, et secundum materiam; hinc est, quod solum in Deo positive, in creaturis aliquando accipitur positive, aliquando privative, secundum rem (1) ».

132. *Q.* Utrum, a summe et perfectissime uno, possint venire multa?

R. Qualiter possit venire multitudo a principio summe et perfectissime uno, difficile est intelligere, et circa hoc multi erraverunt. Erraverunt qui multitudinem formarum idealium in uno summo et perfecto posuerunt, quia unum esset multiplex. Erraverunt, qui mediorum multitudinem in uno voluerunt. Unum enim summe perfectum, immediate producit omnia. Erraverunt denique, qui in uno summe perfecto infinitatem reflexionum posuerunt, quia unum infinitum perfectum est suum intelligere. Dicendum igitur est, quod multitudo in rebus est a principio summe uno, quia quanto substantia est melior, tanto magis est sui diffusiva; quanto magis diffusiva, tanto pluribus est nata se communicare; sed primum unum efficiens, est optimum inter omnia; ergo a summa unitate, multitudo esse potest. Item, quanto substantia spiritualior, tanto plurium est cognitiva; sed suprema substantia est spiritualissima, ergo multorum est cognitiva; sed non est cognitiva multorum praecedentium se, vel comitantium. Ergo multorum ab ipsa exeuntium. Tertio, quanto substantia simplicior, tanto potentior: quia virtus, quanto magis est unita, tanto magis infinita; sed quanto potentior, tanto in plura potest; ergo si substantia primi principii est simpliciter una, ergo et potest, ad sui manifestationem, producere multa, cum ipsa sit unica. Quarto denique, quanto causa prior, tanto universalior, unde prima est universalissima. Et quanto universalior, tanto plurium principium; ergo cum principium produ-

(1) I. Sent. dist. 24, q. 1, art. 1.

ctivum universi sit simpliciter unum primum, potuit exire ab ipso multitudo rerum. Ad rem Doctor noster. « Quia » (Deus).... est principium simpliciter primum, ideo foecundum » et potens est, foecunditate infinita, et immensa. Si enim u- » nitas, quae est prima in genere numeri, est principium, a » quo possunt infiniti numeri egredi, et punctus a quo infini- » tae lineae; ergo quod est simpliciter primum, est ita potens, » quod omnino immensum. Propter ergo immensitatem, infinita » potest; sed propter immensitatis manifestationem, multa de » thesauris suis profert: non omnia, quia effectus non potest » aequari virtuti ipsius primae causae. Quia vero est unice » unum, ideo simplicissimum, et spiritualissimum, et perfectis- » simum. Et quia simplicissimum, maximae potentiae. Et quia » spiritualissimum, maximae sapientiae. Et quia perfectissi- » mum est bonitatis summae. Quia maximae potentiae, multa » potest. Quia maximae sapientiae, multa novit. Quia summae » bonitatis, multa vult producere, et se communicare: et ideo » a principio uno, quia primum et unum, exiit multitudo (1) ».

133. *Q.* Quaenam opponantur identitati?

R. Opponuntur:

Primo, distinctio, quae consistit in eo, quod unum ens non est aliud; et esse potest logica vel realis, prout in rebus vel in conceptibus efficitur; vel substantialis, vel modalis, prout in substantiis, vel in modis viget.

Secundo, diversitas, quae, a Divo Bonaventura, attenditur secundum principia essentialia, vel substantialia, et differentiam, quae attenditur secundum speciem.

Tertio, dissimilia et inaequalia, cum qualitatibus, vel quantitate solum discrepant.

134. Quid sit veritas metaphysica?

R. Veritas metaphysica, ut vidimus, est indivisio entis et esse. Quare duo requiruntur, scilicet entitas rei, et adaequa-

(1) II. Sent. dist. 1, art. 1, q. 1, par. 2.

tio eius ad intellectum divinum, quorum primum, veritatis fundamentum, alterum, eius essentiam constituit. Verum enim metaphysicum in convenientia rerum consistit cum intellectu divino. Hinc videtur, omne, in natura rerum, esse verum; quia omne, quod est accuratissime, ideis archetypis Dei respondet. Si secus esset, dicendum foret, aut Deum nescivisse, aut non potuisse illud condere, quale in se intelligit. Videtur etiam, omne verum, cum ente converti, quia veritas rei, in entitate fundatur.

135. *Q.* Utrum aliqua falsitas metaphysica adinveniri possit in rebus?

R. Respondet Divus Bonaventura, negando. « Omne enim quod Deus potest facere, habet exemplar in Deo; sed falsum secundum quod falsum, non habet exemplar in Deo, cum ipsa veritas sit ratio exemplandi; ergo falsum, secundum quod falsum, nequit esse in rebus. Secunda ratio est, sicut se habet bonitas ad malitiam, sic se habet veritas ad falsitatem; sed a summa bonitate nullo modo potest esse malitia; ergo a summa veritate, nullo modo, potest esse falsitas. Tertia ratio est, quia verum, et ens convertuntur: sed a Deo non potest aliquid esse, quod non sit aliquo modo ens; si enim pure nihil esset, a Deo non esset; ergo a Deo non potest esse nisi verum; sed falsum dicit privationem veri; ergo falsitas nequit esse a summo vero, nec proinde in rebus. Ultima ratio est, quia omne quod Deus potest facere, potest dicere; sed falsum non potest dicere; ergo nec falsum potest facere. Probatio minoris: si dicit falsum, aut ergo scienter, aut ignoranter. Ignoranter non, sicut constat; si, scienter; sed quicumque dicit falsum scienter, mentitur; ergo Deus mentiretur, quod est profanum et impium dicere (1) »: ergo falsitas in rebus esse nequit.

136. *Q.* Utrum una, vel plures sint veritates?

(1) II. Sent. dist. 37, q 3, art. 2 in fund.

R. Plures sunt veritates, ex Duce nostro. « Nam esse cuiuslibet rei, distinguitur ab esse Dei; et lumen intellectus creati distinguitur a divino: sed quod distinguitur, non est unum cum obiecto distincto; ergo quaelibet res, et quaelibet conceptio, propria luce radiat. Quod si mihi regeres, veritatem esse unam, tum praesenti, tum praeterito et futuro, respondebit tibi Balneoregii Doctor, dicens: Quod quamvis sit reducibilis ad unam rei veritatem, sicut accidens ad subiectum, et modus essendi ad entitatem: tamen cum modus essendi habeat suam veritatem, et tres sint modus essendi, ideo tres sunt veritates (1). »

137. *Q.* Quid sit bonitas metaphysica?

R. Bonitas metaphysica est complectio attributorum, quae entis integritatem et perfectionem constituunt. Hoc sensu, omnia, et singula entia, sunt bona. Habent enim quidquid est necessarium, ut eum finem assequantur, ad quem destinantur a Deo. Ex hac ratione effluescit, bonum, ut verum et unum, in ente converti; quia omne bonum est ens, et omne ens est bonum, quia est ad finem. Unde Doctor noster: « ens et bonum convertuntur, sed omnia sunt entia, ergo omnia sunt bona: sed omne bonum est diligendum, ergo omne creatum diligendum, sed non est diligendum propter se, ergo propter aliud: ergo propter Deum (2) ». Bono opponitur malum; et malum, ut arguit Sanctus Noster, eo modo quo habet esse, eo modo habet et fieri; et quoniam malum, privatio est et defectus; hinc est, quod sicut malum esse, non est aliquid vere esse, sic nec malum effici, est vere ab aliquo fieri, ut efficiente, sed vi deficiente (3). Hanc ob rationem, malum fundatur semper in aliquo bono, quia subiecto inhaeret, ut sit; et haec existentia est bona. Insuper malum habet causam: sed causa est bona, quia est vis; ergo malum in bono fundatur; et ens, ut tale, est bo-

(1) I. Sent. dist. 41, q. 2, art. 2.

(2) I. Sent. dist. 34, art. 1, q. I.

(3) 2. Sent. dist. 34, q. 2. art. 2.

num. Substantia igitur mala Manicheorum, et malum metaphysicum Leibnitii, sunt somnia delirantium, non sapientum principia.

138. *Q.* Quotuplex sit bonitas?

R. Duplex ex Duce nostro; « una, quae est ex forma dante esse: alia, quae est ex forma dante bene esse. Prima est bonitas substantialis, quae non addit supra formam novum esse, sed solum relationem ad finalem causam: ex qua comparatione, omne aliud a Deo habet esse bonum. Et quia comparatio ad causam essentialem est essentialis, nec unquam esse relinquit, nec potest relinquere, hinc est quod, in quantum sumus, boni sumus. Alia est accidentalis, secundum quod est ex forma dante bene esse, in hac enim inest voluntas libera (1). Bonitas antem, in quantum est actio deliberativa, distingui potest in bonitatem naturae, et bonitatem moris, in quantum est actio procedens ab aliqua virtute, vel a libero arbitrio (2) ».

139. *Q.* Utrum malum sit a summo bono?

R. Praeter allata, nonnulla adiungit Doctor noster argumenta, quae sunt, luce meridiana, clariora, ad demonstrandum malum esse a vi deficiente, non efficiente. « Opus enim Dei, » eo ipso quod opus Dei est, necesse est, ipsum esse laudabile, esse ordinabile, esse acceptabile, esse perfectum, vel » perfectibile; nihil enim facit, quod non deceat suam maiestatem...... Impossibile ergo est, quod faciat opus vituperabile, quantum est de ipso actore: sed malum, eo ipso quod » malum culpae, dignum est vituperio; ergo impossibile est, » quod aliqua creatura, ab ipso habeat istam conditionem. Necesse est etiam esse ordinabile; quia nihil facit, nisi quod » deceat suam sapientiam: sed nihil, quod Deus facit, est ordinabile in poena, quia tunc destrueret opera sua; et ita

(1) II. Sent. dist. 1, p. 2, dub. 2.
(2) II. Sent. dist. 41, q. 2, art. 1 in concl.

» se praevaricatorem constitueret. Deus enim illius est ultor,
» cuius non est actor. Ergo si Deus facit creaturam malam,
» malitia culpae erit ergo ordinabilis, et non in poena: ergo
» malum culpae maneret inultum...... Sed hoc est impossibile
» per se, quia tunc malum esset bonum per se, si aliter esset
» ordinatum; ergo si Deus faceret creaturam malam, crea-
» tura non esset mala. Necesse est etiam, quod sit accepta-
» bile; non enim facit Deus, nisi quod vult; sed omne, quod
» vult Deus, iusta et bona voluntate vult: ergo cum omne, quod
» bona et iusta voluntas approbat, sit omnibus acceptabile,
» si Deus faceret malum, esset omnibus acceptabile; ergo ac-
» ceptare malum esset bonum, pari ratione et facere: ergo
» malum esset bonum. Necesse est etiam, quod omne quod
» Deus facit, sit perfectum vel perfectibile, cum Dei perfecta
» sint opera: ergo omne, quod est in opere Dei, a Deo, vel
» est de perfectione, vel inclinat ad perfectionem;.... ergo fal-
» sum est, et impossibile, Deum fecisse..... malum; et venit ista
» impossibilitas ex summa perfectione, et nobilitate operantis,
» et vilitate mali culpae (1) ».

140. *Q.* Utrum imperfecta sint a summo bono?

R. Imperfecta esse possunt a summo bono. Imperfectum enim ponit aliquid entis; sed aliquid entis ponit aliquid boni; ergo imperfectum potest esse a summo bono. Secunda ratio est, quia qui totum condidit, non potuit et partium non habere rationem; ergo cum partes, sub ratione partium, sint imperfectae, patet, quod summum bonum rationes habet imperfectorum. Tertia ratio est, quia Deus cognoscit omnia; ergo et imperfecta; ergo si perfecta habent ideam in Deo, necesse est, quod habeant etiam imperfecta. Quarta ratio est, quia divinum exemplar exprimit rem secundum totum, alioquin non perfecte cognosceret; sed in toto est aliquid imperfectius perfecto; ergo etc...... Ultima ratio est, quia omne quod est a

(1) II. Sent. dist. 3, art. 1, q. 1 in concl.

bono, habet assimilationem in bono, per quam priusquam fiat, est exemplar in bono; sed materia est a bono, et passio, et compositio, et diversitas, quia omnia dicunt ens; ergo etc..... Ad rem Doctor Seraphicus: « Cum quaeritur, utrum imperfecta habeant ideam in Deo, hoc dupliciter potest intelligi; » aut ratione ipsius, quod subest, aut ratione imperfectionis. » Si ratione imperfectionis, cum imperfectio sit privatio, et » privatio non dicat ens, nec aliquid a Deo, nec assimilabile: » sic non habet ideam. Si autem ratione eius, quod subest, » sicut materia, dicitur quid imperfectum, et materia aliquam essentiam dicit, habet ideam; sed non imperfectam.... » Omne igitur, quod de se dicit rationem entitatis, sive sit » compositum, sive imperfectum, sive materiale, sive passibile, sive in actu, sive in potentia, potest Deo assimilari » et produci, et ideo habet esse in Deo..... Quod enim obiicitur » de malo patet responsio; quia malum dicit simpliciter privationem in eo, quo malum, non sic imperfectum (1) ».

141. *Q.* Utrum mali permissio et propagatio, vel minimum divinae iustitiae, et bonitati detrahat?

R. Vel minimum quidem; tum quia, hoc modo boni malique operis auctor homo reapse efficitur; tum quia, praestantior moralitas meritoria exurgit; tum quia, Deus non poterat, libertatem ad bonum fortius impellere, quin aut ipsam cogeret libertatem, aut maximam immensae suae largitionis bonitatem offenderet; (tamen, ne peccaret innumeris communivit auxiliis, gravissimas comminatus est poenas, monuit, et vim non peccandi dedit), tum quia, occasionem Deus arripuit, abundantius gratias elargiendi; tum quia, lex omnibus acceptissima ponitur, quod filii oriantur, patribus similes.

142. *Q.* Utrum sint aliae entis dotes, iam enucleatis affines?

R. Sunt aliae quatuor entis perfectionibus valde affines, et sunt: ordo, dignitas, pulchritudo, et sublime.

(1) I. Sent. dist. 36, q. 2, art. 3 in concl.

143. *Q.* Quid sit ordo?

R. Ordo definitur a S. Augustino: parium dispariumque, sua cuique loca tribuens, dispositio. Hinc, ad ordinem habendum, desiderantur quatuor praecipue conditiones, videlicet quaedam multitudo, quaedam unitas, quaedam dispositio, et finis communis.

144. *Q.* Quomodo dividatur ordo?

R. Triplex admittitur a nostro Seraphico Doctore: « secundum positionem, secundum antecessionem, et secundum originem. Ordo secundum positionem, dicitur aliquorum, quorum unum est superius, aliud inferius. Et hoc potest esse dupliciter, vel in loco, vel in dignitate...... Ordo vero secundum antecessionem, dicitur esse eorum, quorum unum prius est, alterum vero posterius; et hoc dicitur dupliciter: aut quia antecedit duratione sive tempore, aut prius naturali intelligentia, sive cognitione. Ordo autem secundum originem, est producentis ad productum; et iste ordo est in divinis, quia ibi est ordo principii et principiati, sive producentis, et producti (1) ».

145. *Q.* Quid, quot, et quaenam sint entis dignitates?

R. Dignitas, prout hic a nobis accipitur, est principium entis ordinativum. Entis autem dignitates quatuor praecipue recensentur. Dignitas paterna, regia, sacerdotalis, et doctoralis. Primus homo fuit simul pater, rex, sacerdos, et magister; et sic per longum temporis spatium, in exordio generis humani, adhibitum est. Sed progressu temporis, hae dignitates divisae fuerunt, et alius pater, alius sacerdos, alius imperator, alius doctor fuit. Attamen nihil est absurdi, quod unus omnibus, vel pluribus, his gaudeat dignitatibus. Absurdum est, quod dignitas inferior invadat superioris iura: sic pontifex potest esse rex, et magister: sed pugnat, quod rex, ut rex, conscientias dirigat. Ut aliarum facultatum, sic omnium dignitatum entis, Deus est auctor. Inter viventia, sicut solus homo est animal rationale, quia intelligentia, et ratione, et voluntate ornatus: ita,

(1) I. Sent. dist. 20, art. 2, q. 1 in concl.

inter diversas entium aggregationes, sola hominum societas, paternitatem, regalitatem, sacerdotium ac magisterium habet. Sicut nullus est homo, nisi in quantum intelligit, ratiocinatur, et vult; ita nulla viventium est aggregatio humana, nisi in quantum propagatur paternitate, regitur regalitate, magisterio edocetur, et sacerdotio sanctificatur.

146. *Q.* Quid sit pulchritudo, et quotuplex?

R. Pulchritudo graphyce definitur a nostro Magistro, his verbis: « Quoniam species tenet rationem formae, virtutis, et operationis, secundum quod habet respectum ad principium, a quo » manat, ad medium, ad quod transit, et ad terminum, in » quem agit, ideo proportionalitas attenditur in similitudine, » secundum quod tenet rationem speciei seu formae, et sic » dicitur speciositas; quia pulchritudo nihil est aliud, quam » aequalitas numerosa, sive quidam partium situs cum coloris » suavitate. Pulchritudo dividi potest in realem, et idealem: » in physicam, in intellectualem, et moralem; prout species » vel reales, vel ideales, vel physicas, vel intellectivas, vel » morales exhibet (1) ». Sit nobis, in pulchritudinis realis exemplum, illud Ludovici Ariosti carmen:

La Verginella è simile alla rosa,
Che in bel giardin sulla nativa spina,
Mentre sola e sicura si riposa,
Nè greggia, nè pastor se l'avvicina,
L'aura soave e l'alba rugiadosa,
L'acqua, la terra al suo favor s'inchina.
Giovani vaghe e donne innamorate
Amano averne e seni e tempie ornate.

En aliud eiusdem Poetae:

Qual pargoletta damma o capriola,
Che fra le frondi del natio boschetto
Alla madre veduta abbia la gola

(1) *Itiner. mentis in Deum,* cap. 2, num. 5.

Stringer dal pardo, o aprirle il fianco e il petto,
Di selva in selva, dal crudel s'invola,
E di paura trema e di sospetto;
Ad ogni sterpo che passando tocca,
Esser si crede all'empia fera in bocca (1).

Et in exemplum pulchritudinis idealis, sit Bellaquae character ab Aligherio depictus:

Là ci traemmo; ed ivi eran persone,
Che si stavano all'ombra dietro al sasso,
Come l'uom per negghienza a star si pone.
Ed un di lor, che mi sembrava lasso,
Sedeva, ed abbracciava le ginocchia,
Tenendo il viso giù tra esse basso.
O dolce signor mio, diss'io, adocchia
Colui, che mostra sè più negligente,
Che se pigrizia fosse sua sirocchia.
Allor si volse a noi, e pose mente,
Movendo il viso pur su per la coscia,
E disse: Va su tu, che se' valente.
Conobbi allor chi era; e quell'angoscia,
Che m'avvacciava un poco ancor la lena,
Non m'impedì l'andar a lui; e poscia
Che a lui fui giunto, alzò la testa appena,
Dicendo: Hai ben veduto come il sole,
Dall'ómero sinistro il carro mena?
Gli atti suoi pigri, e le corte parole
Mosson le labbra mia un poco a riso;
Poi cominciai: Bellacqua, a me non duole
Di te omai; ma dimmi, per che assiso
Quiritta se'? Attendi tu iscorta,
Oppur lo modo usato t'hai ripriso?
Ed ei: Frate, l'andar in su che porta?
Chè non mi lascerebbe ire ai martìri
L'Angel di Dio che siede in sulla porta.

(1) Ariosto, *Orlando furioso*.

Prima convien che tanto il Ciel m' aggiri
Di fuor da essa, quanto fece in vita,
Perch' io indugiai alfin li buon sospiri;
Se orazione in prima non m' aita,
Che surga su di cor, che in grazia viva:
L' altra che val, che in Ciel non è udita (1)?

Et in exemplum pulchritudinis physicae, sit illud eiusdem Poetae:

Dolce color d' orïental zaffiro,
Che s' accoglieva nel sereno aspetto
De l' aer puro infino al primo giro,
Agli occhi miei ricominciò diletto,
Tosto ch' io usci' fuor dell' aura morta,
Che m' avea contristati gli occhi e 'l petto,
Lo bel pianeta, che ad amar conforta,
Faceva tutto rider l' orïente,
Velando i pesci ch' erano in sua scorta.
Io mi volsi a man destra, e posi mente
All'altro polo, e vidi quattro stelle,
Non viste mai, fuorchè alla prima gente.
Goder pareva il ciel di lor fiammelle,
O settentrional vedovo sito,
Poichè privato se' di mirar quelle (2).

Et in exemplum pulchritudinis intellectivae, sint carmina Aligherii, de forma Paradisi, canentis:

In forma dunque di candida Rosa
Mi si mostrava la Milizia santa,
Che nel suo sangue Cristo fece sposa.
Ma l'Altra, che volando vede e canta
La gloria di Colui, che la innamora,
E la bontà che la fece cotanta,
Sì come schiera d' api, che s' infiora

(1) Purg., c. IV, v. 104.
(2) Purg., c. I.

Una fiata, ed una si ritorna
Là dove suo lavoro s'insapora,
Nel gran fior discendeva, che s'adorna
Di tante foglie, e quindi risaliva
Là dove il suo Amor sempre soggiorna.
Le facce tutte avean di fiamma viva,
E l'ale d'oro, e l'altro tanto bianco,
Che nulla neve a quel termine arriva.
Quando scendean nel Fior, di banco in banco,
Porgevan della pace e dell'ardore,
Ch'egli acquistavan ventilando il fianco.
Nè lo interporsi tra il disopra e il fiore
Di tanta plenitudine volante,
Impediva la vista e lo splendore.
Chè la luce divina è penetrante
Per l'universo, secondo ch'è degno,
Sì che nulla le puote esser ostante (1).

Et in exemplum pulchritudinis moralis, sit illud Aligherii a Virgilio exprobrati, obiurgia damnatorum rudia, audientis:

Ad ascoltarli er'io del tutto fisso,
Quando il Maestro mi disse: Or pur mira,
Che per poco è che teco non mi risso.
Quand' io 'l senti' a me parlar con ira,
Volsimi verso lui con tal vergogna,
Ch' ancor per la memoria mi si gira.
E qual' è quei che suo dannaggio sogna,
Che sognando desidera sognare,
Sì che quel ch'è, come non fosse, agogna;
Tal mi fec'io, non potendo parlare,
Che disiava scusarmi, e scusava
Me tuttavia, e nol mi credea fare.
Maggior difetto men vergogna lava,
Disse il Maestro, che 'l tuo non è stato;
Però d'ogni tristizia ti disgrava:

(1) Parad., c. XXXI, v. 1.

E fa ragion ch' i' ti sia sempre allato,
Se più avvien che fortuna t'accoglia,
Dove sien genti in simigliante piato;
Che voler ciò udire è bassa voglia (1).

147. *Q.* Utrum pulchrum et bonum sint unum?

R. « Sunt unum re, inquit Magister, sed ratione differunt: » ideo alicui, potest ita appropriari unum, cui non approprietur alterum...... Et patet, quia imago dicitur pulchra, quando » bene protracta est; dicitur etiam pulchra, quando repraesen» tat illum (prototypum), ad quem est. Et quod ista sit alia » ratio pulchritudinis, patet, quia contingit, unam esse sine » alia. Quemadmodum dicitur iconia beati Nicolai pulchra, » quia decorem illius repraesentat, tunc placida est; et i» mago diaboli pulchra, quando bene repraesentat foeditatem » diaboli, et tunc foeda est (2) ».

148. *Q.* Quid, et quotuplex sit deformitas?

R. Pulchritudini opponitur deformitas; et est deordinatio entis inconcinna; et esse potest vel in realibus, vel in idealibus, vel in physicis, vel in intellectivis, vel in moralibus. Hinc lucet, tum in errore, cum in malo, nullam posse esse pulchritudinem. Pulchritudo enim dicit verum et bonum, deformitas falsum, malum deordinatumque ponit, et hoc experientia nunciat. Unde enim grandes et immortales scriptores facti, quorum fama totum orbem peragravit, nisi ex veri bonique amoribus, quos, diu noctuque, ante oculos habebant? Unde Homeri, Virgilii, Dantes, Tassii, unde Miltonii, Klopstochii, unde Alferii et Manzonii in suis choris, in suis odis, in suis poematibus, eam vim, illud robur, illud pulchrum, quo te confici penitus sentias, derivarunt, nisi ex natura, ex Deo, veri bonique fontibus? Pulcherrime Augustus Conti: « *Este*» *tica* (ars, quae pulchrum respicit) non est scientia, nec eius

(1) Inf., c. XXX, v. 132.

(2) I. Sent. dist. 31, q. 3, art. 2, par. 2.

» finis est verum; non est ars moralis, neque finis eius est » bonum; sed veritate et bono fulcitur. Nam quaenam pul» chritudo, aut quinam perfectionis ordo, ab arte pulchra re» praesentari potest, nisi quod vero bonoque inhaeret? Poterit » ne haberi, ut mirae perfectionis ordo id, quod absurdum menti, » pravum voluntati, et natura sua inordinatum evadit?..... Ve» ritatum ordo per pulchritudinis species; haec est ars; igitur » pulchritudinem in falso ponere, est nimis absurdum...... Ordo » veritatum et boni per pulchritudinis species; haec est ars; i» taque in turpi, in ignominioso, sive in malo, artium pul» chritudinem ponere, contradictio est manifesta. Iterum inve» recunda referre etiam Ariosti versibus, venustis Bocaccii » verbis, ea effingere etiam praestantia Iulii Romani, ea ca» nere etiamsi suavibus concentibus Olfembachii; haec omnia » sunt abiicienda, cuique enim, decore praedito, turpia fiunt, » ac in arte, indecentia evadunt. Ratio est, quia signa aut » verborum, aut visibilium aspectuum, aut concentuum, per» fectissime utique significabunt, ideoque ut signa pulchra e» runt, sed significatus turpis appellabitur, quia indecenter » inordinatus (1) ».

149. *Q.* Quid sit elegantia?

R: Elegantia est prudens ornamentorum dispositio, ad delectationem entis. Sit in exemplum illud Virgilii:

Qualis populea moerens Philomela sub umbra
Amissos quaeritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumis detraxit; at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, et moestis late loca questibus, implet (2).

(1) *Il Bello nel vero*, lib. I, cap. 10.
(2) *Georg.*, lib. IV, 511.

Et illud Aligherii:

Quali colombe dal disio chiamate
  Con l'ali aperte e ferme, al dolce nido
  Volan per l'aer dal voler portate (1).

Aut aliud eiusdem:

Quali i fioretti dal notturno gelo
  Chinati e chiusi, poi che il sol gl'imbianca,
  Si drizzan tutti aperti in loro stelo (2).

150. *Q.* Quid sit venustas?

R. Venustas est entis pulcherrima fascinatio. Sit in exemplum illud Aligherii:

Come l'augello intra le amate fronde,
  Posato al nido de' suoi dolci nati
  La notte che le cose ci nasconde,
Che, per veder gli aspetti desiati,
  E per trovar lo cibo onde gli pasca,
  In che i gravi labori gli son grati,
Previene il tempo in su l'aperta frasca,
  E con ardente affetto il sole aspetta,
  Fiso guardando, pur che l'alba nasca;
Così la donna mia si stava eretta
  Ed attenta, rivolta invêr la plaga
  Sotto la quale il Sol mostra men fretta;
Sì che veggendola io sospesa e vaga,
  Fecemi qual è quei, che desiando
  Altro vorria, e sperando s'appaga (3).

Aut aliud divi Poetae in Paradiso, de Divo Gregorio ridente, canentis:

E Dionisio con tanto disio
  A contemplar quest' ordine si mise,
  Che li nomò e distinse, com' io.

(1) Inf., c. V, v. 82.
(2) Inf., c. II, v. 127.
(3) Parad., c. XXIII, v. 1.

Ma Gregorio da lui poi si divise;
Onde, sì tosto come gli occhi aperse
In questo Ciel, di sè medesmo rise (1).

151. *Q.* Quid sit gratia?

R. Gratia est motus formarum dulcis in ente, qui rapit affectum. Serviat ad exemplum illud divinae Comoediae:

Come le pecorelle escon dal chiuso
Ad una, a due, a tre, e l'altre stanno
Timidette atterrando e l'occhio e il muso,
E ciò che fa la prima, e l'altre fanno,
Addossandosi a lei s'ella s'arresta,
Semplici e quete, e lo 'mperchè non sanno:
Sì vid'io mover, a venir, la testa
Di quella mandria fortunata allotta,
Pudica in faccia, e nell'andare onesta (2).

152. *Q.* Quid sit nobile?

R. Nobile est aliquid in ente signatum, et rarum. Sic Dantes Italiam nobiliter arguit:

Ahi serva Italia, di dolore ostello,
Nave senza nocchiero in gran tempesta,
Non donna di provincie, ma bordello!
Quell'anima gentil fu così presta,
Sol per lo dolce suon della sua terra,
Di fare al cittadin suo quivi festa;
Ed ora in te non stanno senza guerra
Li vivi tuoi, e l'un l'altro si rode
Di quei che un muro ed una fossa serra.
Cerca, misera, intorno dalle prode
Le tue marine, e poi ti guarda in seno,
S'alcuna parte in te di pace gode.
Che val, perchè ti racconciasse il freno

(1) Parad., c. XXVIII, v. 130.
(2) Purg., c. III, v. 82.

Giustiniano, se la sella è vota?
Senz'esso fora la vergogna meno.
Ahi gente, che dovresti esser divota,
E lasciar seder Cesar nella sella,
Se bene intendi ciò che Dio ti nota!
Guarda com'esta fiera è fatta fella,
Per non esser corretta dagli sproni,
Poi che ponesti mano alla predella.
O Alberto Tedesco, che abbandoni
Costei, ch'è fatta indomita e selvaggia,
E dovresti inforcar li suoi arcioni,
Giusto giudicio dalle stelle caggia
Sovra 'l tuo sangue, e sia nuovo ed aperto,
Tal che il tuo successor temenza n'aggia:
Chè avete tu e il tuo padre sofferto,
Per cupidigia di costà distretti,
Che il giardin dell'imperio sia diserto.
Vieni a veder Montecchi e Cappelletti,
Monaldi e Fillippeschi, uom senza cura,
Color già tristi, e costor con sospetti.
Vieni, crudel, vieni e vedi la pressura
De' tuoi gentili, e cura lor magagne,
E vedrai Santafior com'è sicura.
Vieni a veder la tua Roma che piagne,
Vedova, sola, e dì e notte chiama:
Cesare mio, perchè non m'accompagne?
Vieni a veder la gente quanto s'ama;
E se nulla di noi pietà ti muove,
A vergognar ti vien della tua fama (1).

153. *Q.* Quid sit magnificum?

R. Magnificum est ens in amplitudine suorum conceptuum. Sic Aligherius in trigesimo quarto Inferni, Luciferi visionem magnifice pingit:

(1) Purg., c. VI, v. 76.

Come, quando una grossa nebbia spira,
O quando l'emisperio nostro annotta,
Par da lungi un mulin che 'l vento gira;
Veder mi parve un tal dificio allotta;
Poi per lo vento mi restrinsi retro
Al Duca mio; chè non v'era altra grotta.
Già era (e con paura il metto in metro)
Là, dove l'ombre tutte eran coperte,
E trasparèn come festuca in vetro.
Altre stanno a giacere, altre stanno erte,
Quella col capo, e quella colle piante,
Altra, com'arco, il volto a' piedi inverte.
Quando noi fummo fatti tanto avante,
Che al mio Maestro piacque dimostrarmi
La creatura, ch'ebbe il bel sembiante,
Dinnanzi mi si tolse, e fe' restarmi,
Ecco Dite, dicendo, ed ecco il loco
Ove convien che di fortezza t'armi.
Com'io divenni allor gelato e fioco,
Nol dimandar, lettor, ch'io non lo scrivo,
Però che ogni parlar sarebbe poco.
Io non morii, e non rimasi vivo:
Pensa oramai, per te, s'hai fior d'ingegno,
Qual' io divenni, d'uno e d'altro privo.
Lo 'mperador del doloroso regno
Da mezzo 'l petto uscia fuor della ghiaccia;
E più con un gigante io mi convegno,
Che i giganti non fan colle sue braccia;
Vedi oggimai quant' esser dee quel tutto
Ch' a così fatta parte si confaccia.
S'ei fu sì bel, com'egli è ora brutto,
E contra 'l suo Fattore alzò le ciglia,
Ben dee da lui procedere ogni lutto (1).

154. *Q.* Quid sit mirum?

R. Mirum est ens extraordinarium sui, singularem suae

(1) Inf., c. XXXIV, v. 4.

virtutis revelationem manifestans. Exempli causa, illud Aligherii de Lucifero, de Iuda, de Bruto, et Cassio in Inferno canentis, legito in cantu trigesimo quarto:

O quanto parve a me gran meraviglia,
  Quando vidi tre facce alla sua testa!
  L'una dinanzi, e quella era vermiglia;
Dell'altre due, che s'aggiugnèno a questa
  Sovr'esso 'l mezzo di ciascuna spalla,
  E si giugnèno al luogo della cresta,
La destra mi pareva tra bianca e gialla;
  La sinistra a veder era tal, quali
  Vengon di là, onde 'l Nilo s'avvalla.
Sotto ciascuna uscivan duo grand'ali,
  Quanto si conveniva a tanto uccello;
  Vele di mar non vid'io mai cotali.
Non avean penne, ma di vipistrello
  Era lor modo; e quelle svolazzava,
  Sì che tre venti si movèn da ello.
Quindi Cocito tutto s'aggelava:
  Con sei occhi piangea, e per tre menti
  Gocciava il pianto e sanguinosa bava.
Da ogni bocca dirrompea co' denti
  Un peccatore a guisa di maciulla,
  Sì che tre ne facea così dolenti.
A quel dinanzi il mordere era nulla,
  Verso 'l graffiar, che tal volta la schiena
  Rimanea della pelle tutta brulla.
Quell'anima lassù, che ha maggior pena,
  Disse 'l Maestro, è Giuda Scariotto,
  Che il capo ha dentro, e fuor le gambe mena.
Degli altri due c'hanno il capo di sotto,
  Quei, che pende, dal nero ceffo è Bruto:
  Vedi come si storce, e non fa motto:
E l'altro è Cassio, che par sì membruto (1).

(1) Inf., c. XXXIV, v. 39.

155. *Q.* In quo sit sublime?

R. Sublime, vel a vocibus *super limo*, vel *superiori a limine* inductum, in eo stat, ut aliquid exhibeat longe excedens intuentis facultatem; ac proinde quoad considerantem quasi vestigium infiniti praesefert. Hinc celebre evasit illud Moysis, etiam a Longino laudatum: Dixit Deus: fiat lux: et facta est lux. Et illud Iobbi: Pereat dies, in qua natus sum, et nox in qua dictum est: conceptus est homo. Et illa Psalmorum: Super flumina Babylonis illic sedimus, et flevimus, cum recordaremur Sion; et non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. Et illud Horatii, de iusto loquentis: Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinae. Et alterum de Catone: Et cuncta terrarum subacta, praeter ferocem animum Catonis. Et aliud Caesaris ad nautam: Quid times? Caesarem vehis.

156. *Q.* Quotuplex sit sublime?

R. Sublime triplex est: vel physicum, vel psychicum, vel morale. Ad primum, sive physicum, quod exurgit ex extensione, et intensitate entis, coelum, mare, planities absque ullis limitibus, montes, rupes, torrentesque hinc praecipites, aquilones sylvam perflantes, tempestatesque sonorae; his intermixta fulgura, fulmina; aer nocte, et nubibus obscuratus, graviter a longe personantia sacra, vel bellica aera, et alia huiusmodi, pertinent.

Ad psychicum, quod potentiam incommensurabilem entis, sapientiamque incomprehensibilem prospicit, spectant portenta divinitatis, immensitas, aeternitas, itemque bella, victoriae, caedes, obsessiones, urbium vastationes, et similia magnis affectibus connexa.

Ad morale, quod potentiam rationis supremam, in actibus super sensus, et humanam debilitatem, manifestat, ingentis fortitudinis actiones, ut venia immerenti concessa, vita inimico servata, aerumnae, pericula, exilium, mors, forti animo tolerata, et animus furentibus affectibus maior, referuntur.

In exemplum primi, sive physici, sit illud Aligherii:

. . . . Più non si desta
Di qua dal suon dell' angelica tromba.
Quando verrà la nemica podesta,
Ciascun ritroverà la trista tomba,
Ripiglierà sua carne e sua figura,
Udirà quel che in eterno rimbomba (1).

In exemplum secundi, sive psychici, serviant Divini Poetae carmina:

Un Punto vidi, che raggiava lume
Acuto sì, che il viso, ch' egli affoca,
Chiuder conviensi, per lo forte acume:
E quale stella par quinci più poca,
Parebbe luna, locata con esso,
Come stella con stella si collòca.
Forse cotanto, quanto pare appresso
Alo cinger la luce che il dipigne,
Quanto il vapor che il porta più è spesso,
Distante intorno al punto un cerchio d' igne
Si girava sì ratto, ch' avria vinto
Quel moto che più tosto il mondo cigne.
E questo era da un altro circumcinto,
E quel dal terzo, e il terzo poi dal quarto,
Dal quinto il quarto, e poi dal sesto il quinto.
. . . .
La donna mia, che mi vedeva in cura
Forte sospeso, disse: Da quel Punto
Depende il Cielo, e tutta la natura (2).

In exemplum tertii, sive moralis, sint verba Chrysostomi, de sua expulsione loquentis:

« Multi quidem fluctus, et undae immanes: sed submergi » non vereor, quia supra petram sto. Insaniat licet mare, pe-

(1) Inf., c. VI, v. 94.
(2) Parad., c. XXVIII, v. 15.

» tram non potest commovere. Insurgant quantumlibet fluctus, navis Iesu obrui non potest. Sed quid putant? ne mortem verear, cui vivere Christus est, et mori lucrum? Ne exilium pertimescam, qui noverim Domini esse terram, et plenitudinem eius? Sed bonorum proscriptionem metuam, qui sciam, quod nihil intulerim in hunc mundum, sed neque auferre quid possim? Quidquid terroris habet mundus, contemno; quidquid detestabile habet, rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horresco, mortem non timeo. Vita enim mihi ad vestrum profectum tantummodo ducitur; sed charitatem vestram precor, ut aequo animo sitis. Nemo enim, nos a vobis poterit divellere; quos enim Christus coniunxit, homo non separabit (1) ».

157. *Q.* Quid sit horribile, et terribile?

R. Hae notiones magnifico, et sublimi sunt affines; stantque in eo, quod terribile praesentit entis ruinam, et horribile vage et indeterminate ruinam entis cognoscit. Sic terrorem horroremque suscitat Aligherius, de comitis Hugolini morte disserens, in cantu trigesimo tertio Inferni:

Breve pertugio dentro dalla muda,
La qual per me ha 'l titol della fame,
E in che convien ancor ch' altri si chiuda,
M' avea mostrato per lo suo forame
Più lune già, quand' i' feci il mal sonno,
Che del futuro mi squarciò il velame.
Questi pareva a me maestro e donno,
Cacciando i lupi e i lupicini al monte,
Per che i Pisan veder Lucca non ponno,
Con cagne magre, studïose e conte
Gualandi con Sismondi e con Lanfranchi
S' avea messi dinanzi dalla fronte.
In picciol corso mi pareano stanchi

(1) Homil. cum de expulsione S. Ioannis ageretur.

Lo padre e i figli, e con l'agute scane
Mi parea lor veder fender li fianchi.
Quando fui desto innanzi la dimane,
Pianger senti' fra 'l sonno i miei figliuoli,
Ch'eran con meco, e dimandar del pane.
Ben se' crudel, se tu già non ti duoli
Pensando ciò ch' 'l mio cor s'annunziava:
E se non piangi di che pianger suoli?
Già eran desti, e l'ora s'appressava
Che 'l cibo ne soleva essere addotto,
E per suo sogno ciascun dubitava:
Ed io sentii chiavar l'uscio di sotto
All'orribile torre; ond' io guardai
Nel viso a' miei figliuoi senza far motto.
I' non piangeva; sì dentro impietrai:
Piangevan elli: ed Anselmuccio mio
Disse: Tu guardi sì, padre, che hai?
Però non lagrimai, nè rispos' io
Tutto quel giorno, nè la notte appresso
Infin che l'altro sol nel mondo uscio.
Come un poco di raggio si fu messo
Nel doloroso carcere, ed io scorsi
Per quattro visi il mio aspetto istesso;
Ambo le mani per dolor mi morsi.
E quei, pensando ch'io 'l fessi per voglia
Di manicar, di subito levorsi,
E disser: Padre, assai ci fia men doglia,
Se tu mangi di noi: tu ne vestisti
Queste misere carni, e tu le spoglia.
Queta' mi allor per non farli più tristi:
Quel dì e l'altro stemmo tutti muti:
Ahi dura terra, perchè non t'apristi?
Posciachè fummo al quarto dì venuti,
Gaddo mi si gittò disteso a' piedi,
Dicendo: Padre mio, chè non m'aiuti?
Quivi morì: e come tu me vedi,

Vid' io cascar li tre ad uno ad uno
Tra 'l quinto dì e il sesto: ond' io mi diedi
Già cieco a brancolar sovra ciascuno,
E due dì li chiamai, poichè fur morti;
Poscia, più che 'l dolor, potè il digiuno (1).

CAPUT VI.

DE ENTIUM DURATIONE.

158. *Q.* Quid sit, et quotuplex entis duratio?

R. Duratio entis, est entis continuatio; et triplex exurgit, scilicet aeterna, aevi aeterna, et temporanea. Prima ad Deum, qui est immutabilis; secunda, ad substantias creatas, intelligentia praeditas, ut sunt angeli, et homines; tertia, ad res corporeas pertinet. Prima dicitur aeternitas, quae a nostro Magistro definitur, ut carentia principii, sive privatio omnis principii (2). Secunda est aevi aeternitas, quae habet principium, sed non finem, de qua, in anthropologia, erit praecipue disserendum. Tertia est tempus, quod a scholasticis cum Aristotele, ut mensura motus, secundum prius et posterius, habetur.

159. *Q.* Quotuplex distinguendum sit de aeterno?

R. Aeternum dicitur tripliciter a nostro Duce: aut quantum ad durationem, aut quantum ad finis indeterminationem, aut quantum ad significationem. Primo modo dicitur dupliciter: aut quia caret principio, et fine; aut quantum ad privationem termini. Similiter secundo modo dicitur dupliciter: aut quia non ita fit simul, quin oporteat fieri pluries, secundum illud: serviet aeterno qui parvo nesciet uti; aut quia non determinatur terminus. Tertio modo dicitur dupliciter: aut quia signat aeternum, aut quia signat, et ducit in cognitionem vi-

(1) Inf., c. XXXIII, v. 66.

(2) I. Sent. dist. 31, par. 2, art. 1 ad 3.

tae aeternae (1). Ex his eruitur, tum aeternitatem, tum immutabilitatem, tum necessitatem esse solius Dei, qui ita est, ut non possit non esse. Solum enim est ens. Contingentia autem, temporalitas, et successio ad res tum intellectuales cum corporeas extenditur. Haec enim sunt in tempore, proindeque non habent esse fixum, sed fluens. Sed haec magis enitescent ex doctrina seraphica nostri Doctoris, qui loquens de immutabilitate Dei, sic perbelle scribit: « Immutabilitas dicitur per » privationem mutabilitatis; mutatio autem dicitur tripliciter: » uno modo: ab ente in ens, et haec est mutatio secundum » accidens, et dicitur variatio. Alio modo; ab ente simpliciter » in ens potentia, sive secundum quid; et haec est mutatio » secundum formam, et dicitur corruptio. Alio modo est mu- » tatio ab ente in simpliciter non ens, et haec est secundum » totam rei substantiam, et dicitur versio. Secundum hoc in- » telligendum quod immutabilitas dicitur tripliciter: uno modo, » invariabilitas; alio modo, incorruptibilitas, et tertio modo, » invertibilitas. Si ergo immutabilitas dicatur invariabilitas, » sic dico, quod in nulla omnino est creatura, neque per na- » turam, neque per gratiam; nam omne creatum, aut est ac- » cidens, aut habet accidens, et ita variabile. Sic accepta im- » mutabilitas proprie proprium ipsius Dei est. Si autem di- » catur immutabilitas, incorruptibilitas, sic dico, quod in » aliquibus est creaturis; in quibusdam per naturam est, puta » in simplicibus; in quibusdam per gratiam est, puta in glo- » rificatis corporibus. Nec sic est proprie proprium divinae » essentiae. Si vero tertio modo dicatur immutabilitas, sic o- » mnibus inest creaturis per gratiam, nulli autem per natu- » ram, nisi soli Deo. Invertibile enim per naturam, est quod » ex seipso habet, ut possit stare. Hoc autem est, in quo nulla » vanitas, vel varietas, et in quo nulla omnino est essentiae » mutatio, et hoc est solum Aeternum; ideo haec invertibili-

(1) IV. Sent. dist. 3, q. 1, par. 2, art. 2.

» tas est in solo Deo, et est proprie proprium eius. Inverti-
» bilitas autem per gratiam inest omnibus, vel pluribus crea-
» turis, quia Deus, sua gratuita bonitate, caetera continet, ne
» in nihil cedant; et loquor de creaturis, quae dicunt quid
» completum, et per se existens. Concedendum igitur, quod
» immutabilitas, prout privat variationem secundum accidens,
» quantum ad naturam, et potentiam, solius Dei est. Similiter
» ut privat mutationem in non esse secundum actum, et po-
» tentiam, quantum est de natura solius Dei est, licet per
» gratiam conveniat multis creaturis (1). Sicut dicit Boethius,
» Deus, stabilis manens, dat cuncta moveri; unde divina es-
» sentia est immutabilis. Non enim mutatur loco, quia ubique
» est. Non tempore, quia aeternitas simul est. Non forma,
» quia purus actus est. Unde mutationem secundum formam
» tollit simplicitas, secundum tempus tollit aeternitas, secun-
» dum locum tollit immensitas. Et ideo in Deo est summa
» stabilitas. et inde omnis motus causalitas...... Quia omnis
» motus procedit ab immobili, ut cum movetur manu, stat cu-
» bitus, et movetur cubitus, stante humero, quia ergo Dei sa-
» pientia est stabilis, unde omnia movet (2) ».

160. *Q.* Utrum tempus coeperit esse in tempore?

R. Docet Magister: « quod differt dicere, aliquid fieri *ex*
» tempore, et *in* tempore, et *cum* tempore. *Ex* enim importat
» ordinem: *in* importat continentiam: *cum* importat simulta-
» tem; et ideo nihil est factum in tempore, nec ex tempore,
» nisi quod exceditur a tempore. Quia igitur tempus, et ea,
» quae in primordio temporis creata sunt, a tempore non ex-
» ceduntur; ideo dicit ea esse creata cum tempore, non in
» tempore, nec ex tempore. Et ideo, cum Deus dicatur Do-
» minus respectu omnis rei creatae, Deus non potuit incipere
» Dominus esse *ex* tempore, nec *in* tempore, proprie acci-

(1) I. Sent. dist. 8, par. 1, art. 2, q. 2.

(2) Loco cit. q. 1 in concl.

» piendo habitudinem eius, quod est *ex*, et *in*, nos autem in » communi sermone large accipimus ». Quod si quaeris, utrum Deus incoeperit esse Dominus, dicendum « quod Dominus uno » modo importat potestatem coercendi subditos; et sic dicit » praesidentiam secundum habitum, et convenit Deo ab ae» terno. Alio modo importat praesidentiam actualem respectu » servi; et sic incoepit esse Dominus, non ratione mutationis » factae in ipso, sed ratione mutationis factae in suo corre» lativo (1) ».

161. *Q.* Quot modis accipi possit tempus?

R. Tempus accipi consuevit quadrupliciter, scilicet « com» munissime, communiter, proprie, et magis proprie. Com» munissime: tempus dicit mensuram cuiuslibet durationis » creatae.... Communiter: sic dicit mensuram mutationis cuius» cumque, sive illius, quae est de non esse in esse, sive al» terius, quae est de uno esse, in aliud esse..... Tertio modo » proprie: et sic dicit mensuram variationis successivae, sive » sit successiva successione regulari, et continua, sive non..... » Quarto modo accipitur magis proprie: et sic dicitur men» sura motus, sive variationis successivae, et continuae, et re» gulatae...... Ex explanatis patet, quod si tempus accipiatur » primo modo, sic includit aevum;..... si autem secundo modo, » tempus praecedit aevum, secundum rationem intelligendi, » sicut creatio esse creatum. Si autem tertio modo, aevum » et tempus simul sunt duratione: sed aevum prius est di» gnitate. Si autem quarto modo, sic aevum praecedit tem» pus, et duratione, et dignitate (2) ».

162. *Q.* Utrum sit differentia inter aevum, et tempus?

R. Aevum inter et tempus, permaxima differentia intercedit. Aevum enim dicit mensuram spiritualium, tempus materialium; unde Boethius..... qui tempus ab aevo ire iubes.....

(1) II. Sent. dist. 2, par. 1, dub. 2.

(2) II. Sent. dist. 2, q. 1, par. 1, art. 2 in concl.

Secundo, aevum est mensura perpetuo durantium, tempus mensurat entis alterationem. Tertio, aevum, solius esse incommutabilis est mensura; tempus entis variationem signat. Tempus igitur, et aevum, permaxima differentia, discrepant.

163. *Q.* Utrum omnium aevi aeternorum sit unum aevum?

R. « Aeva sunt plura. Aevum enim est mensura rei per» fectae, et multum habentis de specie, sive de forma. Si ergo » aevum maxime consequatur esse completum, cum illud non » sit unum numero, sed tantum specie, videtur quod aevum » sit unum tantum secundum speciem; ergo non datur aevum » unum numero, sed quot sunt aevi aeterna, tot aeva sunt » ponenda. Insuper, omnibus aliis corruptis, possibile est u» nicum angelum remanere, cum non dependeat ab aliis an» gelis; et si remanet in esse completo, habet mensuram con» sequentem illud esse, et hoc est aevum: ergo remanet ae» vum, quolibet angelo remanente; et totum remanet, et per» fectum; ergo quot sunt angeli, tot sunt aeva..... Denique » aevum, esse actuale respicit, et esse stabile, sed tempus » materiam, ut in potentia. Et ideo sicut unitas temporis con» formatur materiae, sic unitas aevi conformatur formae, non » inquam formae, in quantum haec vel illa, sed in quantum » immutabilis. Unde sicut linea in corporibus, quantumcum» que diversis, ponitur eadem specie; sic aevum habet unita» tem universalis, non unitatem, quam habet tempus. Et sic » concedendum est, non esse unum aevum aevi aeternorum, » sed multa; sicut sunt plures formae (1) ».

164. *Q.* Utrum omnium temporalium sit unum tempus?

R. Omnium temporalium, tempus est unum; quia ex nostro Magistro, « unitas temporis sumitur ab unitate subiecti, a quo » causatur. Subiectum autem, a quo causatur, est materia ut » mutabilis, et ita, ut ens in potentia. Nam materia, ut est in » aquisitione formae, mutatur; et sic est ens in potentia, et

(1) II. Sent. dist. 2, q. 2, par. 1, art. 1 in concl. et in fundam

» ideo tempus maxime inter omnia accidentia, se tenet plus
» cum materia. Sicut igitur materia una est per essentiam,
» differens per esse, non unitate universalitatis, nec singula-
» ritatis, sed medio modo; sic et tempus in omnibus tempo-
» ralibus. Et si quaeras, unde est hoc, quod tempus est unum,
» cum tamen motus sint varii, dicendum: quod motus defini-
» tur per *id ad quod est*, unde motus respicit motorem, et
» mobile, et terminum: tempus autem respicit ipsam dura-
» tionem variam, et successivam, quae venit ex potentia rei
» mobilis. Et quia tempus naturae duranti consimilius est, et
» natura illa, supra quam fundatur, est una numero, ideo
» tempus non tantum est unum specie in omnibus tempora-
» libus, imo etiam quantum ad essentiam unum numero, dif-
» ferens per esse, sicut posuerunt omnes sapientes, qui circa
» hanc materiam locuti sunt. Si autem quaeras, quare non sic
» est in aliis quantitatibus, cum omnes respiciant materiam,
» dicendum: quod aliae omnes, etsi esse incompletum habeant
» in materia (nam sunt in materia dimensiones infinitae), ta-
» men esse completum ipsarum, est a materia existente sub
» forma. Tempus autem habet esse ex hoc: quod materia
» tendit ad formam, propter hoc, quod causatur a motu, qui
» est entelechia entis in potentia, et ideo tenet se maxime
» ex parte materiae, et ideo minime distinctum. Nec dico,
» quod tempus sit in ipsa materia omni forma circumscri-
» pta..... quia non est vicissitudo aliqua in materia, nisi cum
» in ea est aliqua forma; sed quamvis sit in materia, quae
» est sub forma, et ab ipsa causetur: magis tamen causatur
» a materia, ut tendit ad formam, et sic est in materia, ra-
» tione suae potentiae (1) ».

165. *Q.* Utrum in aevo sit successio aeque ac in tempore, et innovatio?

R. « Positio probabilior, nostro Duce dicente, et intelligi-

(1) II. Sent. dist. 2, q. 2, par. 1, art. 1 in concl.

» bilior est; quod in aevo est ponere prius, et posterius: et » est ponere aliquam successionem, aliam tamen successio- » nem, quam in tempore. In tempore enim est successio cum » variatione; et prius, et posterius cum inveteratione, et re- » novatione. In aevo vero est prius et posterius, quod dicit » durationem extensionis; quod tamen nullam dicit varieta- » tem, nec innovationem..... Quod si forte quaeratur, quomodo » posset esse prius et posterius, sine novitate circa esse, di- » cendum: quod sicut videmus, quod aliter egreditur fluvius » a fonte, aliter radius a sole, sic in proposito videmus. Nam » rivulus sic egreditur a fonte, quod nova aqua semper exit, » non eadem: radius a sole continue egreditur; non quia » semper novum aliquid emittatur, sed quia quod emissum est, » continuatur. Unde solis influentia non est aliud, quam continua- » tio dati. Similiter in motu, et in esse rei mobilis, aliqua pro- » prietas habita amittitur, vel non habita acquiritur. Sed in » esse rei aevi aeternae, quod primo datum est, per conti- » nuam Dei influentiam, continuatur. Nulla enim creatura est » omnino actus, nec aliqua eius virtus; unde continue indiget » divina virtute cooperante. Ideo etsi esse totum habeat, ta- » men continuationem esse, non habet totum simul: et ideo » est ibi successio sine aliqua innovatione circa esse, vel pro- » prietatem absolutam: tamen ibi est vera continuatio, re- » spectu cuius creatura habet esse quodam modo in potentia, » ac per hoc habet successionem. Deus igitur solus, qui est » actus purus, est actu infinitus; et totum esse, et posse, sui » esse simul habet (1) ».

166. *Q.* Utrum inter aevum, et tempus sit aliud mensurans?

R. Inter aevum, et tempus nullum aliud est mensurans. « Aevi enim proprietas est esse sine alteratione, et secundum totum metiri; temporis vero, quod in alteratione est aliter, et aliter se habens; media vero entium, quae illinc quidem

(1) II. Sent. dist. 2, q. 3, par. 1, art. 2.

aevo, illinc tempore participant. Ergo omnia, quae sunt vel totaliter aevo, vel totaliter tempore, vel partim aevo, vel partim tempore mensurantur; ergo non est alia mensura praeter tempus, et aevum. Item omne creatum aut est stabile, et incorruptibile, aut variabile, et corruptibile; sed primum mensuratur aevo, et secundum tempore; ergo nihil est medium inter aevum, et tempus. Denique esse omnis entis creati, aut est terminabile, aut interminabile; si est terminabile, sic mensuratur tempore, quod est principium corruptionis, quia facit distare quod est. Si vero interminabile, sic aevo; ergo non videtur quod sit aliquod tertium mensurans praeter haec duo (1) ». Dixi non videtur, quia quod ab antiquis doctoribus appellatum fuit saeculum, prout mensurat successionem habentem continuationem, ad aevum; prout ponit in affectionibus variationem, ad tempus, revocatur.

167. *Q.* Quaenam sint notatu digna circa tempus?

R. Quamquam tempus, iam definitum fuisset ab Aristotele: tamen eius notio difficile est explanare. Qui hoc negat, maxima laborat levitate. Quae sequuntur, notatu digna, principaliter reputamus:

Primo, motus a tempore mensuratur, sed hoc integre non definitur; est enim aliquid aliud, quam motus mensura, distensionem etiam amplectit, scilicet praeterita, praesentia, et futura.

Secundo, nulla est duratio, sine re durabili; ergo non est duratio a rebus separata, cum nihilo enim, nulla duratio reperiri potest.

Tertio, nulla est successio, sine rebus sibi successivis. Ergo successio, quamquam abstracte haberi possit, tamen realiter, sine formis rerum, non habetur.

Quarto, tempus igitur prius et posterius copulat, et per consequens successioni inhaeret; imo est ipsa successio, quia

(1) II. Sent. dist. 2, q. 2, par. 1, art. 2.

hanc concipientes, tempus concipimus. Hinc illa definitio temporis nempe: *fluxus ipsius nunc*, secundum quod alternatur ratione.

Quinto, tempus, priusquam esset mundus, non erat. In rebus enim realiter stat; ordoque est inter ens, et non ens.

Sexto, tria complectit tempus; praesens, praeteritum, et futurum. Praesens tantum est absolute tempus, si sine relatione ad praeteritum et futurum, concipio. Sed futura, et praeterita, sine praesente, non concipiuntur.

Septimo, sicut temporis praeteriti idea, est perceptio vel non entis, vel entis dextructi, cum respectu ad praesens: sic futuri idea, est entis possibilis perceptio, a praesenti dependens.

Octavo, temporis idea, ab experientia exurgit, quae lumine divino rationis illuminata, ad intelligibilitatis ordinem spectat.

Nono, inter temporis ideam, et principii contradictionis, intima relatio intercedit. Illud enim hanc, haec illud reciproce explanat. Cum enim principium contradictionis in exclusione entis, vel non entis, consistat: cumque idea temporis sit perceptio ordinis inter ens, et non ens; clare prospicitur, ideam temporis, et principii contradictionis, intimam habere relationem.

Decimo, sine temporis idea, tum memoria, tum conscientiae unitas, evanescit.

168. *Q.* Quaenam inter tempus, et spatium, eveniat similitudo?

R. Inter tempus, et spatium, similitudo evenit pulcherrima, et integra ex omni parte. Nam primo, spatium in se nihil est a corpore distinctum, est enim ipsa corporis extensio; tempus, per se, extra res, nihilum est; ipsamet enim rerum successio est. Secundo, idea spatii est idea extensionis, in tota sua universitate; idea temporis, est idea successionis, in tota sua universitate. Tertio, sine corpore, non est spatium: sine successivo, non est tempus. Quarto, spatium infinitum, aut

ante, aut extra corpora, est illusio fantastica; tempus infinitum, aut ante, aut extra res, similiter est illusorium. Quinto, spatium est continuum; et continuum est tempus. Sexto, una spatii pars alteram excludit; sic unum temporis punctum, alterum pellit. Septimo, spatium purum, in quo sint corpora collocanda, est imaginationis ludus; successio pura, qua sint succedenda, pariter est illusoria. Octavo, Ens pure simplex, non indiget spatio; stat enim sine ipso; Ens pure immutabile, tempus excludit, est enim sine ipso. Nono, simplex est infinitum, et quin ullam simplicitatem perdat, omnibus spatii punctis adest; immutabile est infinitum, et, quin suae offendat aeternitati, omnibus temporis punctis, est praesens. Decimo, duo distant spatio, cum sint corpora interposita; haec abstantia nihil aliud est quam corporum distensio: duo entia distant tempore, quia sunt alia interposita; haec abstantia, est eadem entium interpositorum existentia. Undecimo, extensio nullo alio ad se collocandum indiget; secus esset processus in infinitum; successio nullo alio indiget, secus esset infinita successio, quod est maxime absurdum. Duodecimo, ut varias extensionis partes secernentes, unamque aliam excludentem percipientes, ideam in spatio successionis continuam effingimus; sic ideam successionis in tempore continuam, facta varia secernentes, unumque aliud excludens, efformamus. Decimotertio, opus est mensura, et relatione ad ipsam, ad ideas partium, in spatio determinatas, confingendas; et eadem ipsaque relatione, ad ipsam necesse est, quoad tempus. Ad spatium mensurandum, est corporis cogniti extensio; similiter ad tempus, est mutationis cognitae series. Ad spatium est palmus, aut dodrans, aut spithama, et aliquid his simile; ad tempus est corporum coelestium motus; motus lunae, diei, solis, et sideris. Decimoquarto, idea numeri servit ad spatium, eiusque differentiam determinandam; eademque idea, ad tempus significandum usurpatur.

METAPHYSICAE GENERALIS FINIS.

METAPHYSICA SPECIALIS

COSMOLOGIA.

169. *Q.* Quid sit cosmologia?

R. Cosmologia idem sonat ac sermo de mundo. Mundi nomine designatur, creatarum universitas rerum, quae coelo terraque continentur. Ad hanc scientiam, late sumptam, pertinet ergo tum homo, tum angelus, tum bruta, tum plantae, tum coelum, tum terra, tum loca, tum tempora; et omnia contingentia, quae vivunt. Sed scientia de homine, ad anthropologiam, de angelo directe ad revelationem, de brutis ad zoologiam, de terra ad geologiam, de plantis ad botanicam, de coelo ad astronomiam, de mari ad nauticam, de locis ad geographiam, de tempore ad chronologiam, spectat. Nos igitur tantum de mundo sensibili disseremus; et cosmologia, hoc sensu accepta, definitur: scientia, quae suprema principia, supremasque rationes mundi sensibilis et viventis, exponit. Haec autem tractatio quinque capitibus erit expendenda. In primo de universi existentia: in secundo, de mundi creatione: in tertio, de natura corporali: in quarto, de scala creationis: et in ultimo, de mundi legibus, agemus.

CAPUT I.

DE UNIVERSI EXISTENTIA.

170. *Q.* Utrum existat mundus?

R. Mundus existit, quia nos exteriora sentimus, et apprehendimus realiter, et empyrice; sed si haec non essent, apprehensio, et sensatio impossibilis evaderet; ergo mundus sensilis existit. Secundo, visus, auditus, odoratus, et tactus, mundum externum supponunt, secus essent facultates non facultates, media ad nihilum; sed hoc est absurdum; ergo existit mundus. Tertio, in substantia cogitante, contraria esse non possunt; sed si mundus sensilis non existeret, ipsi inhaererent contraria, nam, secundum idealistarum hypothesim, animus creans exteriora obiecta vellet, et eodem tempore ad ea repugnaret, quia voluntati adversa; ergo mundus sensibilis existit. Quarto, sentire seipsum, idem est ac sentire extensum, materiale, ponderabile, impenetrabile; sed hoc est corporeum; ergo corpora existunt. Nec quis obiiciat, id omne esse tantum subiectivum; nam animus sentiens est uniformis, constans, ipsimet semper identicus; sensationes autem inconstantes sunt continuaeque mutationi, obnoxiae. Insuper si sensationum causa, esset unica animae activitas, hae ad nostrum essent arbitrium; sed hoc non accidit; nam extensum, ut extensum, grave, ut grave, reapse sentimus. Denique, si quis dicat, Deum sensationum esse causam, non minus veritate aberrat. Quidquid enim rei est essentiale, quin destruatur, tolli nequit; sed ad veram sensationem, est essentiale sentitum; ergo Deus non est causa, ad sensibilia percipienda. Praeterea si Deus, in nobis sensationes, sine re, crearet, a nobis sentiretur quod non est; sed hoc esset dolosum et fallax, quod in Deo esse nequit: ergo mundus sensibilis reapse existit.

171. *Q.* Utrum mundus a Deo distinguatur?

R. Mundus a Deo prorsus distinguitur. Mundus enim secernitur a Deo, si ipsi proprietates inhaereant realiter distinctae; sed mundus, proprietates realiter distinctas a Deo, habet; quia mundus est finitus, Deus infinitus; mundus imperfectus, Deus perfectus; mundus est in potentia, Deus in actu; mundus est secundum quid, Deus ens simpliciter; mundus in parte, Deus totaliter; mundus transiens, Deus manens; mundus per aliud, Deus per se; mundus permixtus non enti, Deus ens purum; mundus dependens, Deus ens absolutum; mundus ens posterius, Deus ens prius; mundus ens mutabile, Deus ens immutabile; mundus ens compositum, Deus ens simplex; mundus infimus, Deus sublimissimus. Ergo realiter mundus a Deo distinguitur. Adhuc. Effectus a causa distinguitur, secus esset effectus non effectus; sed mundus est effectus, ut suo loco videbimus, ergo a sua causa distinguitur. Sed nullus philosophorum mundum a Deo sic acutissime distinxit, ut magister noster Bonaventura. Etenim, ex ontologica analysi primarii nominis Dei, quod est esse, in *Itinerario* (1) sic perbelle argumentatur: « Quia summe unum (esse divinum) ideo est omnis » multitudinis universale principium. Ac per hoc ipsum est » universalis, omniumque causa efficiens, exemplans, et terminans, sicut causa essendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi. » Est igitur omnimodum, non sicut omnium essentia, sed sicut » cunctarum essentiarum superexcellentissimà, et universalissima, et sufficientissima causa. Cuius virtus, quia summe » unita in essentia, ideo summe infinitissima, et multiplicissima in efficacia. Rursus revertentes dicamus, quia igitur » esse purissimum, et absolutum, quod est simpliciter esse, » est primarium, et novissimum; ideo est omnium origo, et » finis consumans. Quia aeternum, et praesentissimum; ideo » omnes durationes ambit et intrat, quasi simul existens earum centrum, et circumferentia. Quia simplicissimum, et

(1) *Itiner. mentis in Deum,* cap. 5, num. 6.

» maximum; ideo totum intra omnia, et totum extra omnia, » ac per hoc est sphera intelligibilis; cuius centrum est ubi» que, et circumferentia nusquam. Quia actualissimum, et im» mutabilissimum; ideo stabile manens, moveri dat universa. » Quia perfectissimum et immensum; ideo est intra omnia, » non inclusum; extra omnia non exclusum; supra omnia, non » elatum; infra omnia non prostratum. Quia vero est summe » unum, et omnimodum, ideo est omnia in omnibus; quamvis » omnia sint multa, et ipsum non sit nisi unum, et hoc quia » per simplicissimam unitatem, serenissimam veritatem, et » sincerissimam bonitatem, est in eo omnis virtuositas, omnis » exemplaritas, et omnis communicabilitas. Ac per hoc, ex i» pso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia ».

Nonne hic sermo, vere lucet, et ardet? Nonne errorem urget, refutat, ac perimit, qualibet sub forma se exhibeat, Deumque, re et essentia, a mundo distinctum, et super omnia ineffabiliter excelsum proclamat? Duci autem nostro, concinne congruit Poeta divinus:

. . . . . . Le cose tutte quante
Hann' ordine tra loro; e questo è forma
Che l'universo a Dio fa somigliante.

Qui veggion l'alte creature l'orma
Dell'eterno valore, il quale è fine,
Al quale è fatta la toccata norma.

Nell'ordine, ch' io dico, sono accline
Tutte nature per diverse sorti,
Più al Principio loro e men vicine;

Onde si movono a diversi porti
Per lo gran mar dell'essere, e ciascuna
Con istinto a lei dato che la porti.

Questi ne porta il fuoco inver la luna;
Questi ne' cuor mortali è permotore;
Questi la terra in sè stringe e aduna.

Nè pur le creature, che son fuore
D' intelligenzia, quest' arco saetta,
Ma quelle c' hanno intelletto ed amore (1).

172. *Q.* Quid sit pantheismus, et quaenam praecipuae eius formae?

R. Pantheismus est illud philosophiae systema, in quo omnia quae sunt, unicam substantiam constituere dicuntur. Si veteres praetermittimus, huius erroris origo, in philosophia, a Benedicto Spinoza repetenda est. Falsa enim substantiae definitione nixus, statuit unam substantiam tantum esse improductam, necessarioque sese evolventem. Haec substantia est Deus. Quidquid enim est, nihil aliud est, nisi affectio et modus Dei. Hic Deus, duo tantum attributa habet, extensionem, et cogitationem; extensa enim et cogitata sunt modi Dei, a Spinoza concinnati. Haec prima recentis pantheismi est forma; sed et est altera non minus absurda. Philosophi enim Germani, qui transcendentales dictitantur, illud principium amplexi, ideas nostras, a rebus ipsis non distingui, ideoque quod cogitat et quod cogitatur unum idemque esse, duas alteras formas intulere. Prima est Fickte, qui eo usque deliravit, ut, ab *ego puro*, seu sine eonscientia, infinito, indivisibili, ipsum *ego non purum,* seu cum conscientia sui ipsius, divisibile finitumque, non ego, seu mundum poni, nec non Deum creari, sibi persuaderet. Secunda est forma, quam Schelling invexit. Ipse enim non quidquam subiectivum et relativum, sed quidquam obiectivum et absolutum posuit, nempe huiusmodi, ut subiecti et obiecti principium et origo sit. In hoc systemate identitatis absolutae, res, et ideae, ego, et non ego, Deus, et homo, omni differentia ablata, unum idemque sonant, et sunt. Existit tantum absolutum. Tertia forma est Hegelliana, quae non solum rem cogitantem, et rem cogitatam confundit: sed

(1) Parad., c. I, v. 100.

utramque rem cum cogitatione, unum et idem esse contendit; illud statuens principium: quid est reale, est ideale, et quidquid est ideale, reale est; unde illud quod omnia continet, non est nec subiectum nec obiectum, sed idea, conceptus, ens perpetuo se evolvens. Ultima denique forma est illa eccletistae Victorii Cousin, qui si verbis negat, reapse docet: Deum esse unicum et multiplicem, aeternum et temporaneum, summum et infimum entis gradum, finitum et infinitum, Deum, simul naturam, et humanitatem. In hac doctrina, nulla est creatio a nihilo, sed eductio a seipso; imo necessario creat, et semper.

173. *Q.* Quodnam sit pantheismi fundamentnm, et quomodo generatim impetatur?

R. Fundamentum pantheismi, est unitas substantialis inter mundum et Deum, ut clare, ex facta expositione, elucescit. Facili autem modo refelli potest:

Primo, si una tantum existit substantia, proprietates mundi sunt Dei proprietates; hinc Deus esset simplex et compositus, finitus et infinitus, Creator simul et creatura.

Secundo, si unica tantum est substantia, Deus cum dogmaticis affirmat, dubitat cum scepticis, orat cum sanctis, cum impiis blasphemat; est simul veritas, et error, virtus, et vitium.

Tertio, haec substantia, quae dicitur idea absoluta, ego purum, esset eodem tempore felix et misera, angelus et brutum, homo simul et arbor.

Quarto, si una tantum adest substantia, homines sive boni sive mali, eodem fato, subiiciuntur, immortalitas tollitur, et homo libertate expoliatur.

Quinto denique, ne cuncta persequamur, pantheismus funditus et religionem evertit. Unica enim substantia omnes leges negat; et sine legibus nulla communitas considere potest.

CAPUT II.

DE MUNDI CREATIONE.

174. *Q.* Quid, et quotuplex sit creatio?

R. Creatio est effectio entis ex nihilo, scilicet ex nullo subiecto praeexistente, tamquam ex materia praeiacente. Creatio bifariam sumi potest, active scilicet, et passive, prout respicit Deum creatorem, vel consideratur per ordinem ad rem creatam. Creatio igitur nihil novi ponit in Deo, sed in creatis. Est enim productio ad extra, non ad intra. Quod si obiicies, actionem esse semper in aliquid, non in nihilum, Magister noster reponet: « quod creare non est agere, sed facere, et in » hoc differunt agere et facere; nam agere, in quid agat, non » quid agat, exigit. Facere autem e converso (1) ». Scilicet actio exigit in quid agat, non quid agat; facere autem vult quid agat, non autem exigit, in quid operetur.

175. *Q.* Utrum Deus creare possit?

R. Deus potest creare. Nam Deus est primus ens: ergo et primum efficiens; ergo si primum efficiens creare non posset, non esset primum ens, et omnipotentia careret; ergo potest creare. Hoc evinci potest etiam ex natura rerum; omnes enim res mundanae sunt variae, mutabiles, ordinatae, imperfectae; multitudo autem ortum habet ab unitate, mutabile ab immutabili, imperfectum a perfecto, et ordo est ad primum; ergo si sunt mundana, est unus Creator omnium. Insuper, ut verbis utamur Ducis nostri, « quanto nobilius et perfectius est » agens, tanto paucioribus indiget ad agendum; ergo agens » nobilissimum nullo, extra se, eget; ergo si ipsum solum es» set, adhuc res produceret, sed non ex se, cum ipse nullius » sit pars, ergo ex nihilo; patet ergo, quod Deus potest creare.

(1) II. Sent. dist. 1, q. 1, art. 1, ad 4.

» Item, agens secundum formam, potest producere formam; » ergo pari ratione, agens secundum se totum, potest producere totum; sed Deus se toto agit, cum sit omnino simplex; » ergo producit totum. Denique hoc ipsum ostenditur a parte » rei conditae sic. Quod non est ab alio, est a seipso, nihil » autem tale, quod a seipso est, indiget alio ut sit; sed omne » intrinsecum principium rei indiget alio ut sit, nam forma » indiget materia, et e converso; ergo est a Deo, ergo Deus » est creator (1) ».

176. *Q.* Quotuplici modo, ex nihilo aliquid fieri, intelligi possit?

R. Tripliciter intelligitur a Magistro: « Aut materialiter, » ut ex ferro cultellus; aut causaliter, ut ex patre filius; aut » ordinaliter, ut de mane fit meridies. Primis duobus modis » verum est, ex nihilo nihil fieri; tertio modo verum est secundum naturam, sed falsum supra naturam. Per virtutem » enim infinitam, quae non indiget fulcimento materiae, ita » faciliter potest aliquid produci ex nihilo, sicut de aliquo: » alioquin non esset virtus primi principii infinita, sed egeret » materiae fundamento; et ideo illi virtuti soli attribuendum » hoc est necessario, quamvis non posset consimile reperiri » in aliquo creato. Hoc enim est eius proprium, sicut et ipsa » omnipotentia (2) ».

177. *Q.* Utrum creatio dicat mutationem?

R. Creatio dicit mutationem in re creata, non in Creatore. Non in Creatore, « quia si anima, dum movet corpus, immobilis perseverat, quanto magis Deus, dum creat et mutat » omnia, stabilisque manens, dat cuncta moveri ». Attamen in re creata dicit mutationem, quia, ut bene distinguit Magister, « quaedam est productio, in qua productum se habet » aliter nunc et prius, quia secundum aliquid sui, fuit prius

(1) II. Sent. dist. 1, art. 1, q. 1.

(2) II. Sent. dist. 1, art. 1, q. 1.

» sub una dispositione, et nunc est sub alia : et talis est pro-
» ductio, quae est ex materiali principio , ut naturalis gene-
» ratio. Quaedam vero est productio, in qua productum ali-
» quo modo se habet nunc, et nullo modo prius , et talis est
» productio, quae est ex nihilo. Tertia est productio, in qua
» productum aeque omnino se habet nunc et prius, si tamen
» est ibi dicere prius, et talis est Filii generatio ab Aeterno.
» Ab Aeterno enim sic processit, ut nunc est. Prima habet ra-
» tionem motus et mutationis et productionis. Motus, ratione
» praeparationis materiae, quae fit per dispositiones acciden-
» tales, et haec indiget successione et tempore. Mutationis,
» ratione exitus in esse, sive receptionis substantialis formae,
» quae fit in istanti. Productionis vero ratione , quod illam
» formam non a se habet, sed ab alio effectivo principio. Se-
» cunda caret ratione motus , habet tamen productionis ra-
» tionem et mutationis. Ratione motus caret , quia cum non
» habeat materiam, nulla potest praeire dispositio; tamen ha-
» bet rationem mutationis, quia ibi est subita et nova for-
» mae inductio; habet rationem productionis , quoniam hoc
» habet ab alio effectivo principio. Tertia caret ratione motus
» et mutationis, habet tamen rationem productionis. Ratione
» motus et mutationis caret, quia nec est in materiali prin-
» cipio , nec est ex nihilo ; sed tamen est ab aliquo, et sem-
» piternaliter est ab ipso. Concedendum est ergo, quod creatio
» est actio , sed omnis actio est in motu , et omnis motus in
» actione ; ergo qui creat, vere agit, ergo vere movet ». Alia
Doctoris nostri ratio est « quia quanto aliqua sunt magis di-
» stantia, tanto in perveniendo ab uno in alterum maior est
» mutatio et variatio: sed ens et non ens summe distant;
» ergo cum in creatione de non ente fiat ens, creatio veris-
» sime est mutatio. Denique si creatio dicit actionem absque
« omni mutatione , ergo absque omni tempore ; et talia pos-
» sunt inesse, et insunt Deo ab aeterno; ergo videtur, quod

» Deus res producit ab aeterno: sed hoc est absurdum, ut » videbimus infra: ergo creatio mutationem dicit (1) ».

178. *Q.* Utrum creatio dicat medium inter creaturam, et Creatorem?

R. Creatio nullum dicit medium; et nostrae scholae Magistri ratio est, « quia prima (causa) rerum creatarum est esse, » sed nihil ex parte creaturae est ante creari; ergo creari non » est aliud quam esse; ergo nec creatio aliud quam essentia; » ergo nulla est differentia creationis ad creaturam. Item, in- » ter ens ab alio, et non ab alio, non est medium; sed omne » quod non est ab alio, est Creator: omne autem, quod est » ab alio, essentialiter est creatura; ergo inter ea nihil est » medium. Item, per impossibile ostenditur. Creatura refertur » ad Creatorem; aut ergo per se, aut per aliud; si per aliud, » quaeritur de illo utrum referatur se ipso, aut alio, et sic » procedendum in infinitum. Si vero refertur se ipsa; sed re- » fertur per creationem; ergo creatio non est aliud, quam » creatura. Item, si creatio est medium inter Creatorem, et » creaturam, aut ergo aeternum aut temporaneum. Si aeter- » num; ergo aliquid aeternum est aliud a Deo. Si temporale; » ergo ante omnium creationem, est aliquid temporale..... Item, » a proportione videtur hoc posse ostendi. Sicut enim se ha- » bet Creator ad creaturam, ita creatio actio, ad creationem » passionem. Ergo a permutata proportione, sicut se habet » Creator ad creationem activam, ita creatura ad creationem » passivam. Sed Creator non differt secundum rem a crea- » tione actione, ergo nullum est medium inter Creatorem et » creaturam (2) ».

179. *Q.* Utrum dicatur aliquid de Deo, relative ad creaturas?

R. Dicitur aliquid relative de Deo ad creaturas, quia si-

(1) II. Sent. dist. 1, art. 3 in concl. et in fundam.

(2) II. Sent. dist. 1, q. 2, art. 3.

militudo est relatio quaedam: sed Deus sicut caetera agentia sibi simile agit; ergo aliquid dicitur de Deo relative ad creaturas. Secundo; scientia ad scitum relative dicitur; sed Deus habet omnium scientiam; ergo etc. Tertio; movens dicitur relative ad motum, et agens ad factum; sed Deus est agens et movens; ergo dicuntur de Deo relationes. Dicuntur, sed non sunt in Deo realiter. Cuicumque enim aliquid de novo advenit, necesse est illud mutari, vel per se, vel per accidens; sed in Deo nulla potest esse mutatio, nec accidens; ergo non sunt relationes realiter in Deo. Attamen, cave ne dicas esse res existentes extra Deum. Si enim essent existentes extra Deum, oporteret ad Deum referri; hinc aliae relationes sive tertiae, hinc quartae, hinc in infinitum; sed hoc est absurdum: restat igitur, si dicuntur de Deo relationes in creaturas, dicantur tantum, secundum intelligentiae modum. Sicut denominatur pater a paternitate, quae ei inest, sic Deus dicitur Dominus a mundo creato, qui de novo incipit.

180. *Q.* An solius Dei sit creare?

R. Solius Dei est creare; quia ille solus potest creare, qui habet vim infinitam; ergo solus Deus potest creare. Secundo; creatio est prima actio, nullam enim aliam praesupponit, omnesque aliae eam praesupponunt; sed primum agens solus est Deus; ergo solus Creator. Tertio; ad creationem requiritur causa universalis essendi; sed Deus est causa universalis essendi solus, quia aeternus; ergo Deus solus potest creare. Quarto; creatum non potest creare, quia creatum praesupponit creationem; sed creatio est ex nihilo, et nihil praesupponit; ergo creatum non potest creare, ergo solus Deus. Quinto denique; omne finitum praesupponit ad suam actionem hoc vel illud; sed creatio nihil praesupponit; ergo solus Deus potest creare.

181. *Q.* Utrum omnis creatura sit in esse ex tempore, de nihilo, ab uno principio solo et summo?

R. Affirmat divus Bonaventura; « et sic veritas colligitur,

» et error repudiatur. Per hoc enim quod dicitur, ex tem-
» pore, excluditur error ponentium mundum esse aeternum.
» Per hoc quod dicitur, de nihilo, excluditur error ponentium
» aeternitatem circa principium materiale. Per hoc quod di-
» citur, ab uno principio, excluditur error Manicheorum po-
» nentium pluralitatem principiorum. Per hoc quod dicitur,
» solo et summo, excluditur ponentium error, Deum produ-
» xisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum.
» Ratio autem ad intelligentiam praedictorum haec est; quia
» ad hoc, quod sit ordo perfectus et status in rebus (ordo e-
» nim in creaturis importat dependentiam) necesse est quod
» omnia reducantur ad unum principium, quod quidem sit
» primum. ut det coeteris statum; et perfectissimum, ut det
» coeteris omnibus complementum. Quoniam igitur primum
» principium, in quo est status, non potest esse nisi unum so-
» lum, (secus non esset primum) si mundum producit, cum
» non possit ipsum producere de seipso, necesse est quod pro-
» ducat ipsum ex nihilo. Et quia productio ex nihilo ponit esse
» post non esse, ex parte producti, et immensitatem in vir-
» tute producente, ex parte principii; cum hoc sit solius Dei,
» necesse est quod creatura mundi sit producta ex tempore
» ab ipsa virtute immensa, agente per se et immediate (1) ».

182. *Q.* Utrum creatio sit libera?

R. Cum creatio sit entis effectio e nihilo, patet esse omnino liberam, tum ex parte mundi creati, tum ex parte Dei. Ex parte mundi, quia mundus est contingens; quod est contingens, potest esse et non esse; quod potest esse et non esse, non est necessarium; ergo libera est creatio. Ex parte Dei; omnia enim intelligentia et volentia sunt a Deo; si sunt a Deo. possunt esse et non esse, ergo non sunt necessaria: ergo nequeunt limitari infinitum; ergo quod Deus vult extra se et intelligit, vult libere et libere intelligit; sed res creatas in-

(1) *Brevil.*, par. II, cap. 1.

telligit et vult libere, ergo libere creat, ergo creatio non est necessaria.

183. *Q.* An Deus potuerit facere mundum antiquiorem?

R. Deus potuit mundum antiquiorem creare, in quantum potuit facere tempus ante hoc, et in illo, facere mundum; non tamen sic facere, quin haberet principium, et nostri Magistri ratio est, « quia divina potentia et operatio non dependet » nec a materia, nec a tempore; ergo qua ratione potest in » uno istanti, potest in alio; sed qua ratione in posteriori, » eadem ratione in priori, et si hoc, mundus potuit fieri an- » tiquior; ergo etc..... Item divina essentia et potentia fuit » ante temporis principium, aut ergo fuit potens producere » ante, aut non. Si non; ergo erat impotens; si sic: ergo po- » tuit facere mundum antiquiorem. Item ego quaero utrum » potuerit facere post. Si sic: sed non est maior ratio de post » quam de ante; ergo pari ratione potuit facere ante. Aut si » non potuit post, nec ante; et ita necesse fuit quod tunc; » ergo videtur, quod compulsus et non voluntarius, mundum » fecit tunc; sed hoc est absurdum; ergo etc. (1) ».

184. *Q.* Utrum aeternitas mundi repugnet?

R. Mundus non est ab aeterno, sed ex tempore. Ponere enim mundum aeternum, est omnino, ut invincibiliter demonstrat Doctor noster, « est omnino contra veritatem et ratio- » nem. Nam si mundus esse posset aeternus, daretur multi- » tudo actu infinita, et infinito quotidie fieret additio; sed hoc » absurdum, quia impossibile est infinito addi; ergo mundus » nequit esse aeternus. Repugnat secundo; quia si plura es- » sent infinita, horum unum succederet alteri; sed hoc esse » nequit, quia nihil maius infinito, ergo etc. Tertio; impossi- » bile est infinita simul esse: sed si mundus est aeternus, cum » non sit sine homine, propter hominem enim sunt quodam » modo omnia, et homo duret finito tempore, igitur infiniti

(1) I. Sent. dist. 44, q. 4 in fundam.

» homines fuerunt. Sed quot fuerunt homines, tot animae ra-
» tionales fuerunt; ergo infinitae fuerunt animae; sed quot
» animae fuerunt, tot sunt, quia sunt formae incorruptibiles;
» ergo infinitae sunt animae. Si tu dicas ad hoc, quod circu-
» latio est in animabus, vel quod una anima est in omnibus
» hominibus; primum est error in philosophia, quia, ut vult
» philosophus, proprius actus est in propria materia; ergo
» non potest anima, quae fuit perfectio unius, esse perfectio
» alterius..... Secundum etiam magis est erroneum; quia multo
» minus una est anima omnium ». Ultima ratio Doctoris no-
stri ad hoc, est: « Impossibile est, quod habet esse post non
» esse, habere esse aeternum, quoniam haec est implicatio
» contradictionis; sed mundus habet esse post non esse; ergo
» impossibile est esse aeternum. Quod autem habeat esse post
» non esse, probatur sic: omne illud quod totaliter habet esse
» ab aliquo donante per essentiam, producitur ab illo ex ni-
» hilo; sed mundus totaliter habet esse a Deo; ergo mundus
» producitur ex nihilo a Deo; sed non ex nihilo materialiter,
» nec causaliter; ergo ordinaliter. Quod autem, omne quod
» totaliter producitur ab aliquo differente per essentiam, ha-
» beat esse ex nihilo, patens est; nam quod totaliter produ-
» citur, producitur secundum materiam et formam. Sed ma-
» teria non habet, ex quo producatur, quia non ex Deo, ma-
» nifestum est igitur, quod ex nihilo (1) ».

185. *Q.* Utrum de non creante . creans, Deus mutatus sit ab otio in actum?

R. Sanctus noster respondet distinguendo, dicens: « quod
» quoddam est agens, cuius actio et productio addit aliquid
» supra agentem et producentem. Tale, cum de non agente
» fit agens variatur, aliquo modo; et in tali, ante operationem
» cadit otium, et in operatione additur complementum. Aliud
» est agens, quod est sua actio, et tali nihil omnino advenit

(1) II. Sent. dist. 1, q. 2, art. 1 in fundam.

» cum producit, nec etiam in eo fit aliquid, quod non prius
» infuit; et tale nec recipit complementum in operando, nec
» in non operando, est otiosum; nec, cum de non producente
» fit producens, mutatur ab otio in actum; tale autem est Deus
» secundum philosophos, qui posuerunt Deum simplicissimum.
» Patet ergo, quod stulta est eorum ratio. Si enim, propter
» otium vitandum, res ab aeterno produxisset, sine rebus
» perfectum bonum non esset; ac per hoc nec cum rebus,
» quia perfectissimum seipso perfectum est. Rursus, si pro-
» pter immutationem, oporteret res ab aeterno esse, nihil
» posset nunc de novo producere. Qualis igitur Deus esset,
» qui nunc nihil, per se, posset? Haec omnia dementiam in-
» dicant magis quam philosophiam, vel rationem aliquam. Si
» tu quaeras qualiter possit capi, quod Deus agat se ipso, et
» tamen non incipiat agere, dicendum, quod si hoc non pos-
» sit plene capi propter imaginationem coniunctam, potest ta-
» men necessaria ratione convinci; et si quis a sensilibus se
» trahat ad intelligibilia aspicienda, aliquo modo perciperet.
» Si enim quis quaerat, utrum angelus possit facere lutum
» figuli, cum non habeat manus, vel proiicere lapidem, respon-
» debitur, quod potest; quia hoc potest sola virtute sui, abs-
» que organo, quod potest anima cum corpore et membro
» suo. Si igitur angelus, propter suam simplicitatem et per-
» fectionem, tantum excedit hominem, ut possit facere sine
» organo medio, illud ad quod homo necessario indiget or-
» gano, posset etiam facere per unum, quod homo potest per
» plura, quanto magis Deus, qui est in fine totius simplicita-
» tis et perfectionis, absque omni medio, suae voluntatis im-
» perio, quae non est aliud quam ipse, potest omnia produ-
» cere, ac per hoc producendo, immutabilis permanere? Et
» sic potest homo manu duci ad intelligendum. Hoc autem
» perfectius capiet, si quis ista duo potest in suo opifice con-
» templari, scilicet, quod est perfectissimus et simplicissimus.
» Quia perfectissimus, omniae quae sunt perfectionis, ei at-

» tribuuntur. Quia simplicissimus, nullam diversitatem in eo » ponunt, ac per hoc, nec ponunt ullam varietatem nec mu- » tabilitatem; ideo stabilis manens, dat cuncta moveri (1) ».

186. *Q.* Utrum ponere mundum aeternum, praesupposito potentiali principio, rationale videatur, et intelligibile?

R. Praesupposito potentiali principio, ponere mundum aeternum, rationale videtur Duci nostro, et intelligibile, hoc duplici exemplo: « Egressus enim rerum mundanarum a Deo, » est per modum vestigii. Unde si pes esset aeternus, et pul- » vis in quo formatur vestigium esset aeternus, nihil prohi- » beret intelligere vestigium pedis esse coaeternum, et tamen » a pede esse vestigium. Per hunc modum, si materia, sive » principium potentiale, esset coaeternum auctori, quid pro- » hibet ipsum vestigium esse aeternum? imo et congruum vi- » detur. Rursus aliud exemplum. Rationalis enim creatura » procedit a Deo ut umbra; filius procedit ut splendor; sed » quam cito est lux, statim est splendor, et statim est umbra, » si sit corpus opacum ei obiectum. Si ergo materia coae- » terna est auctori, tamquam opacum luci, sicut rationabile » est ponere filium, qui est splendor patris, coaeternum; ita » rationabile videtur creaturas, sive mundum, qui est umbra » summae lucis, esse aeternum, et magis rationale est quam » suum oppositum (2) ».

187. *Q.* An creatio sit in certo pondere, numero, et mensura?

R. Creatio est in certo pondere, numero, et mensura. « Quo- » niam principium perfectissimum, a quo emanat perfectio » universorum, necesse est agere a se, et secundum se, et » propter se, et quia nullo, agendo, indiget extra se; necesse » est quod habeat intentionem triplicis causae; respectu cuius- » libet creaturae, scilicet, efficientis, exemplaris, et finalis. » Necesse est etiam, omnem creaturam, secundum hanc tri-

(1) II. Sent. dist. 2, q. 2, art. 1 ad 5.

(2) II. Sent. dist. 1, q. 2, art. 1.

» plicem habitudinem comparari ad causam primam. Omnis » enim creatura constituitur in esse ab efficiente, et confor» matur ad exemplar et ordinatur ad finem. Ac per hoc est » una, vera, bona, modificata, speciosa, ordinata, mensurata, » discreta, et ponderata; est enim pondus inclinatio ordina» tiva. Et haec quidem generaliter dicta sunt de omni crea» tura, sive corporea, sive incorporea, sive ex utrisque com» posita, sicut est natura humana (1) ».

188. *Q.* Utrum in rebus creatis sit umbra, vestigium, et imago Dei?

R. In rebus est umbra, vestigium, et imago Dei, nostro Magistro docente. « Nam umbra dicitur in quantum re» praesentat in quadam elongatione et confusione; vesti» gium in quadam elongatione, sed distinctione; imago vero » in quadam propinquitate et distinctione..... Creaturae dicun» tur umbra, quantum ad proprietates, quae respiciunt Deum » in aliquo genere causae, secundum rationem causae inde» terminatam. Vestigium, quantum ad proprietatem, quae re» spicit Deum sub ratione triplicis causae, efficientis, forma» lis, et finalis, sicut sunt, unum, verum, et bonum. Imago, » quantum ad conditiones quae respiciunt Deum non tantum » in ratione causae, sed et obiecti, quae sunt memoria, in» telligentia et voluntas..... Creatura ut umbra, ducit ad co» gnitionem communium, ut communia; vestigium in cogni» tionem communium, ut appropriata; imago, in cognitionem » propriorum, ut propria. Quoniam omnis creatura compara» tur ad Deum in ratione causae, et in ratione triplicis cau» sae, ideo omnis creatura est umbra et vestigium. Sed quo» niam sola rationalis creatura, comparatur ad Deum ut ob» iectum, quia sola est capax Dei per cognitionem et amo» rem, ideo sola est imago (2) ».

(1) *Brevil.*, par. 2, cap. 1.

(2) I. Sent. dist. 3, par. 1, art. 1 ad 5.

189. *Q*. An reperiatur Trinitas in re creata?

R. Notat Dux Noster acutissime, quod « res creata habet » tripliciter considerari, aut in se, aut in comparatione ad » alias creaturas, aut in comparatione ad causam primam. Et » secundum omnes hos modos contingit reperire Trinitatem » dupliciter. Si enim consideratur quantum in se, vel quantum » ad se, hoc est, aut quantum ad substantiam principiorum, » et sic est illa trinitas, materia, forma, compositio....; aut » quantum ad habitudines; sic est illa de Sapientia: Omnia in » numero, pondere, et mensura disposuisti (1). In numero enim » intelligitur principiorum distinctio. In pondere, propria i- » psorum inclinatio. In mensura, eorum ad invicem proportio. » Item, si consideretur una creatura in comparatione ad alias » creaturas; hoc potest esse, aut in quantum agit actione na- » turali, et sic sumitur illa Trinitas Dionysii; substantia, virtus, » et operatio; aut in quantum agit actione spirituali, et sic » illa Augustini, quo constat, quo congruit, quo discernitur, et » ultimum refertur ad animum. Si autem considerantur in » comparatione ad Deum, hoc potest esse dupliciter; aut in » quantum referuntur tantum, et sic est illa: modus, species, » et ordo; aut in quantum referuntur et assimilantur, et sic » est illa: unitas, veritas, et bonitas. Quoniam ergo vestigium » attenditur in comparatione ad Deum proprie, ideo in his » ultimis conditionibus, proprie accipitur vestigium. Et quia » magna est, inter istas comparationes, convenientia; ideo..... » unitas respondet modo, qui respicit Deum ut causam effi- » cientem; veritas speciei, quae respicit ipsum ut exemplar; » bonitas ordini, quae respicit Deum ut finem (2) ».

190. *Q*. An Deus creaverit mundum propter bonitatem?

R. Rerum conditarum principalior causa, est Dei Omnipotentis gloria, non quidem augenda, sed manifestanda, et co-

(1) Sap., XI.

(2) I. Sent. dist. 3, par. 1, dub. 6.

municanda; et ratio Magistri est, « quia ille finis est princi-
» palior, qui est perfectior; sed gloria Dei, sive bonitas est per-
» fectior; ergo etc.... Item, ille est finis principalior, qui est es-
» sentialior; sed gloria Dei, sive bonitas est essentialior uni-
» cuique rei conditae maxime rationali, quam utilitas sua;
» nam res, propter malitiam, potest privari sua utilitate; sed
» non potest unquam quin sit ad Dei gloriam, ergo etc ... Ter-
» tio: ille est principalior finis, qui est universalior; sed gloria
» Dei sive bonitas, est finis, quem assequitur omnis natura,
» sive angelica sive humana, sive bona sive mala; ergo etc. (1) ».
Doctrinam seraphicam perbelle Aligherius versibus exornat, canens:

Non per avere a sè di bene acquisto,
Ch'esser non può, ma perchè suo splendore
Potesse, risplendendo, dir sussisto;
In sua eternità, di tempo fuore,
Fuor d'ogni altro comprender, come i piacque,
S'aperse in nuovi amor l'eterno Amore.
Nè prima, quasi torpente, si giacque;
Chè nè prima nè poscia precedette
Lo discorrer di Dio sovra quest'acque (2).

Et alibi:

Ciò che non muore e ciò che può morire
Non è se non splendor di quella Idea
Che partorisce, amando, il nostro Sire;
Chè quella viva luce che si mea
Dal suo Lucente, che non si disuna
Da lui, nè dall'Amor che in lor s'intrea,
Per sua bontate il suo raggiare aduna,
Quasi specchiata, in nove sussistenze,
Eternalmente rimanendosi una (3).

(1) II. Sent. dist. 1, q. 1, art. 2.
(2) Parad., c. XXIX, v. 14.
(3) Parad., c. XIII, v. 52.

191. *Q.* Utrum repugnet esse mundum, entibus intellectivis, carentem?

R. Ponere mundum sine entibus intellectivis est absurdum. Effectus enim tunc est perfectus, cum in suum redit principium, unde circulus, inter omnes figuras, est perfectus, quia in eo ad principium reditur. Ergo mundus, utpote perfectus, oportet, ut redeat ad suum principium. Creaturae autem ad suum redeunt principium, quando similantur agenti. Deo agenti; assimilatur maxime creatura per intellectum, et voluntatem. Ergo oportet, ut sint in mundo creaturae intellectuales. Causa mundi finalis fuit bonitas Dei non augenda sed manifestanda: manifestatio autem supponit intelligentem et volentem, ergo etc.... Tertio, est absurdum, quia perfectio operis est, ut agens operetur ordinate et bene; sed ad ordinem assequendum, et bonum operandum, requiritur creatura intellectualis et volens; ergo etc. Denique quod intelligitur est in intelligente, ergo in intelligente sunt creaturae corporales; sed corporalia nequeunt laudare Deum per se, quia ratione carent; ergo indigent spiritualibus, ergo convenit, ut sint spiritualia, ad laudandum Deo pro materialibus; ergo etc.... Unde egregie Magister « cum (Deus) sit summa lux, fecit omnia ad sui manifestationem. Cum sit summa bonitas, fecit omnia ad sui communicationem. Cum sit summa potestas et maiestas, fecit omnia ad sui laudem. Non est autem perfecta laus, nisi adsit qui approbet. Non est perfecta manifestatio, nisi adsit qui intelligat. Nec perfecta comunicatio bonorum, nisi adsit, qui eis uti valeat. Et quoniam laudem approbare, veritatem scire, dona in usum assumere, non est nisi solummodo rationalis creaturae, ideo non habent ipsae creaturae irrationales immediate ad Deum ordinari, sed mediante creatura rationali; ipsa autem creatura rationalis, quia de se nata est laudare et nosse, et res alias in facultatem voluntatis assumere, nata est ordinari in Deum immediate (1) ».

(1) II. Sent. dist. 16, q. 1, art. 1, in concl.

192. *Q.* An Deus potuerit mundum facere meliorem, quoad substantiam partium integrantium?

R. Deus potuit facere hunc mundum meliorem, quoad substantiam partium integrantium; nam, ut probat Doctor, « partes » integrantes mundum, sunt finitae bonitatis et intensivae et » extensivae; sed omni finito potest aliquid maius et melius co- » gitari; sed Deus plus potest facere, quam homo possit intel- » ligere, ergo etc.... Si tu dicas, quod mundus non potuit am- » plius capere, hoc non solvit: quia Deus facit capacitatem; » ergo maiorem potuit capacitatem dare, cum eius potentia » sit infinita. Item, suprema creatura, in universo, est finita, » ergo distat a Deo in infinitum; sed in distantia infinita est » ponere gradus infinitos; ergo ultra bonitatem creaturarum, » est intelligere, creaturas gradus bonitatis habentes; et ex » his potuit integrari mundus, ergo etc.... Item constat, quod » Deus potuit facere mundum ex partibus maioribus mole, ut » coelum amplius, et terram latiorem; ergo si potuit facere » maius mole, eadem ratione et maius virtute; et si hoc, ergo » simpliciter melius (1) ».

193. *Q.* An mundus potuerit fieri melior, quantum ad proprietates partium integrantium?

R. Proprietas partium integrantium poterat esse melior; et Magister hanc adducit auctoritatem. « Potuit Deus talem fa- » cere hominem, qui nec peccare vellet, nec posset; et si ta- » lem fecisset, quis dubitat eum meliorem fuisse? ergo etc.... » Item melior est proprietas incorruptibilitatis et quietis, quam » corruptionis et motus; sed omnia quae fecit Deus, aut fecit » corporalia, aut aliquo modo mobilia; ergo omnia potuit fa- » cere meliora. Item, si non potuerunt creaturae fieri melio- » res, hoc fuit aut quia Deus non potuit dare plus, aut quia » creaturae non potuerunt plus capere. Si quia Deus non po- » tuit amplius dare; ergo divina potentia est limitata. Si quia

(1) I. Sent. dist. 44, art. 1, q. 1.

» creaturae non potuerunt amplius capere; contra, videmus, » tota die, creaturam meliorari, et deteriorari, salva substan- » tia et capacitate: ergo etc. (1) ». Quare florentinus Poeta:

. . . . . , Colui che volse il sesto
Allo stremo del mondo, e dentro ad esso
Distinse tanto occulto e manifesto,
Non potea suo valor sì fare impresso
In tutto l'universo, che il suo verbo
Non rimanesse in infinito eccesso (2).

194. *Q.* An Deus potuerit facere mundum meliorem, quantum ad ordinem partium?

R. Deus non potuit partes primas universi melius ordinare. neque secundum suam sapientiam, neque secundum finem. Et rationes Doctoris sunt: quia sapientis est ordinare: ergo summe sapientis, summe sive optime ordinare; ergo Deus res ita bene ordinavit, quod, nullo modo, poterit ordinare melius. Praeterea si consideremus ordinem elementorum in mundo, constat, ea bene esse ordinata. Unde non potest cogitari, quod elementa corporum ordinentur melius, ut probant chimici, botanici, et physici nostrae aetatis, sive secundum formas nobiles, sive secundum qualitates, sive secundum proportiones numerales; ergo etc..... Tertia Doctoris ratio est, « quia est » ordo partium in toto; et est ordo partium in fine. Primus » ordo respicit sapientiam, secundus ordo respicit bonitatem; » et sunt isti duo ordines ita coniuncti, ut unus alteri con- » formetur; et ordo partium in universo, est propter ordina- » tionem ad finem. Si autem loquamur de ordine partium in » universo; aut hoc est quantum ad partes primas et sub- » stantiales: et sic absque distinctione optime sunt ordinatae, » ita quod melius ordinari non potuerunt, quia in eis consi- » stit ordo substantialis, et pulchritudo universi immutabilis.

(1) Loco cit. q. 2.

(2) Parad., c. XIX, v. 50.

» Vel quantum ad partes corruptibiles et remotas, et hoc du-
» pliciter. Aut absolute et ut nunc; et sic potuerunt melius
» ordinari, et aliquando erunt melius ordinatae. Aut simpli-
» citer et in relatione ad finem; et sic sunt..... res optime or-
» dinatae..... quia universum est tamquam pulcherrimum car-
» men, quod decurrit secundum optimas consonantias, aliis
» partibus succedentibus aliis, quousque res perfecte ordinen-
» tur in finem. Unde, sicut in productione rerum manifestatur
» potentia summa creans ex nihilo, sic ordo rerum in uni-
» verso in se ostendit sapientiam, et ordo ad finem, bonita-
» tem ». Si dices, quod ordinis bonitas pendet ex partibus, Divus Bonaventura reponet « quod sicut aliqua contingentia
» in se habent esse absolutum contingens, sed ordinem ne-
» cessarium, sic et in proposito intelligendum, quod quamvis
» aliquid non sit optimum in se, tamen optime ordinatur. Et
» exemplum huius patet in partibus corporis, et in re arti-
» ficiali, in qua est consonantia et harmonia, sicut in cithara.
» Quamvis enim nobilior sit situs oculi quam pedis, tamen si
» consideremus utrumque, secundum suum officium, tam ocu-
» lus quam pes, optime situati sunt in toto, ita quod, nec o-
» culus melius pede, nec e converso; et ita dicit Augustinus,
» quod sicut Angelus optime in coelo, ita vermiculus optime
» in vimo, sicut in terra. Et similiter apparet in cithara; pos-
» sunt enim omnes cordae ita proportionari, quod si aliqua
» tendatur, ut detur ei melior sonus, nunquam remanebit con-
» sonantia. Similiter dictiones possunt ordinari ad faciendum
» versum, ita quod ex illis dictionibus, impossibile est fieri
» versum melius ordinatum, sic in proposito intelligendum (1) ».

(1) I. Sent. dist. 44, art. 1, in tota q. 3.

CAPUT III.

DE NATURA CORPORALI.

195. *Q.* Quot modis consideranda sit natura corporea?

R. Triplici modo consideratur a Magistro, nempe quantum ad fieri, quantum ad esse, et quantum ad operari (1).

196. *Q.* Quoad fieri quid considerandum?

R. De natura corporea quantum ad fieri, haec, iuxta mentem Seraphici, sunt tenenda, scilicet, quod sex diebus sit in esse producta, per triduum autem eam distinxit, et per alterum ornavit consummavitque; et ratio haec est. « Quia enim res manant a primo principio et perfectissimo, tale autem est omnipotentissimum, sapientissimum et benevolentissimum; ideo oportuit, » quod sic producerentur in esse, ut in earum productione, triplex reluceret nobilitas praedicta et excellentia. Et ideo triformis fuit operatio divina ad producendum mundanam machinam, scilicet creatio, quae appropriate respondet omnipotentiae; distinctio, quae respondet sapientiae; ornatus, qui » respondet bonitati largissimae. Rursus, quia distinctio corporum mundi attenditur secundum triplicem modum, ideo facta » fuit per triduum. Est enim distinctio naturae luminosae a » perspicua et opaca, et haec facta est in primo die, in divisione lucis a tenebris; et est distinctio naturae perspicuae a perspicua, et haec facta est secunda die, in divisione » aquarum ab aquis; et est distinctio naturae perspicuae ab » opaca, et haec facta est tertia die, in divisione aquarum a » terris..... Et quia ornatus correspondet distinctioni, ideo similiter tribus diebus debuit consummari. Est enim ornatus » naturae luminosae, et hic factus est quarta die, in formatione stellarum et solis et lunae; et est ornatus naturae

(1) *Brevil.*, par. 2, cap. 2.

» perspicuae, et hic factus est quinta die, in qua, ex aquis » facti sunt pisces et aves, ad ornatum aeris et aquae; et est » ornatus naturae opacae, scilicet terrae, et hic factus est » sexta die, in quo factae sunt bestiae, facta sunt et repti- » lia, facta est etiam ad consummationem omnium natura » humana (1) ».

197. *Q.* Utrum dies Mosaici dicant sex epochas, sive geologicas aetates?

R. Opinio, quae dicit sex dies Mosaicos esse sex epochas geologicas, vocatur a Magistro, magis rationi consona. Scribit enim: « Circa hanc quaestionem diversae sunt sanctorum o- » piniones. Quidam enim sancti in hac quaestione magis se- » cuti sunt viam theologicam, trahentes rationem ad ea quae » sunt fidei. Quidam vero, inter quos praecipuus fuit Augu- » stinus, magis secuti sunt viam philosophicam, quae illa po- » nit, quae videntur magis rationi consona; unde et intelle- » ctum scripturae trahit ad rationis confirmationem et atte- » stationem. Unde, cum videatur rationabilius a summa po- » tentia omnia produci simul, et mora temporis interiacentis, » nullius videatur esse utilitatis, vel necessitatis, posuit omnia » simul esse producta, suam positionem confirmans per au- » ctoritates Sacrae Scripturae, et exponens illud, quod videtur » sibi contradicere, videlicet de dierum distinctione, ostendens, » quod illi dies non fuerunt dies materiales, sed potius spi- » rituales, qui omnes simul potuerunt esse; et haec positio » multum fuit rationabilis, et valde subtilis (2) ».

198. *Q.* Cur Deus maluerit per successionum temporum res creare?

R. Magister noster et dux, sapientissime respondet. « Licet » potuerit Deus omnia facere in instanti, maluit tamen per » successionem temporum, tum propter distinctam et claram

(1) *Brevil.*, par. 2, cap. 2.

(2) II. Sent. dist. 12, q. 2, ad 1.

» repraesentationem potentiae, sapientiae et bonitatis; tum » propter convenientem correspondentiam dierum, sive tem- » porum et operationum; tum etiam, ut sicut in prima mundi » conditione fieri debebant seminaria operum fiendorum, sic » fierent, et praefigurationes temporum futurorum. Unde in » illis sex diebus quasi seminaliter praecessit distinctio o- » mnium temporum, quae explicantur per decursum sex ae- » tatum, et hinc est, quod sex diebus operum additur septi- » mus quietis; qui dies non scribitur habere vesperam, non » quia non habuit dies illa noctem succedentem, sed ad prae- » figurandum animarum quietem, quae unquam habebit fi- » nem (1) ».

199. *Q.* Quare post omnia productus sit homo?

R. Duci nostro occurrit triplex ratio, scilicet partium corporis multitudo, animae et corporis distantia, totius compositi perfectio. « Propter partium corporis multitudinem de- » buit homo ultimo produci; cum enim corpus eius sit com- » pletissimum inter coetera corpora, et quanto aliquid com- » pletius tanto posterius, post omnia producendus erat. » Propter animae et corporis distantiam, debuit fieri post » coetera; quia enim distat anima a corpore, et non solum » sicut forma a materia, sed etiam sicut spirituale a corpo- » rali, et sicut perpetuum a corruptibili: ideo magna distan- » tia temporis debuit intervenire inter productionem hominis, » quantum ad materiale principium, et coniunctionem suarum » partium, ut per distantiam temporis intelligeretur distantia » principiorum constituentium. Et propter totius compositi » perfectionem, post coetera debuit homo produci; quia enim » homo, sua dignitate et complemento, finis est omnium cor- » poralium; ideo post omnia erat producendus, ut sua pro- » ductione finiret et compleret omnia praecedentia, sicut fi- » nis complet, quod ad ipsum ordinari debet (2) ».

(1) *Brevil.*, p. 2, cap. 2.

(2) II. Sent. dist. 15, art. 2, q. 2.

200. *Q.* Utrum geologica scientia cogat aliquid contra narrationem Mosaicam?

R. Non solum nihil cogit, sed confirmat. Dixit enim Moyses, quod, congregatis in unum locum inferioribus aquis, terra apparuit arida, inanis et vacua, idest sine entibus aut vegetalibus, aut viventibus, quae postea exierunt. Et Cuvier, Ampère, Elie, De-Beaumont diligenter solum, naturae librum, perscrutantes, se invenisse fatentur, vitam non semper in globo fuisse; admittunt enim formationis aetatem, qua materia mundana aquae vel ignis vi liquescens, omnisque vitae organicae expers, concrevit, mediis aquis, in graniticas illas moles, quibus nullum inest vitae vestigium.

Secundo, scribit Moyses, congregatis aquis atque crescente iam terra, vegetalia, tertia die, germinasse super faciem terrae. Et scientia geologica, ducibus praecitatis auctoribus, telluricis investigationibus ducta, revelationi cohaeret. Admittitur enim vegetationis aetas, qua, terra aquis libera, virescere coepit, illasque edere plantas, quae apparent in infimis stratis, absque ullo animalium vestigio.

Tertio, Moyses item docuit, post vegetalia, die quinta, prodiisse reptilia aquosa et volatilia, et die sexta, reptilia et omnia animantia terrestria. Et scientiae geologicae cultores principes, hoc documentis confirmant. Admittitur enim tertia aetas animationis pelagicae, et quarta animalium grandium aetas, fluviatilium, terrestrium; et tertiae aetatis sunt testes conchae marinae iacentes cum plantis in stratis secundariis; et quartae extant spolia in superioribus, sine ullo generis humani indicio; unde probabile fit, hominem nondum extitisse. Quibus testimoniis confirmatur sententia Mosaica, qua dicitur homo ultimus in creatione.

Quarto denique Moyses posuit lucem ante solis creationem; lux enim in primo, sol die quarto creatur. Et scientia astronomica, ducibus Young, Fresnel et Arago, hoc idem ponit. Praeter enim solis lucem, adest lux electrica, ab astro maiori,

independens. Quartus igitur et primus dies conveniunt, et Moyses, multis saeculis, scientiae progressum adiuvit.

201. *Q.* De natura corporea quoad esse quid praecipue notandum?

R. Tria sunt praecipue observanda ex Magistro nostro (1): materia, forma, materia et forma ad invicem essentialiter ordinata. Materia est aliquid, quod non est omnino aliquid, nec omnino nihil, sed aliquid, quod est medium, inter aliquid et nihil. Hinc patet quod materia, hoc ipsum quod est, omnino est ens in potentia; ideoque per sui essentiam nullum habet actum, nullam formam: ergo nullam distinctionem; et tamen non est nihil: ergo oportet quod sit una, sine multitudine; ergo una numero: ergo tam corporalium quam spiritualium una; ergo de se infinita, et ad formas infinitas; ergo in omnibus materiatis. Attamen in spiritualibus, materia substat formae substantiali tantum, in corporibus superioribus, formae substantiali et quantitati, et in inferioribus, formae substantiali et quantitati, et contrarietati. Sed si materia est una numero tam corporalium quam spiritualium, undenam oritur rerum specificatio? Oritur ex forma, quae est substantia simplex, activa, quae materiam determinat, et habetur, ut fons unitatis, activitatis et qualitatis. Hinc individuum, quod sit hoc, habet a materia, secundum quod habet positionem in loco et tempore; quod sit aliquid, habet a forma. Materia igitur dat esse formae, sed, essendi actum dat forma materiae. Sed hae formae individuantes, quid sunt? Sunt divini Artificis principaliter agentis, ut notat Sanctus noster, et producentis in omnis rei eductione non totaliter efficientis, conceptus sive radii, qui, per suam liberam voluntatem, actuantur in vi creata. Unde Aligherius, in cantu vigesimo nono Paradisi:

Forma e materia congiunte e purette
Usciro ad atto, che non avea fallo,
Come d'arco tricorde tre saette;

(1) II. Sent. dist. 3, art. 1, par. 1, q. 1. 2. 3.

E come in vetro, in ambra od in cristallo
Raggio risplende sì, che dal venire
All'esser tutto non è intervallo;
Così il triforme effetto del suo Sire
Nell'esser suo raggiò insieme tutto,
Senza distinzion nell'esordire.
Concreato fu ordine e costrutto
Alle sustanzie, e quelle furon cima
Del mondo, in che puro atto fu produtto.
Pura potenzia tenne la parte ima;
Nel mezzo strinse potenzia con atto
Tal vime, che giammai non si divima (1).

Ex hac Doctoris nostri, et Aligherii doctrina, fluescit, omnem substantiarum essentiam tribus constare, materia, forma, earumque essentiali connexione.

202. *Q.* Quot, et an conveniant mundo principia elementaria?

R. Principia elementaria, in pura et exquisita eorum natura considerata, quatuor admittebantur a scholasticis: aer, aqua, terra, et ignis. Dixi in pura et exquisita eorum natura; quia ea non ut sunt sub nostra experientia, quae mixtorum conditiones subeunt, sed in se considerabant. Ad haec elementa omnia alia reducebant; quia omne corpus, quantumvis resolvatur, alteretur, transmutetur, semper aliquid tenet vel naturae terrae, vel aeris, vel ignis, vel aquae. Docebant etiam esse transmutabilia, et resoluta posse denuo recomponi. Sed in mixtis, formae elementares quomodo servantur? Servantur, scholasticis docentibus, saltem virtute, si non actu. Coeterum mundo convenit esse principia elementaria sive simplicia, secus nullius motus et vicissitudinis gignendae capax foret, quod maxime esset incongruum, et vitae cosmicae adversum. Hac enim suppositione, latius pateret ens-terminus,

(1) Parad., c. XXIX, v. 22.

materia, quam ens principium; neque haberentur illae dispositiones et praeparationes chimicae, physicae et mecanicae, ex quibus, initia vegetalium et animalium, eorumque organizationum, ducuntur. Sed hic iuvat verba referre Divi Bonaventurae, qui rem ontologice considerans, sic bene ratiocinatur. « Cum natura corporalis, ad perfectionem sui et ex» pressionem sapientiae multiformis primi principii, requirat » multiformitatem formarum, sicut apparet in mineralibus, » plantis et animalibus, necesse fuit, ponere aliqua corpora » simplicia, quae multiformiter possunt misceri ad introdu» ctionem formarum multiformium; et talis est natura sub» iecta contrarietati, et haec est elementaris;..... et quoniam » mixtio fieri non potest, nisi per contraria agentia et patien» tia; ideo necesse fuit, duplicem contrarietatem fieri in ele» mentis, scilicet quantum ad qualitates activas, quae sunt » calidum et frigidum, et quantum ad passivas, quae sunt » humidum et siccum. Et quia quodlibet elementum agit et » patitur, ideo quodlibet habet duas qualitates, unam acti» vam et aliam passivam; ita tamen quod unam principalem » et propriam, aliam accidentalem vel aquisitam (1) ».

203. *Q.* Quid significet principium activum?

R. Principium activum est substantia simplex, materiae visceribus latens, et singulis elementis inhaerens, et primum rudimentum substantiae, quod vim animalem vocat Chrysostomus, et legem naturae datam, Basilius. Hic spiritus cosmicus multiplicatur, divisis particulis materiae in tot distincta principia, quot sunt particulae animatae, et progrediente organizatione materiae, etiam magis perficitur, novasque vires explicat, et acquirit.

204. *Q.* Utrum mundo conveniant corpora?

R. Corpora, adspectabilem mundi partem constituunt, in quo, veluti in opificio quodam, vires operantur cosmicae, effe-

(1) *Brevil.*, cap. 3, par. 2.

ctus materiales producunt, et leges, et motus, et generationes et corruptiones efficiunt, quas divina Sapientia, invisibilibus quibusdam characteribus, in ipsis impressit. Corpora igitur spiritibus, sive qua materia, sive qua instrumenta, sive qua termini ac stimuli earum actionum, serviunt. Serviunt etiam tum elementaribus spiritibus, tum animalibus, quia eorum existentia et operationes, a corporibus pendent. Serviunt rationalibus, quia sunt materia cognitionum, atque stimuli ad eorum inertiam superandam, et innumeras vires latentes explicandas. Denique corpora serviunt Angelis, quia, plurimis angelicis officiis adimplendis, sunt convenientia. Concludendum est igitur, corpora convenire mundo. Sine enim corporibus, mundus esset imperfectus; non essent relationes inter metaphysicam, et physicam; nullus esset ordo et harmonia, quae ex rebus activis et passivis exurgit; termini operationum deficerent, et creatura spiritualis, regimine in corpoream, careret. Ad rem Augustus Conti: Querula Iacobi Leopardi interrogatio:

Che fa l'aria infinita e quel profondo
Infinito seren?

ab omnibus consideratione praeditis repetitur, et valet; ad quid natura, ad quid animalia ratione expertia? Numquid hominis intelligentia, corporum organis praeditorum conditionem exigebat, aut latius, num ordo universi, materiali natura indigebat? Numquid satis non erat creare tantum intellectus, supremum naturae gradum, magis quam gradus minores multiplicare? Ad quid, insensibilia pro sensilibus creare, et haec pro rationalibus? Equidem, hae creaturae, gradus sunt universi, et ordinem demonstrant; sed quomodo patebit id esse necessarium? His quaesitis alia obviant, quae exclusive quaestionem solvunt. In vita naturali quid constitueret in actum intellectus finitos, cum omnis potentia creata, impulsu indigeat? Numquid ad cognoscendi actum, ipse Deus eos moveret? Sed causa prima, nil quoad naturae ordinem operatur, sine causis

naturalibus. Aut intellectus se cognosceret per seipsum? Nequaquam; cuilibet enim potentiae limitatae impulsus requiruntur, proindeque, per harmoniam cum aliis rebus, intellectus cognoscitur. Aut intellectuales naturae, unae in alias agentes, se invicem ad cognitionem impellerent? Negamus; spiritualis enim natura, ne potest quidem in aliam sibi similem naturam agere, quin supponatur iam cognitio tamquam effectus. En ergo quare oporteat, ut ordines inferiores naturae sint praeordinati, tamquam impulsus intellectibus pervius, ut ipsi, in harmonia universali, universum cognoscentes, semetipsos, alios intellectus, et Artificem aeternum, cognoscant. Quid ergo sibi vult, querule Poeta, infinitus aer, immensa spatia, corporumque mundus? Liber est signorum, quae homini apparent, notarum faventium intellectibus per universum sparsis, quamvis modo differant a nostro; est liber signorum necessarius, ut legere queas, spiritualis naturae et Dei, sensum (1).

205. *Q.* Utrum doctrina scholastica materiae et formae sit vera, et prae coeteris eligenda?

R. Illa doctrina est vera, et prae coeteris eligenda, quae factis non opponitur, sed congruit. Ast talis est doctrina scholastica de materia et forma; nam affinitatis leges observat, principia cohaesionis ponit, corpora simplicia admittit, quae, sub actione formae substantialis, diverse concurrunt ad molem mundi efformandam, dispositionem et structuram partium compositi adstruendam, et vires omnes naturales, ut instrumenta formarum substantialium activas, servat. Nec solum factis non obviat, sed congruit. Physici enim hodierni, fere omnes, principium activum et passivum, ubique detegunt. Extensio enim corporum haec duo requirit, sine enim principio unitatis, nullum est corpus, et renixus vim dicit quamdam. Adde quod crystalizationis phoenomena, sine vi quadam intrinseca corporibus, explicari nequeunt, quae vis legem molecularum coadu-

(1) *Armon. delle cose*, vol. II, cap. 33.

nationis uniformem explicat, et materiam extensam suppeditat, sine qua non habetur forma externa. Insuper, sine formis substantialibus, quis explicare posset varietatem mundi corporei mirabilem? Praeter hanc rationem, quam intimam vocamus, doctrina scholastica evincitur vera, ex falsitate aliorum sisthematum. Atomismus enim, naturam molecularum non explicat, eis enim tribuit extensionem aliquam, et extensio concipi non potest, quin partes habeantur extra partes. Adde, varietatem corporum harmonicam, ab atomistis explanari non posse. Nec magis solidum est atomismi chimici sisthema. Nihil enim manifestare valet de natura intima corporis simplicis. Ideo quaestionem non attingit metaphysicam. Rursus sisthemata dinamica, in sensu Leibnitz et Boscovik, merae hypotheses sunt, de quibus silent tum experientia, tum ratio. Denique doctrina scholastica, elementa a priori non aggerit, factis enim nititur omnibus manifestis. Sed modus, quo forma e materia educitur, non satis explanatur? Quid importat? ad essentiam sisthematis non spectat.

206. *Q.* De natura corporea, quantum ad operari et influere, quid dicendum?

R. Divo Magistro inhaerentes, hoc tenemus, scilicet quod coelestia influunt in terrestria et elementaria. Et Doctoris ratio haec est: « quia cum in corporibus coelestibus propter » proximitatem ad primum principium sit lux, motus, calor, » et virtus; lux, ratione suae formae et speciei; motus, respectu superioris influentis; calor, respectu inferioris naturae suspicientis; virtus vero, omnibus modis praedictis, » cum, inquam, ita sit, coelestia corpora per lumen et motum » sunt in distinctiones temporum scilicet diei, secundum lucem » solis et motum firmamenti; mensis secundum motum lunae... » anni secundum solem; temporum vero secundum varium » planetarum motum distantiam et concursum, ascensum et » descensum, retrogradationem et statum, ex quibus oritur » diversitas in temporibus. Per virtutem autem et calorem

» influunt ad productionem, eorum, quae ex elementis gene-
» rantur excitando, promovendo, conciliando; ita quod in-
» fluunt in mineralia,..... in vegetabilia,.... in sensibilia,.... in
» corpora humana, quae disposita sunt ad nobilissimam for-
» mam, quae est anima rationalis, ad quam ordinatur, et ter-
» minatur appetitus omnis naturae sensibilis et corporalis, ut
» per eam, quae est forma ens, vivens, intelligens, sentiens,
» quasi ad modum circuli intelligibilis reducatur ad suum
» principium in quo perficiatur et beatificetur (1) ». Sed haec Ducis nostri positio pulcherrime et solide declaratur ab Augusto Conti in opere, cui titulus: *Armonia delle cose* (2). Considerans enim tum plagarum tum locorum conditiones physicas, relate ad intimam hominis naturam, sic a plagis incipiens ratiocinatur: Vis plagae in corpora, et per haec in animum omnino liquet; et hoc ipsa conscientia testatur; scimus enim qualitatem sensationum, a coeli et aeris temperie emanantium, quaeque a causis nostram naturam valide ordinatam disponentibus procedunt, disponere etiam partem nostram interiorem; et ita nebula torpentem reddit intellectum, et sol nos excitat, ut aves cantu. Conscientiae congruunt tum geographia tum historia.....; revera, in nonnullis Indiae partibus, plagam dulcem et enervantem quis dubitat valde favere mollitiei incolarum? Numquid ardens Arabum oculus, solis Africae ardoribus non respondet? Cum per veterum viatorum scripta legimus, Palestinam et Syriam tali coeli splendore gaudere, ut parva foenestra ibi magis domum illuminet, quam magna apud nos, statim inferimus unam ex praecipuis causis fervidae imaginationis gentium orientalium. Si musicalia instrumenta, quam cito sentiunt aerem humescentem aut arescentem, et hoc sonitu demonstrant: idem est in homine, qui, has causarum et effectuum relationes sono proprio, idest sermone, aut sua-

(1) *Brevil.*, par. 2, cap. 4.
(2) Vol. I, cap. 17.

viori aut acri, secundum coeli suavitatem aut asperitatem, denotat..... Nec hoc differt quoad loca, et tantum dicam de peculiari influxu, quo donantur in sensus, et in alias hominis facultates, eo ut, in eis imprimant quamdam sui formam. Primus est visus, sic inter sensus aptissimus est ad imaginationem et intellectum perficiendum; nam, secundum naturales prospectus, diversimode animus informatur. Exempli gratia, qui, Florentia relicta, Mugellum versus graditur et in laeta via, collibus et Alpis Penninis circumclusa, amniculis sulcata, vitibus, olivis, et castris sparsa, inspicit Vicchii pagum, sentit quomodo coeli serenitas, pulchritudo et quies planitiei ad magnitudinem et suavitatem educare potuerunt iuvenilem animum beati Angelici et Giotti. Visum, sensum graphidos, auditus sequitur, musices sensus. Prae omnibus in nos potest hic sensus, secundum sonos, quos habitualiter sentimus, scilicet secundum maris fremitum, fluminum strepitum, avium cantum, levem ventorum spiritum, aut tempestatum sonitum; proindeque haec omnis varietas, varias literarum imagines nobis indicat a Mahabharata ad Orlandum Furiosum, ab Illiade ad Ossianica poemata; nec non varios musicales gustus ac varios sermonum sonitus...... Tertio, tactus;..... prout ex natura aut ex arte, loca tactui exhibent lenia aut ispida corpora, nec non frigida aut calida, et secundum etiam harum sensationum vivacitatem; phantasia, intellectus, morales habitudines diversimode informantur. Ut absque dubio Sinentium mollitiei..... valde favebat sericarum vestium malus usus, dum lanea vestis quam maxime favere potest vi sentiendi et moribus; et hoc patet in monticolis et in religiosis..... Odoratus etiam non parum ingerit..... in intimas hominis facultates et ingeniorum, quod experientia commonstrat; florum enim flagrantia temperata nos excitat, et foetor nos opprimit; nec poetis, artificibus ac doctis Graeciae, et Italis praesertim Florentiae, parum profuit florentis terrae flagrantia; et e converso magis detrimento fuit nimius rosarum essentiae usus, Damasco coeterisque Minoris Asiae par-

tibus; idemque mentis facultatibus officit nimium tabacum speciatimque odoriferum, quomodocumque adhibeatur. Denique gustus, qui non tantum ciborum natura prodesse aut nocere potest corporis robori, ac mentis facultatum harmoniae; sed etiam ipsa saporum moderatio aut immoderatio, ut nimius vini calidi, aromatum. succosarum carnium usus, lepidas aut rudes habitudines morales, et ingenium reddit.

207. *Q.* Utrum natura corporalis influat in arbitrii libertatem?

R. Cum indubitanter sit verum, quod sumus finis omnium eorum quae sunt; cum corporalia facta sint ad humanum obsequium, ut ex his omnibus accendatur homo ad laudandum et amandum universorum Factorem, cuius providentia cuncta disponuntur; cum haec sensibilis corporalium machina, sit tamquam quaedam domus a summo opifice homini fabricata, donec ad domum veniat non manufactam in coelis, ut sicut anima modo, ratione corporis et status meriti, nunc est in terris, sic aliquando corpus ratione animae et status praemii sit in coelis; cumque denique ad finem per liberum arbitrium tendamus; hinc prospicitur, quantum ad arbitrii libertatem, nos praecellere omnem virtutem corporalem, ac per hoc cuncta nata esse nobis servire, nihil autem nobis dominari habere, nisi solus Deus, non fatum, sive aliqua siderum dispositio (1). Sententiae seraphicae arrisit Aligherius, canens:

Voi che vivete, ogni cagion recate
  Pur suso al Cielo, sì come se tutto
  Movesse seco di necessitate.
Se così fosse, in voi fôra distrutto
  Libero arbitrio, e non fora giustizia,
  Per ben, letizia, e, per male, aver lutto.
Lo Cielo i vostri movimenti inizia;
  Non dico tutti; ma, posto ch' io l' dica,
  Lume v' è dato a bene ed a malizia;

(1) *Brevil.*, par. 2, cap. 4.

E libero voler, che, se fatica
  Nelle prime battaglie col ciel dura,
  Poi vince tutto, se ben si notrica.
A maggior forza ed a miglior natura
  Liberi soggiacete, e quella cria
  La mente in voi, ch' 'l Ciel non ha in sua cura.
Però, se il mondo presente disvia,
  In voi è la cagione, in voi si chieggia,
  Ed io te ne sarò or vera spia (1).

CAPUT IV.

DE SCALA CREATIONIS.

208. *Q.* Quid, quotque sint scalae creationis gradus?

R. A philosophis christianis, universitas rerum, scala creationis vocatur, quia Deus per creata a nobis cognoscitur, et est nexus rerum creatarum, per quem intellectus ad Deum ascendit. Sub hoc respectu, a nostro Duce, philosophia habetur, ut medium, per quod theologus fabricat sibi speculum ex creaturis, ex quibus tamquam per scalam erigitur in coelum. Huius scalae gradus tres sunt praecipui, eorumque convenientiam egregie declarat Magister sequentibus verbis: « Deus produ- » xit creaturam pure corporalem, ut est mundialis machina; » creaturam pure spiritualem, ut est natura angelica; crea- » turam ex utraque compositam, ut est natura humana. Sic » enim decuit Deum producere varia et diversa, ut multipli- » citas naturae faceret ad perfectionem universi. Quae con- » sistit in amplitudine ambitus, in sufficientia ordinis, et in » influentia bonitatis; ex quibus etiam divina potentia, sa- » pientia innotescit. Decuit namque Deum sic res producere, » ut essent ad manifestationem suae potentiae; quae quidem

(1) Purg., c. XVI, v. 67.

» apparuit, in productione creaturarum summe distantium, et » earumdem coniunctione; ut patet in natura humana, in qua » corporeum et incorporeum uniuntur. Item decuit Deum sic » res producere, ut essent in manifestationem suae sapientiae; » quae maxime ex perfectione ordinis declaratur: qui quidem » ordo necessario tria requirit, scilicet infimum, medium, et » supremum. Infimum, fuit natura corporalis; supremum, na» tura spiritualis; medium, natura composita ex utraque. Item » decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestatio» nem suae bonitatis et benevolentiae; quae maxime consistit » in diffusione et communicatione in alterum. Sic ergo divina » bonitas communicavit actum nobilissimum, qui est vivere » et intelligere, ut non tantum daret alii potentiam vivendi » et intelligendi, sed etiam potentiam se communicandi alii, » quod factum est in homine, in quo spiritualis vita et in» tellectiva perficit corporalem (1) ».

209. *Q.* Quid, et quotuplex sit vita?

R. Vita est activitas, qua ens seipsum movet, et relictis mineralibus, quadrifariam secernitur, nempe in vegetativam, sensitivam, rationalem, et intellectivam. Vita vegetativa, est illa, qua instruitur planta, et triplici operatione fruitur, nempe nutritione, auctione, et generatione. Hoc nos docet experientia, magistra vitae, quae etiam annuntiat rationi, leges organizationis, unitatis et identitatis, quibus fruitur planta, et minerale destituitur.

210. *Q.* Utrum vita plantae, a vita belluarum differat, et an animalia, facultate sentiendi proprie dicta, gaudeant?

R. Quod vita plantae, a vita belluarum toto coelo, differat, inconfesso est apud omnes. Etenim plantae vegetant, animalia sentiunt. Primae contrectabilitate carent, quam habent animalia. Omnes autem recte philosophantes, si Descartes et Mallebranche excipias, bruta animalia, facultate sentiendi proprie

(1) *Centil.*, p. 3, sess. 9.

dicta, gaudere docuerunt. Et ratio communis est, quia bruta sensoriis fruuntur, sensationes experiuntur, et motu spontaneo gaudent. Sed haec quid dicunt, nisi facultatem sentiendi? Ergo animam possident animalia, orbantur autem intelligentia, utpote quae, ideis universalibus, carent.

211. *Q.* Utrum vitae principium animalibus sit simplex, quoad essentiam et quantitatem?

R. Animalia gaudent principio vitae simplici, tum quoad essentiam, tum quoad quantitatem. Etenim animantia, plures simul experiuntur sensationes, et elapsas cum praesentibus colligant. Atqui hae expostulant principium simplex; ergo etc. Secunda ratio est, quia principium vitale, in bestiis perfectis, unitate essentiali et physica, gaudet; sed ad hanc unitatem requiritur principium simplex; ergo etc. Denique quomodo possent animalia, elapsum componere cum actu praesenti, diversumque coniungere, si centro quodam sensationum carerent? Hinc sunt notanda: primo, animam belluarum esse substantiam: simplex est enim et sensibilis: secundo, hanc animam, ut omnem vim substantialem, exordio temporum, a Deo creari; et, per legem nobis absconditam, in corpora ingredi, et egredi, egredientem autem perdituram, non esse, sed actum sentiendi, cui sensus et organa sunt necessaria: tertio, actum belluarum generativum producere compositum, non componentia, scilicet nec atomos, nec vivificans principium, quae sunt subiectum, quo considit unitas potentialis.

212. *Q.* Utrum animalia, propter hominem, facta sint?

R. Cum Magistro nostro notandum est: « quod aliter or-
» dinantur animalia ad hominem secundum statum innocen-
» tiae, aliter secundum statum naturae lapsae. Secundum
» statum innocentiae, ordinantur ad hominem, secundum ra-
» tionem quadruplicem. Prima ratio est, ad manifestandum
» eius imperium, quod manifestarent, dum ei per omnia obe-
» dirent. Secunda, ad decorandum hominis habitaculum; per-
» pulchrum enim erat, habitaculum hominis, animalium mul-

» tiplicatione, non solum arborum, decorari. Tertia, ad exci-
» tandum hominis sensum, ut in ipsorum animalium naturis
» diversis, videret homo multiformitatem sapientiae Creatoris.
» Quarta, ad moderandum eius affectum, ut dum homo vide-
» ret animalia, secundum rectitudinem suae naturae currere,
» et amare illud, ad quod naturaliter facta sunt, ex hoc ex-
» citaretur ad amandum Deum. Et propter has rationes non
» solummodo fecit Deus iumenta; sed etiam bestias et pecora:
» omnia enim faciunt ad hominis utilitatem secundum rationes
» praedictas. Secundum statum naturae lapsae ordinantur ista
» animalia ad utilitatem hominis; sed aliter bestiae, et aliter
» iumenta et pecora. Iumenta enim et pecora ordinantur ad
» relevandam hominis indigentiam, quantum ad cibum et
» quantum ad vestimentum et quantum ad obsequium, sicut
» sunt equi et asini; et quantum ad solatium sicut quaedam
» aves et catuli, et similia; et sic facta sunt propter hominem
» ratione quadruplici. Similiter animalia, sive bestiae noxiae,
» ordinantur ad hominem secundum quadruplicem rationem
» et utilitatem..... Quia aut poenaliter laedunt, aut salubriter
» exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent. Et
» sic patet, quod tam bestiae quam reptilia, et iumenta facta
» sunt propter hominem, sive in statu innocentiae, sive in
» statu naturae lapsae (1) ».

213. *Q.* Utrum eterogenesis absoluta sit admittenda, sive utrum corpora viventia, ab inorganicis, sint derivanda?

R. Eterogenesis absoluta absurditas est. Etenim scientiae axioma est: maius a minori non oriri, secus effectus superaret causam, aut non haberet causam. Nam cum compertum sit, apud omnes, in plantis principium esse vitale, ex intrinseco operans, unionemque organatam unificans, quod in materia inorganica deficit; cumque sit perspicuum, in animantibus unicum vitae et sensus principium esse, et sensum in vegeta-

(1) II. Sent. dist. 15, art. 2, q. 1.

libus non esse, et nonnullos motus, qui fiunt in aliquibus plantulis, esse pure vegetales; hinc est concludendum, eterogenesim absolutam, esse omnino repugnantem. Coeterum, quodam opusculo, Doctor Marcellinus Venturoli, effectus physicae in hoc, et huius opinionis historiam, breviter et clare refert. Dicit enim, veteres credidisse, vermes ac nonnulla parva alia animalia, ultro corruptione generari, quia eorum originem denotare nequibant; addit, Redi, etiamsi dictitasset terram per se producere plantas et animalia, tamen postea admisisse animalia parassita (plantarum) vegetalium enasci eadem virtute vitali, qua producuntur fructus foliae ac truncus; adiungit, Swammerdam et Malpighi observasse ova in gallis deposita; indeque oriri larvas, et ex his, quasdam prodire muscas, aeque ac in fructibus; appigit, Redi ipsum, Swammerdam, Leuvenhock, et Vallisnieri et alios, inspexisse parassitorum generationem in bruti ac hominis corpore ne spontaneam quidem esse, cum haec propagationis organis gaudeant, et ex studiis recentioribus Vulpiani et aliorum compertum esse, plerosque parassitos ingredi per cibum ac potum; scribit etiam in *infusoriis*, quorum ova ac germina aerem replent, propagationis legem examinatam fuisse tam clare, ut Balbiani ostenderit, omnia animalia per sexum propagari; denique concludit dicens, Edwards, Pasteur et nonnullos alios, tam certa ac multiplici experientia probasse, ubique esse parvissima animalia, ut potuerit Pasteur adversarios provocare, ut unum tantum afferrent exemplum, in quo, carnem male asservatam, non esse corruptam, et vermibus germinibusque scatentem; et bene custoditam, clausamque, esse putrafactam, organicisque germinibus plenam, demonstretur (1).

214. *Q.* Utrum formae substantiales, sive principium vitale in rebus, sit fixum?

R. Hodierni saeculi transformistae, vestigiis veterum Epi-

(1) Augusto Conti, *L'Armonia delle cose,* vol. I, cap. 24.

cureorum et Ioniorum inhaerentes, ut Lamarke et Darwin, autumarunt principium vitale esse vagum. Sed hoc affirmantes, quam maxime a vero aberrant. Nullum enim individuum reperitur cuiusque speciei, inter mineralia vegetalia et animalia, quod ad meliorem speciem transmigrare possit: v. gr. res inanimata ut lapis, quae vita gaudeat, lupus, qui agni formam, invadat. Si enim species intrinsece variarentur, nec amplius essent primitivae; omnia, in natura rerum, confunderentur. Variantur igitur, non transmutantur. Nec obviat, educationis artificialis, argumentum. Etenim, ut eloquenter demonstrat Cardinalis Alimonda, plantae silvestres cultae, ad primitivum statum redeunt, subito ac ad se negliguntur. In surculis, tam naturalibus quam artefactis, vegetale semper servat, duplicis speciei characterem; hoc idem evenit in animalibus. Nam equi et asini, species eiusdem generis, copulari possunt ac filios generare, sed infoecundos, quod si foecundi evadant, eorum foecunditas cessat in secunda aut tertia generatione. Ita connubia monstruosa semper *ibrida* fiunt; quod omne commonstrat, quod si species interdum variationes subeunt, nunquam vero transformantur. Iure igitur scribit Offmann: variationum modus, quam diffusive latescit, sed terminis est circumclusus (1). Sed transformantur progressu temporis, et plurima requiruntur saecula, ad hanc variationem, inquit Darwin. Deinde quid non proficit habitudo? Ad hanc obiectionem solvendam, si nobis deficiunt documenta, unde sunt documenta, ad illam confirmandam? Est igitur hypothesis gratuita, nulloque facto innixa. Nec tantum gratuita, sed ridicula, quia factis adversatur; et quaedam astruit, a veritate quam maxime absona. Quare citatus Alimonda lepide arguit: Quaedam avis, ad aquam coacta, ut sibi comparet cibum, natare desiderat, et ad hoc digitos extendit. Optime: sed hi, cum sint nimiae parvitatis, eam non sustinent; quid valet? digitos

(1) Card. Alimonda, *Problemi del secolo XIX*, vol. II, conf. 3.

indefesse extendat; et iterati conatus, gratia pellis quae extremos digitos iungit, sese laxabit; et ita fiet quaedam membrana, ad natandum perapta. Sicque passeres ac vespertiliones fient anates. Alia avis, quae enatare non optat, sed tantum ad aquam accedere, ad cibum inquirendum, ne luto submergatur, totis viribus, periculum cruribus facit; quousque hae longae appareant ac graciles, ut in ciconiis, et similibus patet. Ita anseres collum tendendo, olores factae sunt. En ergo consuetudinis miracula. Candidi auditores, ad hominem nobilitandum, superius vos extollere optatis? Collum tendite. Volitare cupitis? Brachia extendite, ea indefesse iactate, et necessario plumescent, et tunc cathedram excelsius transferemus, concionatum ibimus in Ezechielis currum. Repeto: num, inquam, in natura ita fit? Ah Darwin, Darwin, commentorum usus et conatus, te excaecavit; nec dugentis aut tercentis saeculis indiguisti (1). Sed zoologiae, geologia favet, reponit Darwin. Etiam haec difficultas nulla est, et prorsus evanescit, quia geologia, formarum constantiam praedicat; mutatio enim, si esset, esset interna, non externa, et principium internum immateriale est et simplex, ideoque immutabile. Sic, germen quercus et agni, semper est idem, nec progressu aetatis variatur.

215. *Q.* Quid de vita hominis, eiusque gradu, in scala creationis, sit praecipue tenendum?

R. Vita hominis tripliciter considerari potest; primo, ex parte mentis; secundo, ex parte carnis; tertio, ex parte totius hominis. De anima rationali, haec, docente Bonaventura, tenenda sunt: « ...... scilicet, quod ipsa est forma, ens, vivens,
» intelligens et libertate utens. Forma quidem ens, non a se-
» ipsa, nec de divina natura, sed a Deo de nihilo per crea-
» tionem in esse deducta. Forma autem vivens, non ex natura
» extrinseca sed a seipsa, non vita mortali, sed vita perpetua.
» Forma vero intelligens (nota, intelligens, non intuens, ut Gio-

(1) Alimonda, loc. cit.

» berti volebat) non tantum creaturam, sed etiam creatricem
» essentiam, ad cuius imaginem facta est, per memoriam, in-
» telligentiam, et voluntatem. Forma libertate utens, quia sem-
» per est libera a coactione; » et de iis omnibus in Anthropologia erit profuse dicendum. Quoad corpus, docet Doctor noster: « hominem esse manifestationem Dei potentiae, sa-
» pientiae et bonitatis. Dei potentiae, quia fecit eum ex na-
» turis maxime distantibus, coniunctis in unam personam et
» naturam, cuiusmodi sunt corpus et anima, quorum unum,
» scilicet corpus, est substantia corporea, alterum vero, sci-
» licet anima, substantia spiritualis et incorporea. quae di-
» stant maxime, in genere substantiae. Ut vero.... manifestetur
» Dei sapientia, fecit tale corpus, quod proportionem suo modo
» haberet ad animam. Quoniam ergo corpus unitur animae, ut
» perficienti, ut moventi, et ad beatitudinem sursum tendenti;
» ideo, ut conformaretur animae vivificanti, habuit comple-
» xionem aequalem, non a pondere vel mole, sed ab aequa-
» litate naturalis iustitiae, quae disponit ad nobilissimum mo-
» dum vitae. Ut autem conformaretur moventi, per multifor-
» mitatem potentiarum, habuit multiformitatem organorum,
» cum summa venustate, et artificiositate, et ductibilitate, sicut
» patet in facie et in manu, quae est organum organorum.
» Ut autem conformaretur animae sursum tendenti ad coe-
» lum, habuit rectitudinem staturae, et sursum rectum caput;
» ut sic corporalis rectitudo attestaretur rectitudini mentali.
» Postremo ut in homine manifestaretur Dei bonitas et be-
» nevolentia, ideo fecit hominem absque omni macula et culpa,
» et absque omni poena sive miseria ». Denique quoad totum hominem, haec, semper eodem Magistro dictante, sunt ponenda scilicet, « quod datus est ei duplex sensus, videlicet,
» interior et exterior, mentis et carnis. Datus est ei duplex
» motus, scilicet imperativus in voluntate, et executivus in
» corpore. Datum est ei duplex bonum, unum visibile, et al-
» terum invisibile. Datum est ei duplex praeceptum, scilicet

» naturae et disciplinae...... Iuxta quae, datum est sibi quadru-
» plex adiutorium, scilicet, scientiae, conscientiae, synderesis et
» gratiae, ex quibus sufficienter habuit, ut posset stare in
» bono, et proficere, et a malo cavere, et declinare (1) ».

216. *Q.* An fuerit conveniens creare hominem de limo terrae?

R. Hominem creari de limo terrae, exigebat ordinis congruentia, quam in omnibus suis operibus semper servat Sapientia divina. « Requirebat enim hoc, docet Magister, ordo
» hominis sive in se, sive ad creaturam inferiorem, sive ad
» creaturam parem, sive ad Deum finem. Ordo ipsius hominis
» in seipso hoc requirebat: quia enim conditus fuit ut natus
» multa cognosceret, non solum cognitione intellectiva, sed et-
» iam sensitiva; ideo debuit ei dari corpus multiforme, ut di-
» versa organa diversitati sensuum deservirent, ad diversa
» obiecta cognoscenda. Quia vero conditus fuit in vertibili-
» tate liberi arbitrii, ut potens vivere in iustitia et mori per
» culpam, dari debuit ei corpus, quod non esset tantum abile
» ad vivendum, sed etiam quod posset fieri abile ad corrum-
» pendum sive moriendum; et ita ordo hominis ipsius hominis
» in se requirebat, ut corpus daretur homini multiforme, et ad
» corruptionem possibile; et ideo non coeleste, sed elementare.
» Ordo etiam hominis, ad creaturam inferiorem, hoc require-
» bat. Quia enim corporales naturae inferiores factae sunt, ut
» deservirent creaturae rationali..... factae sunt etiam, ut me-
» diante illa, quodam modo perducerentur in finem; hinc est
» quod debuit fieri creatura rationalis taliter composita, quod
» obsequium creaturarum esset ei utile, et quod mediante illa
» creatura, naturae inferiores quodam modo perducerentur ad
» beatitudinem; et ideo, ut naturae inferiores possent homini
» deservire, et in homine quodam modo glorificari, debuit ho-
» mo..... ex limo terrae constitui. Ordo etiam ad creaturam
» parem, idest ad Angelum hoc requirebat. Sicut enim facta est

(1) *Brevil.*, par. 2, cap. 9, 10, 11.

» una rationalis creatura prope Deum, et in loco supremo;.... » sic debuit fieri alia rationalis in loco infimo;.... et ideo cor- » pus eius constitui debuit ex natura, tali habitationi conve- » nienti.... Ordo etiam ad Deum finem, hoc requirebat. Debe- » bat enim homo subiici, ut per humilitatem subiectionis a- » scenderet, unde Angelus ceciderat per sublimitatem ela- » tionis; et ideo debuit sibi dari corpus de inferiori natura, » ut seipsum pulverem reputans, Deo per omnia subiaceret (1) ».

217. *Q.* Utrum in creatione sint Angeli?

R. Convenientia Angelorum in creatione, ita demonstratur a Duce nostro. « Quia primum principium, hoc ipso quod pri- » mum, omnia de nihilo produxit; ideo non tantum prope nihil, » sed etiam prope se: non tantum substantiam a se longin- » quam, scilicet naturam corpoream producere debuit; verum » etiam propinquam; et haec est substantia intellectualis et » incorporea, quae hoc ipso quod Deo simillima est, simplici- » tatem habet, naturae discretionem personalem, propter ra- » tionem insitam, intelligentiam, et voluntatem, nec non ar- » bitrii libertatem, ad eligenda bona et respuenda mala. Haec » autem quatuor attributa principalia, alia quatuor comitan- » tur; scilicet, virtuositas in operando, officiositas in mini- » strando, perspicuitas in cognoscendo, et immutabilitas post » electionem. sive in bono, sive in malo (2) ». Deinde conve- nientes esse Angelos, et rationalem eorum existentiam, per- belle demonstrat Augustus Conti, his tribus innixus argumen- tis. Petit enim: sunt ne possibiles Angeli? Et eorum possibi- litatem astruit. Sensus communis consentit ne, in his admit- tendi? Consentit; quia tum veteres, tum recentes, hanc veri- tatem professi sunt; ergo est conveniens et rationalis eorum existentia; quia id expostulat, tum idea ordinis, tum ordinis experientia, tum conscientiae facta. Sed eius audiantur verba:

(1) II. Sent. dist. 17, art. 2, q. 1.

(2) *Brevil.*, par. 2, cap. 6.

Intellectus noster naturaliter, ad superiora ac perfectiora, conceptu, tendit. Mens enim humana, ad aliquid nobis superius cogitandum, nata est. Ipsa mens, quae in natura humana prima eminet, a nobis concipitur, sensibus abstracta; nec eis, aut eorum speciebus indigens, corporis vinculis soluta, rerum intelligens per solam intelligentiam, aeque ac intellectus noster semetipsum cognoscit; en ergo Angelorum idea..... Coeterum.... Angelorum fides suavissima, maxime poetica, ac universalis est inter omnes. Puerulus, Angelum sibi adstantem credit, quamquam invisibilem. Ac pro certo habendum est, verbum exterius, in nobis ideam producere non posse, quin intellectui nostro potentialiter insit, quia verbum intelligibile est, et intelligentia ab intellectu procedit, non vero a signis externis, ut scintillae a petra percussa, quae hac potentia fruitur..... Insuper, comprobato, in intellectu humano ideam esse spirituum simplicium, hoc omne confirmatur universali historia; in qua tria praecipue adnotantur; mitologia, poesis, ac conceptus magis aut minus patens Angelorum secundum philosophicas ac religiosas ideas. Mitologia; revera; opinabatur Deum quemdam aut daemonem, aut genium semper homini adesse, quin hic eum videret. Et hoc testantur veterum poetarum carmina, praesertim Indorum, nec non..... Graeca et Romana Homeri, et Virgilii.... Ita, in sua Metaphysica, Aristoteles de spiritibus agit, motibus coelorum praepositis, cuius doctrinae postea favit Aligherius.... et hinc videmus; Aristotelem intellectus simplices extare non dubitasse..... Nunc cum possibilitas idealis quam maxime eluceat, cumque comprobatio mitologiae, poesis et philosophorum perspecta bene et clare fuerit, inducere ne possumus Angelorum realitatem? Definire nequimus, quae sensu non percipimus;.... attamen idea ordinis, ordinis experientia, ac conscientiae facta, sic nobis favent, ut affirmare, absque dubio, possimus spiritus simplices reales...... Relatio quam maxime patet, scilicet: mundus ita est ordinatus in omnibus suis perfectionibus, ut indubitate nobis liceat affirmare, gradus mi-

nores compleri et coordinari ad maiores; ideoque, ut veteres philosophi huius certi, materiam sensu expertem, frequentem necessario esse animalibus crediderunt, ac microscopium philosophicam sententiam confirmavit, proindeque deduci potuit non solum terram, verum etiam coelos sparsos esse puris intellectibus aptis ad eorum entitatem ac harmoniam intelligendam; ita nobis fas est asserere, intellectus nostros, et nostro similes, gradus supremos intelligentiae praesupponere. Sed, quibusnam conscientiae nostrae factis, exemplum adinveniemus, ut concipere spiritus reales possimus? Scimus, naturam intellectus nostri, esse cognoscentiam entitatis ac ordinis omnium rerum. Sed intellectus noster sensui adhaerens, tripliciter res cognoscit; scilicet, semetipsum immediate propter reflectionem in actus ac cogitationes suas; corpora per species sensibiles; affectiones ac cogitatus aliorum, per signa exteriora, ac, per horum relationem ad id, quod in nobis experitur, cognoscit, ut a risu, interna laetitia cognoscitur. Conscientia igitur immediata quam intellectus habet sui ipsius, superior est ea, quae habetur per signa ac species sensiles, cum haec significent quidem res, sed palam eas non ostendunt. Natura igitur intellectiva perfectior illa est, quae immediate non tantum se, per se, cognoscit, verum etiam omnia alia; et dum nos, ob unionem animae et corporis, distinguere cogimur, in omni re, *esse* a *specie* aut *videri*, puris spiritibus, *essentia* sine *speciebus*, sese ostendit. Itaque eo modo, quo ex anima *gratiosi* Raphaelis, gratiae sanctarum imaginum prodibant, ita, ex omni humano intellectu, exurgit nobiliorum naturarum idea, quae realiter, in altioribus ordinis creati gradibus, subsistunt (1).

218. *Q.* Utrum sit rationale ponere universum, Angelis frequentem?

R. Cuiusque temporis philosophia, hanc quaestionem affir-

(1) Augusto Conti, *L'Armonia delle cose,* vol. I, cap. 19.

mative resolvit, ita, ut aliquis philosophorum Ioniae, lunam esse habitatam, crediderit. Huic doctrinae, tum populorum sensus, tum vetera poetarum carmina, tum hodierna, tum conscientia humana, quam maxime suffragantur. Quid enim essent astra absque intelligentiis? Quid spatia sine Angelis, nisi solitudo muta et desolata? In hoc certo esse potest superstitio, pantheismus, et poetica fictio; attamen, in hac omnium populorum fide, aliqua realitatis ratio, esse debet. Et ratio eadem est, qua animalium multitudo ubique diffusa prospiciebatur, ac postea per microscopium comprobata fuit. Si materia insensibilis harmonice coordinatur animalibus, quae ubique sunt, multo magis res intelligentia expertes, perbelle coordinantur spiritibus intellectivis, qui tantum cognoscere possunt earum entitatem ac ordinem, quique ideo, ut terram, sic immensum coelum, replent..... Quamquam igitur inducere non possimus, quaenam sit natura intellectualis spirituum coelestium; et licet absurdum sit, eam velle a priori definire: tamen ordinis idea, ordinis experientia, et conscientia nostra rationalis, per quam completur sensus, et corporis harmonia, rationaliter nobis non pauca praebent, ad affirmandum universa corpora coordinari intellectibus, ut signum conceptui, et verbum sermoni (1).

219. *Q.* Utrum Angeli habeant relationem, et influxum in mundi machinam?

R. Angeli permaximum influxum exercent in universum; et ratio est, quia praeter faciem externam huius mundi, quae corporibus componitur, eius vires occultae, ordo, motus et harmonia in mentem revocari debent, quibus necessarius omnino est concursus Angelorum, qui motibus, cunctisque operationibus, et phoenomenis cosmicis exequendis assistant, velut causae, in rerum mundanarum vertice, constitutae. Unaquaeque enim res visibilis est ordinata, et ordo inferior per su-

(1) Augusto Conti, *L'Armonia delle cose*, vol. I, cap. 18.

periorem, et omnia per spiritualem creaturam, et spiritus mali, per bonos spiritus, reguntur. Hinc spiritus, vel sunt assistentes, vel administrantes. Assistentes vel superiores, ad mundum pertinent ex parte Dei, in cuius essentia, secreta cosmologica intuentur; et Angelis inferioribus, hominibus communicanda, revelant. Huic doctrinae favent, tum Patres, tum Doctores, tum Orientales, tum Graeci, tum Romani, tum historici scriptores, tum poetae. Cunctis enim mentibus semper inditum fuit, omnia immediate a Deo non gubernari, sed per causas superiores, sive per Angelos. « Quare, » sapienter Magister, habent Angeli virtutes infimas, per » quas regulant motus nobilium corporum, et influunt in mundi » alia. Et hoc, est positio philosophorum. Constat enim, quod » causa nobilior est suo effectu. Et constat, quod ad influentiam corporum coelestim fit, vel generatur vivum, et ani- » matum, ergo anima. Si ergo animatum nobilius est non a- » nimato, ergo necesse est, ut habeat aliam causam, quam » illa corpora. Et illa est influentia angelica cum influentia » corporum coelestium. Unde per regimen substantiae intel- » lectualis influentis super motum orbis, quem regit, fit hoc... » Item sunt virtutes in Angelis ad animas rationales, per » quas regunt homines. Sunt enim delatores luminum, et ele- » vatores intellectuum ad suscipiendas illuminationes. Est ergo » in eis virtus delativa, quia sunt lumina quaedam et quod- » dam pervium, et contemperant in se nobis divinum radium, » ut proportienetur nobis. Secundo modo, est in eis virtus ele- » vativa, per quam, nos aptant, per condescentionem et ele- » vationem, ad illum radium suscipiendum, non tamquam per- » ficientes. Item, est in eis virtus suprema, qua se ad Deum » convertunt in susceptione splendorum aeternae lucis, quam » amant, et omnia reducunt ad Ipsum; ut tendant in Deum » per amorem et laudem (1) ». Ex hac Bonaventuriana do-

(1) Ex Hexaem. serm. 5. C. D. E.

ctrina clare patet, parvae philosophiae esse tum, nonnullos theologos, tum apologistas nostri saeculi, etiam magni nominis, qui, haec parvi pendentes, aut piis traditionibus, aut nonnullis patribus obscuris primi saeculi, tribuerunt, altissima philosophiae principia ignorantes; quo fit ut nullam fere unqnam difficultatem radicitus solvant, praecipue, ex doctrinis philosophorum, depromptam: ut quaestiones tractent superficialiter, et solis argumentis vulgaribus, dirimant; ut discussiones declinent scholasticas, in quibus solvendis terribilis eminet, ac triumphat philosophia christiana; sicque plurima desiderantur eorum opera perficentia, quae scientiam collapsam excitare, atque undique instaurare deberent.

220. *Q.* Utrum boni Angeli mittantur hominibus?

R. Bonos Angelos ad nos mitti competit, tum charitati divinae, quae per hoc manifestatur; tum angelicae, quae per hoc nos adiuvat; tum nostrae, quae cum sit parvula, per hoc fovetur, nutritur etexcitatur. « Charitati divinae, quia, ut verbis Magistri utamur, in hoc manifestatur divina bonitas, » quantum nostram salutem diligat, dum nobilissimos spi- » ritus, qui ei intima caritate iunguntur, dirigit et transmittit » ad procurandam salutem nostram. Et competit etiam chari- » tati angelicae; cum enim charitatis ardentis sit maxime de- » siderare aliorum salutem...., et Angeli possint nos iuvare, » pro eo quod vident nos suo auxilio indigere et malos An- » gelos indesinenter nos impugnare; ideo, quod ad nos mit- » tantur, lex exigit charitatis angelicae. Competit etiam hoc » charitati humanae, quae, quoniam parvula est, quamdiu su- » mus in via, indiget foveri, et nutriri et excitari. Et quo- » niam Angeli sunt concives hominibus, cum non sint eis iun- » cti per similitudinem naturae, quae excitat ad amorem, o- » portuit iungi per obsequium beneficentiae (1) ».

221. *Q.* Utrum Angeli debuerint deputari ad custodiam hominis?

(1) II. Sent., dist. 10, q. 1, art. 1 in concl.

R. Dei potentiam, sapientiam, et misericordiam decebat, et homini lapso in peccato plurimum conducebat, angelicae custodiae ipsum deputari. « Altitudinem namque, nostro Duce » dictante, decet divinae potentiae duplici ex causa. Una est, » quia Deus non solummodo vult honorari in se, sed etiam in » suis servis. Unde non sufficit altitudini divinae potentiae, » quod Angeli ministrent sibi; sed etiam ad ostensionem ex- » cellentis suae potentiae hoc ab eis exigit, ut ministrent et- » iam creaturae suae. Alia ratio est; quia cum Deus habeat » diabolum, et eius daemones adversarios, magis decens est, » quod ipse eos vincat per suos ministros, ut per hoc osten- » datur potentia manus Dei, qua non solum potens est in se » sed etiam in servis suis, et ut non indebite possit Dominus » exercituum appellari. Ordinem vero sapientiae similiter » decet. Nam hic est ordo, quem divina lex, in suis operibus » exequitur et conservat, ut postrema, per media, deducat ad » summa. Quoniam igitur Angelus, tum ratione immortalitatis » naturae, tum etiam ratione gratiae consummatae, medium » tenet inter Deum, et hominem lapsum: decens fuit, ut Deus » hominem adiuvaret, et custodiret per Angelum. Dulcedinem » etiam decet divinae misericordiae, quae aperuit sinum ho- » mini lapso, nec in aliquo ei defecit, quod spectat ad salu- » tis suae promotionem. Ed ideo cum homo lapsus esset ve- » numdatus, ut faceret malum, ei ministravit pretium San- » guinis Filii sui, *quem* (quo) est redemptus, ut faciat bonum. Et » quia habet adversarium impugnantem, dedit ei ministrum » custodientem, vel custodem auxiliantem; ut sic, ex nulla » parte, miseria remaneret humana, sine divinae Misericordiae » subsidio et beneficio. Competebat igitur homini lapso, dari » ex hac triplici ratione, angelicam custodiam (1) ».

222. *Q.* Utrum, stante homine, Angeli deputati fuissent ad custodiam hominis?

(1) II. Sent. dist. 11, q. 1, art. 1.

R. « Etsi Angelus deputatus ad custodiam hominis, in mul-
» tis prosit ei, et subveniat: specialiter tamen ad hoc depu-
» tatur, ut ab invisibili adversario defendat. Quia enim homo
» non habet colluctationem adversus carnem et sanguinem,
» sed adversus mundi rectores, et adversus spiritualia ne-
» quitiae in coelestibus, qui sunt hostes invisibiles, debet per
» oppositum habere invisibiles adiutores, ad sui ipsius defen-
» sionem. Et quia adversarius undique nos impugnat, nam ra-
» tionem seducit per astutias, voluntatem allicit per blanditias,
» virtutes opprimit per violentiam; ideo bonus Angelus specia-
» liter ad hoc nobis datur, ut hominem defendat ab oppres-
» sione contra violentiam: ut hominem erudiat, et dirigat con-
» tra fallaciam: ut hominem exhortetur, et inducat ad bonum
» contra blanditias. Quia igitur adversarius noster diabolus,
» etiam homine instituto, erat fortior et astutior, et in pro-
» posito malitiae pertinacior; ideo competebat homini dari
» angelicam custodiam, quae comprimeret potestatem adver-
» sariam, non solum secundum statum naturae lapsae, sed et-
» iam institutae, licet magis nunc, quam tunc indigeret (1) ».

223. *Q.* Utrum omnes gradus, in creationis scala, inter se connectantur?

R. Quanquam rerum species sint diversae, qualitatesque habeant essentiales, quae sunt propriae singularum: tamen per genus secum sociantur, cui subiiciuntur. Sic vegetalia differunt a mineralibus, quia illa vivunt, haec non: sed tamen in hoc conveniunt, quod ambae sunt substantiae. Dissident a vegetalibus animantia, quia ista sensum habent, quo privantur plantae: sed in hoc consociantur, quod utraque vivunt. Homines a brutis distinguuntur, quia rationales: ast cum brutis sentiunt. Angeli discriminantur ab hominibus, quia sunt mere intellectivi: sed tamen homines, cum illis sociantur, intellectione. Rursus ex diversis naturae rebus; una est perfe-

(1) II. Sent. dist. 11. q. 2, art. 1.

ctior altera, imo in eadem specie, sunt diversi gradus, qui classes, ut dicunt, efformant. Hinc fit, ut infima nobiliori, nobiliora infimis, coniungantur, et vicissim, sibi aliquid communicent. Sic bellua, per *ourang-outang*, ad hominem accedit, et per polypum, cum planta in aliquo consentit.

CAPUT V.

DE MUNDI LEGIBUS.

224. *Q.* Utrum ordo sit in rebus, et quotuplex sit?

R. Entia mundi cuiusque generis, non casu huc illuc iactata, sed pulcherrimo ordine, et solidis mirisque modis, coniuncta fuisse, ex dictis, in capite quarto, liquido patet. Hinc ex praeclarissimo mundi ordine, Plato mentem divinam, Aristoteles supremam causam motricem, arguebant. Ordo autem quadruplex est; alius enim est universalis, alius particularis, prout res omnes ex divina scientia et voluntate dispositas, respicit, vel contingentes, et finitas contemplatur. Alius dicitur ordo naturalis, alius supernaturalis, in quantum considerat leges naturae cosmicas, vel leges, super naturam, divina virtute, operantes. Ordo particularis tot habet leges, quot sunt entia specie diversa. Hinc habentur leges meccanicae, leges chymicae, leges dynamicae, leges magneticae, leges hidraulicae, leges botanicae, leges geologicae, aliaeque innumerae, quae sunt totidem modi specierum singularum existendi, et agendi. Ordo universalis, qui magis totum, quam partes respicit, habet suas leges, quae cosmicae vocantur; et sunt proprie loquendo, lex attractionis universalis, lex gravitatis, lex graduationis specierum, lex connexionis, etc.

225. *Q.* Utrum ordo naturalis, coniungi possit supernaturali?

R. Ordo naturae, ordini supernaturali coniungi potest, quia

240. *Q.* Quid sit anima, secundum rem?

R. De anima secundum rem, ut notat Magister noster, « di- » versas videntur sententias philosophi protulisse. Plato enim » dicit animam, numerum seipsum moventem; Aristoteles, en- » telechiam; Pythagoras, harmoniam; Hippocrates, spiritum » tenuem; Eraclitus, lucem; Democritus, spiritum ex atomis » compositum; Hyppomenes, igneum vigorem; Parmenides di- » cit eam de terra et igne; Epicurus autem, ex aere et igne. » Inter has diversitates, nos sequimur dicta Sanctorum, et ca- » tholicorum magistrorum dicentium, quod anima est substan- » tia spiritualis et rationalis, ad vivificandum corpus huma- » num, de nihilo creata. Creata est, in quantum anima perfe- » ctibilis, et imperfecta quantum ad scientiam et virtutes, » perfectissima tamen est, quantum ad potentias naturales. » Et quia incorporea est, sensui non est subiecta, neque se- » cundum dimensionem extensivam. Quantitatem enim habet » anima, non dimensivam, sed potestativam et virtualem. Et » quia simplex est anima, ideo nec augmenti nec decrementi » est susceptiva; quia nec in corpore maiori, maior: nec in » minori, minor, reperitur...... Multitudo quoque potentiarum » in anima non ponit maioritatem in animae natura, sed mul- » tiplicitatem effectuum. Anima etiam est vita perpetua, sci- » licet per memoriam, intelligentiam et voluntatem, ad ima- » ginem Dei facta, capax virtutis et vitii, susceptibilis poenae. » vel praemii, arbitrio libera, potentiis, habitibus ac affectio- » nibus, decorata. Caret pondere, figura et colore. Passibilis » et mutabilis est: eo magna, quo capax est aeternitatis: eo » recta, quo naturaliter appetens est bonitatis: eo bona, quo » particeps est divinitatis (1) ».

241. *Q.* Quid sit anima, secundum nomen?

R. Diversa sunt nomina animae, non propter essentiae pluritatem, sed propter effectuum multiplicitatem et operatio-

(1) Oper. cit., cap. 30.

nem. « Anima enim, ut scribit Doctor noster, dicitur in quantum corpus animat et vivificat: mens in quantum recolit: » animus, dum vult: ratio, dum rectum iudicat: spiritus, dum » spirat, vel quia spiritualem naturam habet: sensus, dum » sentit: memoria, dum recordatur: voluntas, dum consentit. » Dicitur anima ab α, *est sine;* et αἷμα, quod est *sanguis*, eo » quod sit sine sanguine: vel dicitur ab α et νέμειν, quod est » *tribuere*, eo quod anima vitam tribuit: vel dicitur anima » quasi ἄνεμος, idest *ventus*, quod spiritus sit (1) ».

242. *Q.* Utrum animus humanus sit simplex, tum quoad essentiam, tum quoad quantitatem?

R. Animum esse simplicem, res est cuique perspectissima. Id enim, quam evidentissime potest, multiplici ratione, comprobari, contra philosophos Ioniae, democriticos, epicureos, nec non stoicos veteris aetatis, et contra recentes Elvezio, Diderot, Lamettrie, Spinoza, Toland et Hobbes, quibus associantur nonnulli viventes, ut Bukner, Moleschott, Vagner, Comte et Littré. Illud enim est simplex quoad essentiam, quod partibus non coalescit, nec in partes resolvitur; atqui talis est anima, quia si corporea esset, aliud videret per oculos, aliud audiret per aures; et duabus oculorum visionibus non unica, sed duplex responderet sensatio optica; auribus excitatis duplex, non una sensatio acustica; naribus affectis non una, sed duplex sensatio olfactiva; hoc tamen non accidit; ergo animus est simplex et unus. Haec autem simplicitas tum ex conscientia, tum ex memoria, tum ex volitione, maxime colligitur. Colligitur ex conscientia, quia ista dicit, animum ideas habere, quae in indivisibili sunt positae, licet variis notionibus constent, et nos posse, pro libito, cogitationes nostras, inter se conferre, et per reflexionem, in ipsas redire. Haec autem comparatio, et reflexio est impossibilis, sine simplicitate animae, quia ambae expostulant comparatorum integram cognitionem, et simulta-

(1) Oper. cit., cap. 31.

neam apprehensionem et quamdam reductionem ad unum; ergo animus, ex testimonio conscientiae, simplex est. Sed et patet simplicitas animi, etiam ex operatione memoriae. Operatio enim memoriae, ut notat Doctor, « est retentio et re- » praesentatio, non solum praesentium, corporalium et tem- » poralium, verum etiam succedentium, simplicium et sempi- » ternalium. Retinet namque memoria praeterita per recor- » dationem, praesentia per susceptionem. futura per praevi- » sionem. Retinet etiam simplicia, sicut principia quantitatum » continuarum et discretarum, ut punctum, instans, et unitatem; » sine quibus impossibile est meminisse, aut cogitare ea, quae » principiantur per haec (1) ». Nunc haec omnia, quae a memoria operantur, volunt aliquid simplex et unum; nam si esset corporeum, una eiusdem pars, unam sentiret corporis moleculam, alia, aliam sibi contiguam; una, res praesentes, altera succedentes: una corporale, altera simplex: una temporanea, altera sempiternalia. Hoc autem, experientiae adversatur, ergo anima est simplex. Denique, simplicitas animae adstruitur ex operatione virtutis electivae. Haec enim, scribit Magister, « at- » tenditur in consilio et iudicio. Consilium autem est in in- » quirendo, quod sit melius hoc, an illud. Sed melius non di- » citur, nisi per accessum ad optimum. Accessus autem est » secundum maiorem assimilationem. Nullus igitur scit, utrum » hoc sit, illo melius, nisi sciat illud, optimo magis assimilari. » Nullus autem scit, aliquid alii magis assimilari, nisi illud co- » gnoscat..... Iudicium autem certum de consiliabilibus est, per » aliquam legem. Nullus autem certitudinaliter iudicat per » legem, nisi certus sit, quod illa lex recta sit, et quod ipsam » iudicare non debet (2) ». Atqui tum consilium, tum iudicium dicunt electionem; electio autem cadit inter varias cogitationes, quae sine principio uno, nunquam nec consilium, nec

(1) *Itiner. mentis in Deum*, c. 3.

(2) Loco cit.

iudicium efformarent; sed iudicia efformantur et consilia; certa est igitur humani spiritus simplicitas. Sed anima est etiam simplex, quoad quantitatem. Anima enim, vi reflectendi fruitur, plures sensationes experitur, percipit extensa. Porro ens extensum et compositum, haec peragere nequit, quia unitate synthetica caret; ergo anima simplex est, quoad quantitatem. Item, anima non est corpus, quia nullum corpus est forma; sed anima est forma; ergo non est corpus. Similiter duo corpora nequeunt esse simul; sed anima non est seorsum a corpore, dum vivit; ergo non est corpus. Pariter, intelligere non est corporis; sed anima intelligit; ergo non est corpus. Praeterea omne movens componitur duobus, non moto et moto; sed anima est movens; ergo motum est corpus; ergo anima non est corpus. Denique, omne divisibile indiget continente; sed corpus est divisibile; ergo indiget continente; ergo anima; anima enim recedente a corpore, corpus dissolvitur. Sed per totum corpus effunditur sensitivum principium? Verissimum est; sed est semper unum, et identicum sensationum subiectum; ergo corpori, quod mutatur, non affigitur; ergo nec dividitur, nec componitur; ergo non est quantitativum. Falsus est igitur materialismus, qui animam dicit corpus esse, vel corporis partem, vel qualitatem corpoream; quia haec omnia sunt extensa, divisibilia, composita.

243. *Q.* Utrum anima humana sit spiritualis?

R. Anima humana non solum est simplex, sed aliquid nobilius est. Quamquam enim corpus informet, tamen tum intellectu, tum voluntate, a corpore, in suis operationibus, non pendet; ideo spiritualis appellatur. Ratio est, quia operatio sequitur esse; sed operationes animae sunt spirituales; ergo spiritualis est anima, quae eas elicit. Teste enim experientia, intellectus mere spiritualia percipit: de ipsis iudicat, et ratiocinatur: materialia immaterialiter apprehendit; et ad omnem se protendit veritatem. Deinde mens nostra, pagos, urbes, agros, imo terram coelumque totum, et integrum percipit,

quin dilatetur, parva cognoscit, quin restringatur, abstracta attingit, quin dividatur, abstracta item colligit, quin conglutinetur. Ergo nulla materiae operatio, in cogitationis actu, continetur; ergo est spiritualis. Adhuc; mens nostra una cogitatione complectitur plura, diversa, opposita et inter se repugnantia. Sed quod est corporeum, huius operationis est incapax; aliae enim leges corporibus, aliae mentibus sunt statutae; ergo non est corporeum, quod talia agit, ergo spirituale. Item, mens repletur innumeris cogitationibus, aliis praeteritis, aliis praesentibus, aliis unius, aliis alterius generis, et tamen est idem et unicum semper subiectum cogitans. Sed quod, hoc conficit, spirituale est; materia enim ac fere omni praesentia caret; caret identitate, caret cognitione; ergo spiritualis est anima. Praeterea quod, in seipso recipitur, volvitur ac funditus se perscrutatur, est spirituale; sed anima in seipsam reflectit, et, ut canit Poeta divinus,

. . . . . . sè in sè rigira (1);

ergo est spiritualis. Insuper haec veritas a voluntate comprobatur; voluntas enim bona appetit spiritualia, iisque fruitur, malas inclinationes retrudit, et in suas plenum dominium habet operationes. Deinde ex desiderio, spiritualitas animae evincitur. Desiderium enim, ut verbis utamur Magistri, « est » ipsius, quod maxime movet; maxime autem movet, quod » maxime amatur; ergo si amatur, cognoscitur (2) ». Sed summum bonum cognitum, est maxime spirituale; ergo spiritualis est anima, quae ad illud tendit. Denique; ut alia innumera omittam, ad spiritualitatem animae demonstrandam, et medicorum rusticanae sententiae falsitatem refellendam, tot sunt testimonia quot sunt potentiae, quot actus, quot leges, quot passiones mentales. Substantiam enim spiritualem praedicat

(1) Purg., c. XXV, v. 75.
(2) *Itiner.*, loc. cit.

iudicium, praedicat comparatio, praedicat ratiocinium, praedicat memoria; materialistarum igitur opinio, tam est absurda, quam entis, et nihili coexistentia.

244. *Q.* Utrum materia possit esse principium cogitationis?

R. Materia nequit esse cogitationis principium. Proprietates enim, quae se mutuo excludunt, in eodem subiecto, simul esse non possunt. Sic quadratum, nequit esse simul rotundum. Sed principium cogitationis, et materia sibi invicem pugnant; nam unum est activum, alia iners; unum simplex, alia multiplex; unum comeabile; alia impenetrabilis; unum indivisibile, altera divisibilis; ergo cum spiritus, et materia sint contradictoria, lockianam materialismi doctrinam, esse deliramentum, concedendum est.

CAPUT II.

DE UNITATE ANIMAE ET CORPORIS.

245. *Q.* Utrum anima intellectiva sit una, in omnibus hominibus?

R. « In hac quaestione multi philosophantes, verba sunt » Magistri, multa dixerunt falsa et vana; quidam enim phi- » losophi crediderunt, non solum eamdem esse animam in o- » mnibus hominibus, sed etiam in omnibus animalibus; cre- » diderunt enim animam non esse aliud quam Deum; et huius » positionis fuit Pythagoras, et Varro. Alii autem aliter opi- » nati sunt, quod anima humana, secundum quod intellectualis » est, una est in omnibus hominibus; non solum quantum ad » intellectum agentem, sed etiam quantum ad intellectum » possibilem. Hoc autem ponere, non est philosophia, sed ma- » nifesta insipientia. Est enim contra christianam religionem, » dum aufert meritorum retributionem, quae non esset, si o- » mnium anima una esset. Est etiam contra rectam rationem. » Planum est enim, quod anima intellectiva, ut intellectiva,

» est perfectio hominis, secundum quod homo. Si ergo homi-
» nes non sunt diversi, solum, secundum quod animalia, sed
» secundum quod homines, non solum habent diversas ima-
» ginationes, et animas sensibiles, imo etiam diversos intelle-
» ctus, et animas rationales. Est etiam contra sensibilem ex-
» perientiam: quoniam diversi homines, diversas habent et
» contrarias cogitationes, et affectiones. Quod si tu dicas, quod
» hoc evenit ex diversitate specierum existentium in imagi-
» natione, hoc nihil est; quia, non solummodo diversificantur
» in his intelligibilibus, quae extrahuntur a sensu, imo etiam
» in his, quae sunt supra omnem imaginationem, sicut sunt
» virtutes, quae intelliguntur per suam essentiam, non per
» speciem imaginariam, sicut etiam est ipse Deus, quem qui-
» dam diligunt, quidam contemnunt. Insuper, insipientia, unam
» ponentium animam, ex absurdis comprobatur. Quorum pri-
» mum est, quia, si eadem sit anima in multis hominibus, cum
» unus sit sciens, alter ignorans, unus bonus, alter malus, u-
» nus etiam odiat alterum, sequitur tunc, quod duo contraria
» erunt in eodem subiecto, secundum numerum, et in eadem
» parte, cum non habeat diversas partes, et idem ipsum
» contrariabitur sibi ipsi; quod si hoc est impossibile, restat
» quod et illud, ex quo sequitur, scilicet, unam et eamdem a-
» nimam esse in pluribus hominibus. Denique, si una et eadem
» anima est in pluribus, post mortem nihil plus habet iustus,
» quam impius: ergo bonum manet irremuneratum, et malum
» impunitum: ergo mundus est inordinatus, et Deus est in-
» iustus: et stultus est, qui facit aliquod bonum; ergo, si hoc
» est adeo impossibile, ut non tantum sit contra fidem, sed
» etiam contra rationem rectam, impossibile est, plures ho-
» mines eamdem animam rationalem habere (1) ».

246. *Q.* Utrum anima sit unita corpori, tamquam eius forma substantialis?

(1) II. Sent. dist. 18, art. 2, q. 1.

R. Ad hanc quaestionem resolvendam, triplex est formae genus distinguendum cum Magistro; « est enim quaedam, quae » perficit, et extenditur et dependet; et haec, quia totum per- » ficit, est in toto. Quia vero extenditur, perfectionem totius » comunicat partibus. Quia vero dependet, nec agit per se, o- » perationem totius communicat partibus, ut patet in forma » ignis; quia, quaelibet pars ignis, ignis est, et quaelibet cale- » facit. Est alia forma, quae perficit et dependet, sed non ex- » tenditur, ideo actum totius non attribuit partibus; quia vero » dependet, operationem totius comunicat partibus, et talis » est anima vegetalis, et sensibilis, quia nulla pars animalis » est animal; tamen quaelibet pars animalis vivit, et sentit. » Est iterum forma quae totum perficit, tamen nec extendi- » tur, nec descendet, quantum ad operationem, et talis, quia » perfectio est, est in toto, et partibus. Quia vero non extenditur, » perfectionem totius non comunicat partibus. Quia non depen- » det ideo, nec operationem comunicat, et talis est anima ratio- » nalis. Quia nulla pars hominis, est homo, et nulla pars hominis » intelligit, tamen, etsi non comunicat actum totius, ut toti; com- » municat ut partibus; quia, quaelibet pars hominis vivificatur a » perfectione hominis: et ideo, perfectio hominis est in qualibet » parte (1) ». Hisce distinctis, patet corpus et animam in homine, adeo inter se coniungi, ut ex ipsis, una substantia completa constituatur. Quae enim sunt diversae naturae, unam eamdemque actionem exerere nequeunt; sed anima et corpus habent in homine operationes utrique comunes, ut patet, ex sensationibus, quae non sunt solius corporis, aut solius animae, sed utriusque; ergo anima et corpus, sunt una substantia completa. Claret secundo, ex anima et corpore, unicam exurgere personam in homine; unusquisque enim nostrum, sicut dicit: ego volo, ego intelligo, dicit etiam, ego patior, ego deambulo; quod dici non posset, si operationes animae et corporis, eodem supposito

(1) I. Sent. dist. 8, par. 2, art. 1, q. 3, ad 1 et 2.

non tribuerentur. Elucet tertio; animam unitam esse corpori, tamquam eius formam substantialem. Dictat enim conscientia, unum eumdemque esse hominem, qui sentit ed intelligit; sed haec unitas expostulat, ut unio animi et corporis, sit substantialis. Si enim aliter fieret, alter ego esset in anima, alter in corpore, quod absonum; ergo etc. Insuper, experientia scimus, corpus esse vivens, vitamque percipere; atqui haec duo poscunt, ut corpus sit materia, quam animus informat; ergo unio corporis et animae substantialis est. Imo, tam intima est, ut corpus, sicut scribit Dux Noster, « sit ab anima, tamquam » a continente et influente (1) ». Concludendum est igitur cum Concilio, tum Viennensi, tum Lateranensi, animam humanam, seu intellectivam, formam corporis humani, per se, et essentialiter esse (2).

247. *Q.* Quibus rationum momentis, anima corpori sit unita?

R. « Unita est anima corpori, multiplici ratione, licet separata, dignior videatur. Prima Magistri ratio est, ut per coniunctionem, tam disparium naturarum, erigeretur mens ad sperandam illam unionem, quae erit inter animam, et spiritum increatum. Alia ratio est, ut anima serviendo Deo, in corpore, habeat maius meritum: quia ubi maior pugna, ibi maior victoria, et per consequens, maior corona. Difficultas enim corporis, multum valet ad efficaciam merendi. Tertia ratio est, propter complementum universi. Cum enim, sicut dictum est, quaedam esset creatura, pure spiritualis, quaedam, pure corporalis, conveniens fuit, fieri creaturam mixtam, scilicet partim spiritualem, et partim corporalem. Quarta ratio est, quia sicut corpus vivum, valet ad fructum poenitentiae; sic, post mortem resuscitatum, valebit ad consecutionem stolae duplicatae; quia non solum anima, sed et-

(1) *Brevil.* part. 2, cap. 10.

(2) Vide ephemerid.: *La Scienza e la Fede*, vol. 34, pag. 268.

» iam corpus praemiabitur dote sua. Quinta ratio est, quia » homo, ex defectibus corporis, multam habet materiam humiliationis iuxta id: humiliatio tua, in medio tui. Sicut enim » anima, ex coniunctione ad corpus, plura consequitur bona; » sic et multa contrahit incommoda. Primo: peccati originalis » inquinationem; secundo, peccati pronitatem; tertio, bene o- » perandi difficultatem; quarto, intellectus hebetudinem; quinto » continuam impugnationem; sexto, curarum sollicitudinem; » septimo, passionum multiplicitatem; octavo, gloriae retar- » dationem; gloriam enim percipere non possumus, quamdiu » in corpore detinemur (1) ».

248. *Q.* Quaenam sisthemata, ad explicandam unionem animae cum corpore, sint excogitata?

R. Praeter systema, de forma substantiali, quod solummodo tenendum est, quia veritatem ponit, naturam explicat humanam, et errores destruit, quinque praecipue sunt adnumeranda et maxime absurda. Primum. est illud Platonis, a Terentio Mamiani, hac nostra aetate, fere iustificatum, quod docet, animam corpori uniri, ut motorem mobili, ut indumentum homini vestito, ut nautam navi. Sed in hoc est desipientia: tollit enim unitatem animae et corporis, compositum humanum destruit, idealistis favet, et appendicem animi, esse corpus, stolidissime asserit. Secundum, est systema causarum occasionalium quod, mutuum utriusque substantiae influxum, per divinam operationem, explicat. Huius doctrinae falsitas, ex eo liquet, quod nexum animae et corporis rumpit, destruit unitatem hominis, et peccati Deum reddit auctorem. Tertium est systema harmoniae praestabilitae, quo explicatur unio corporis et animae, per quamdam extrinsecam harmoniam. Sed et hoc absonum est, quia negat coniunctionem realem animi et corporis, ac libertatem destruit. Quartum est systema influxus physici, quo affirmatur animam, physice corpori uniri

(1) In *Comp. theol. veritatis* cap. 60.

atque in ipsam influere; unde anima *corporalizatur*, et corpus *spiritualizatur*. Sed, et hoc erroribus plenum est, quia materialismo favet, tollit animae humanae substantialem unitatem, et iunctionem reddit accidentalem. Quintum denique, est systema, mediatoris plastici, a Clerico invectum, quo sopponitur medium principium, inter corpus et animam, existens, cuius ope, spiritus cum corpore consociatur. Sed, et hoc abnormissimum est. Iste enim mediator, vel est substantia, vel est accidens. Si primum, induceret in hominem triplex esse, quod pugnat; si secundum, nihil explicat, quia accidens, per se non operatur.

249. *Q.* Utrum anima rationalis, sit tota in toto, et tota, in qualibet totius corporis parte?

R. Anima rationalis est tota, in toto corpore, et tota in qualibet parte, et argumenta Ducis nostri, sunt sequentia: « Si» cut Deus est in maiori mundo, sic anima in minori; sed » Deus, sic est in maiori mundo, quod in qualibet parte totus; » ergo anima, sic est in minori, scilicet in corpore. Altera ra» tio est. Quod dat esse toti et partibus, unitur toti et par» tibus, secundum essentiam; quia forma per sui essentiam » dat esse, et hoc non nisi ei, cui essentialiter unitur; » sed anima dat esse toti corpori, et omnibus partibus; » ergo est tota in toto, et tota in qualibet parte. Tertia ra» tio est. In oculo est videre, sentire et vivere. Quaero ergo » utrum sint haec, unus actus, vel differentes? Non unus; hoc » constat, quia privato visu, adhuc sentit per tactum: pri» vato sensu, adhuc vivit, sicut in paralytico. Cum ergo vi» vere sit a substantia, videre a potentia; in oculo est anima » secundum substantiam; eadem ratione potest probari, et in » omnibus partibus esse, ergo etc. ». Quarto loco, propositam affirmationem demonstrat Dux noster, tum experimento, tum exemplo. Experimento « quia, anima in partibus distantibus a » corde, ita cito sentit, sicut et in propinquis. Simul enim quasi » in ictu oculi, sentit lesionem in partibus distantibus; et cum

» anima separatur, dolor est in singulis partibus et resolutio. » Exemplum similiter movet; videmus enim, quod in animali » perfecte sano, est una sanitas in singulis partibus, nec maior » in maiori, nec minor in minori. Si ergo hoc est in forma » corporali, quanto magis in spirituali? Denique, quia anima » est forma simplex, et motor sufficiens, est tota in toto cor- » pore, et tota in qualibet parte (1) ». Ergo Epicurus. qui in pectore, Plato, qui in capite, Stoici, qui in corde, Cartesius, qui in glandula pineali, innumerique alii, qui in aliis locis animum collocarunt, quam maxime desipiunt.

250. *Q.* Quid sit notandum quoad hominis physionomiam?

R. Diversae membrorum dispositiones, secundum artem physionomiae, diversos effectus ac mores indicant in homine; non quod, ista signa necessitatem imponant moribus hominum, ut somniavit in suis deliramentis, nostrae aetatis cranioscropia, a Porta, a Lavater, a Gall, a Spurzein invecta, sed ostendant inclinationem naturae, quae tamen rationis fraeno, retineri potest. Incipientes igitur a complexionibus, cum Duce nostro, « melancholicos, tristes, et graves esse dicimus, san- » guineos vero, horum opposita habere videmus. Chollerici fa- » ciles sunt ad iram, et phlegmatici pigri sunt, et somnolenti. » Physionomia sexus, est, quod masculus animus, vehemens » est ad impetus, studiosus et animosus: foeminae autem mi- » sericordes sunt et timidae. Capilli molles et rari hebes in- » genium proluquuntur. Item capilli crispi, pronunciant hominem » timidum et lucri cupidum. Capilli nimium depressi et fronti » imminentes, ferum declarant animum; his concordat capitis » ursini capillatura. Item capilli flavi, crassi et albi, indicant » indociles. Capilli vero subnigri, si sint moderate tenues, mo- » res indicant bonos, et bonam hominis complexionem. Caput » nimis magnum, stolidum indicat; caput autem, globosum et » breve, est sine sapientia et memoria. Caput humile superius,

(1) I Sent. dist. 8, p. 2, q. 3.

» et quasi planum, insolentiae et dissolutionis dat indicium.
» Caput oblongum aliquantulum, et malleo simile, hominem
» circumspectum, et providum indicat. Frons angusta, nimis
» indocilem et voracem declarat; lata vero parvitatem signi-
» ficat discretionis; sed rotunda, designat iracundiam. Item
» humilis et demissa, significat verecundum, et non ad-
» mittentem turpia; item quadrata, et moderatae magni-
» tudinis, magnae sapientiae et magnanimitatis est indi-
» cium. Supercilia arcuata, quae coniunguntur, usque ad
» cornu nasi, significant subtilem et studiosum, in omni-
» bus operibus suis. Si autem, ibidem coeunt, tristem homi-
» nem, et parum sapientem demonstrant; si autem arcuositas
» declinat ad tempora, et gibbositatem genarum, significat ne-
» gligentem. Item supercilia, si sint multorum et longorum
» pilorum, significant ferum et magna meditantem. Oculi, qui,
» tamquam guttulae liquoris nitidi, relucent, mores compositos
» indicant. Quando varie moventur, ut modo currant, modo
» quiescant, significant mala revolvi iam in animo, sed non-
» dum esse perpetrata. Oculi glauci, splendore tamen mican-
» tes, significant audacem et pervigilem ad malitiam. Oculi
» magni, trementes et obscuri, significant potationem vini, et
» intemperantiam Veneris; oculi pure nigri, significant imbe-
» cillem, et sine virtute animum, et lucri avidum. Quando au-
» tem, guttulae rubentes aliquantulum ibi sunt, et tamen ni-
» grae apparent, animum iustum, probum, et ingeniosum o-
» stendunt. Ubi autem in nigris oculis, guttulae vehementer
» rubent, et aliquae tendunt ad quadraturam, et quaedam
» sunt pallidae, quaedam glaucae, et circuli, qui forinsecus am-
» biunt pupillas, sunt sanguinolenti et sunt magni oculi, et nitor
» pupillae movetur, ut movetur palpebra, tales, inquam, oculi
» significant animum, qui omnium excedit morem ferarum.
» Quidquid enim nefandorum cogitari potest, talibus oculis
» perpetrabile est, nec etiam a domestico cessabunt sanguine.
» Oculi nimium prominentes, rubicundi et parvi, linguam de-

» clarant effraenatam, et corpus instabile. Oculi acriter in-
» tuentes, si sunt humidi, indicant hominem veridicum, ac in
» agendis velocem et providum. Oculi, qui frequenter clau-
» duntur et frequenter reserantur, timidum et imbecillem de-
» clarant. Oculi multae apertionis significant stultum et in-
» verecundum. Si autem multae clausurae sunt, significant
» mobilem et inconstantem in omnibus factis suis. Aures pro-
» minentes, et valde magnae, significant stoliditatem, et gar-
» rulitatem et impudentiam; sed valde parvae, malignitatis
» sunt indicia. Aures nimium rotundae, indocilem significant.
» Aures oblongae et angustae, invidiae signa sunt. Aures ia-
» centes, et supra caput applicatae, pigritiam designant. Genae
» crassae, significant ignaviam et somnolentiam, nimium au-
» tem tenues, malignitatem. Genae rotundae, invidiae arguun-
» tur. Nares patulae, alacritatis et fortitudinis dant indicium:
» longae vero et tenues, mobilitatis et levitatis signum habent.
» Narium autem pars, quae iuxta frontem est, si nec alta, nec
» humili, sed aequali linea descendat, virile signum est, et
» prudentiam et constantiam demonstrat. Nares minores, de-
» bito furibus assignantur. Omnis vultus, cum plenus est et
» crassus, ignavum et voluptatibus deditum significat; vultus
» dependens, cogitatorem subdolum significat. Labia tenuia in
» ore maiori, si superius labium, aliquantulum exsuperet su-
» per inferius, magnanimum indicat et fortem. Tenuia vero et
» parvi oris, imbecillem animum et versutum indicant. Labia
» vero soluta, aliquantulum ab ore dependentia, inertem de-
» monstrant. Nam in asinis et equis antiquis, ita invenitur. Os
» parvum convenit, tam vultibus muliebribus, quam hominibus
» effoeminatis; sed quod ultra modum dilatatur, voracem in-
» dicat, et immitem et impium. Talis enim oris rictus marinis
» monstris convenit. Mentum prolixum aliquantulum, demon-
» strat minus iracundum, et minus perturbatum. Qui os par-
» vum et breve mentum habent, immites sunt et invidi. Hos
» enim, Plato ad serpentes referebat. Utilius est mentum com-

» mensuratum, secundum aliquid, ad quadraturam accedens.
» Mentum, si longe in prolixum distendatur, dolis assuetum
» ostendit. Vox similis existens voci ovium aut caprarum,
» stultitiae habet indicium; qui autem in modum avium, vo-
» cem intendunt, de facili fiunt leves. Vox tenuis et quasi
» lugubris, tristem indicat, et suspiciosum. Quorum vox in na-
» res incurrit, ita ut nares consonent, mendaces sunt et male-
» voli, ac malis alienis gaudentes. Cervix longa et tenuis, eum
» significat, qui maligna meditatur. Cervix rotunda, probat vir-
» tutem animi et corporis humilitatem. Cervix brevis, indicium
» est eius, qui cum temeritate audax est. Cervix nimis erecta,
» insolentem et contumacem dicit. Pectus, quod multis carni-
» bus est congestum, indociles et ignavos indicat. Pectus, quod
» longius est quam venter, prudentem indicat. Pectus, si cum
» ventre nimietate pilorum tegatur, significat hominem in-
» stabilem, et animum, sine religione et pietate. Cum autem,
» solum pectus capillos praefert, animosum designat. Humeri
» tenues, et qui in acumine erecti sunt, insidiosum indicant ho-
» minem. Brachia, quando in tanta prolixitate extenduntur, ut,
» erecto corpore, extremitas medii digiti appropinquet ad
» genu, licet forte a mensura quatuor digitorum deficiat, hu-
» iusmodi, abiles homines et fortes dicunt; cum autem proli-
» xitas haec ad femur desinit, vel parum ultra, declarat ho-
» mines malevolos, et malis alienis gaudentes. Manus nimium
» breves et exiguae, fortes designant et sagaces. Crassae ma-
» nus, si digitos breves, ultra modum habeant, tergiversorem
» declarant insidiosum et furem. Manus intortae et tenues,
» loquaces significant et voraces. Ungues albi, plani et molles,
» ac tenues, ac rubentes et bene perlucidi, optimum ingenium
» indicant. Ungues inflexi et curvi, impudentes indicant et ra-
» paces. Ungues breves, nimium declarant malignum. Digiti
» collecti et globati, avarum dicunt et malignum. Digiti parvi
» et tenues, stultum demonstrant. Digiti vero parvi et grossi,
» invidum indicant et audacem. Latera tenuia et angusta, ti-

» miditatem indicant. Latera refecta carnibus, et dura, osten-
» dunt hominem indocilem; haec enim ad ranas, secundum
» Platonem, referuntur. Pars cruris, quae sub genu est, quae
» vocatur *sura*, quando plena est et quasi gravida, intempe-
» ratum hominem significat, et impudentem; molles surae ef-
» foeminatis assignantur. Pedes crassi et breves, valde in-
» firmum hominem indicant. Pedes nimium prolixi, ad homi-
» nem dolosum referuntur. Pedes pertenues et breves, produnt
» hominem malignum. Qui longis passibus incedunt, magnanimi
» esse solent, et efficaces. Qui celeriter incedendo se compri-
» mit, et vultum deducit, atque totum corpus implicat, si-
» gnificat timidum, parcum, et versutum. Qui breves passus
» habet, eundoque accelerat, malignus esse dicitur, atque im-
» becillis. Color cutis niger, versutum indicat. Color albus
» rubeusque, fortes animososque ostendit. Color vehementer
» albus, cum pallore, defectum virtutis significat, ex nimia vi-
» ctoria phlegmatis. Color ignitus, lucentibus oculis, ad insa-
» niam vergit. Color medius, inter nigrum et album, qui de-
» clinat in brunum, si clarus est, ostendit virum boni ingenii,
» et bonorum morum. Generaliter ergo tenendum est, quod
» membra, quae in proportione sunt naturali, quoad figuram,
» colorem, quantitatem, situm et motum, indicant mentis bo-
» nam habitudinem naturalem. Membra vero, quae non babent
» proportionem debitam in figura, quantitate, situ et motu,
» perversam mentem indicant. Praeterea, dicebat Plato quod,
» quaecumque similitudo animalium aliquorum in hominibus
» est, tales homines, etiam imitantur talium mores. Notan-
» dum insuper, quod licet, per signa membrorum naturalium,
» mores hominum cognoscantur, non tamen important neces-
» sitatem, sed ostendunt inclinationem naturae; nec semper
» denunciant affectus hominum, sed frequenter et probabili-
» ter. Item, propter signa exteriora, non statim proferendum
» est iudicium, quia forte signum est per accidens, et non per
» naturam; et forte victum est, per contrariam consuetudi-

240. *Q.* Quid sit anima, secundum rem?

R. De anima secundum rem, ut notat Magister noster, « di- » versas videntur sententias philosophi protulisse. Plato enim » dicit animam, numerum seipsum moventem; Aristoteles, en- » telechiam; Pythagoras, harmoniam; Hippocrates, spiritum » tenuem; Eraclitus, lucem; Democritus, spiritum ex atomis » compositum; Hyppomenes, igneum vigorem; Parmenides di- » cit eam de terra et igne; Epicurus autem, ex aere et igne. » Inter has diversitates, nos sequimur dicta Sanctorum, et ca- » tholicorum magistrorum dicentium, quod anima est substan- » tia spiritualis et rationalis, ad vivificandum corpus huma- » num, de nihilo creata. Creata est, in quantum anima perfe- » ctibilis, et imperfecta quantum ad scientiam et virtutes, » perfectissima tamen est, quantum ad potentias naturales. » Et quia incorporea est, sensui non est subiecta, neque se- » cundum dimensionem extensivam. Quantitatem enim habet » anima, non dimensivam, sed potestativam et virtualem. Et » quia simplex est anima, ideo nec augmenti nec decrementi » est susceptiva; quia nec in corpore maiori, maior: nec in » minori, minor, reperitur...... Multitudo quoque potentiarum » in anima non ponit maioritatem in animae natura, sed mul- » tiplicitatem effectuum. Anima etiam est vita perpetua, sci- » licet per memoriam, intelligentiam et voluntatem, ad ima- » ginem Dei facta, capax virtutis et vitii, susceptibilis poenae. » vel praemii, arbitrio libera, potentiis, habitibus ac affectio- » nibus, decorata. Caret pondere, figura et colore. Passibilis » et mutabilis est: eo magna, quo capax est aeternitatis: eo » recta, quo naturaliter appetens est bonitatis: eo bona, quo » particeps est divinitatis (1) ».

241. *Q.* Quid sit anima, secundum nomen?

R. Diversa sunt nomina animae, non propter essentiae pluritatem, sed propter effectuum multiplicitatem et operatio-

(1) Oper. cit., cap. 30.

nem. « Anima enim, ut scribit Doctor noster, dicitur in quan-
» tum corpus animat et vivificat: mens in quantum recolit:
» animus, dum vult: ratio, dum rectum iudicat: spiritus, dum
» spirat, vel quia spiritualem naturam habet: sensus, dum
» sentit: memoria, dum recordatur: voluntas, dum consentit.
» Dicitur anima ab α, *est sine;* et αἷμα, quod est *sanguis*, eo
» quod sit sine sanguine: vel dicitur ab α et νέμειν, quod est
» *tribuere*, eo quod anima vitam tribuit: vel dicitur anima
» quasi ἄνεμος, idest *ventus,* quod spiritus sit (1) ».

242. *Q.* Utrum animus humanus sit simplex, tum quoad essentiam, tum quoad quantitatem?

R. Animum esse simplicem, res est cuique perspectissima. Id enim, quam evidentissime potest, multiplici ratione, comprobari, contra philosophos Ioniae, democriticos, epicureos, nec non stoicos veteris aetatis, et contra recentes Elvezio, Diderot, Lamettrie, Spinoza, Toland et Hobbes, quibus associantur nonnulli viventes, ut Bukner, Moleschott, Vagner, Comte et Littré. Illud enim est simplex quoad essentiam, quod partibus non coalescit, nec in partes resolvitur; atqui talis est anima, quia si corporea esset, aliud videret per oculos, aliud audiret per aures; et duabus oculorum visionibus non unica, sed duplex responderet sensatio optica; auribus excitatis duplex, non una sensatio acustica; naribus affectis non una, sed duplex sensatio olfactiva; hoc tamen non accidit; ergo animus est simplex et unus. Haec autem simplicitas tum ex conscientia, tum ex memoria, tum ex volitione, maxime colligitur. Colligitur ex conscientia, quia ista dicit, animum ideas habere, quae in indivisibili sunt positae, licet variis notionibus constent, et nos posse, pro libito, cogitationes nostras, inter se conferre, et per reflexionem, in ipsas redire. Haec autem comparatio, et reflexio est impossibilis, sine simplicitate animae, quia ambae expostulant comparatorum integram cognitionem, et simulta-

(1) Oper. cit., cap. 31.

neam apprehensionem et quamdam reductionem ad unum; ergo animus, ex testimonio conscientiae, simplex est. Sed et patet simplicitas animi, etiam ex operatione memoriae. Operatio enim memoriae, ut notat Doctor, « est retentio et re» praesentatio, non solum praesentium, corporalium et tem» poralium, verum etiam succedentium, simplicium et sempi» ternalium. Retinet namque memoria praeterita per recor» dationem, praesentia per susceptionem, futura per praevi» sionem. Retinet etiam simplicia, sicut principia quantitatum » continuarum et discretarum, ut punctum, instans, et unitatem; » sine quibus impossibile est meminisse, aut cogitare ea, quae » principiantur per haec (1) ». Nunc haec omnia, quae a memoria operantur, volunt aliquid simplex et unum; nam si esset corporeum, una eiusdem pars, unam sentiret corporis moleculam, alia, aliam sibi contiguam; una, res praesentes, altera succedentes: una corporale, altera simplex: una temporanea, altera sempiternalia. Hoc autem, experientiae adversatur, ergo anima est simplex. Denique, simplicitas animae adstruitur ex operatione virtutis electivae. Haec enim, scribit Magister, « at» tenditur in consilio et iudicio. Consilium autem est in in» quirendo, quod sit melius hoc, an illud. Sed melius non di» citur, nisi per accessum ad optimum. Accessus autem est » secundum maiorem assimilationem. Nullus igitur scit, utrum » hoc sit, illo melius, nisi sciat illud, optimo magis assimilari. » Nullus autem scit, aliquid alii magis assimilari, nisi illud co» gnoscat..... Iudicium autem certum de consiliabilibus est, per » aliquam legem. Nullus autem certitudinaliter iudicat per » legem, nisi certus sit, quod illa lex recta sit, et quod ipsam » iudicare non debet (2) ». Atqui tum consilium, tum iudicium dicunt electionem; electio autem cadit inter varias cogitationes, quae sine principio uno, nunquam nec consilium, nec

(1) *Itiner. mentis in Deum*, c. 3.
(2) Loco cit.

iudicium efformarent; sed iudicia efformantur et consilia; certa est igitur humani spiritus simplicitas. Sed anima est etiam simplex, quoad quantitatem. Anima enim, vi reflectendi fruitur, plures sensationes experitur, percipit extensa. Porro ens extensum et compositum, haec peragere nequit, quia unitate synthetica caret; ergo anima simplex est, quoad quantitatem. Item, anima non est corpus, quia nullum corpus est forma; sed anima est forma; ergo non est corpus. Similiter duo corpora nequeunt esse simul; sed anima non est seorsum a corpore, dum vivit; ergo non est corpus. Pariter, intelligere non est corporis; sed anima intelligit; ergo non est corpus. Praeterea omne movens componitur duobus, non moto et moto; sed anima est movens; ergo motum est corpus; ergo anima non est corpus. Denique, omne divisibile indiget continente; sed corpus est divisibile; ergo indiget continente; ergo anima; anima enim recedente a corpore, corpus dissolvitur. Sed per totum corpus effunditur sensitivum principium? Verissimum est; sed est semper unum, et identicum sensationum subiectum; ergo corpori, quod mutatur, non affigitur; ergo nec dividitur, nec componitur; ergo non est quantitativum. Falsus est igitur materialismus, qui animam dicit corpus esse, vel corporis partem, vel qualitatem corpoream; quia haec omnia sunt extensa, divisibilia, composita.

243. *Q.* Utrum anima humana sit spiritualis?

R. Anima humana non solum est simplex, sed aliquid nobilius est. Quamquam enim corpus informet, tamen tum intellectu, tum voluntate, a corpore, in suis operationibus, non pendet; ideo spiritualis appellatur. Ratio est, quia operatio sequitur esse; sed operationes animae sunt spirituales; ergo spiritualis est anima, quae eas elicit. Teste enim experientia, intellectus mere spiritualia percipit: de ipsis iudicat, et ratiocinatur: materialia immaterialiter apprehendit; et ad omnem se protendit veritatem. Deinde mens nostra, pagos, urbes, agros, imo terram coelumque totum, et integrum percipit,

quin dilatetur, parva cognoscit, quin restringatur, abstracta attingit, quin dividatur, abstracta item colligit, quin congglutinetur. Ergo nulla materiae operatio, in cogitationis actu, continetur; ergo est spiritualis. Adhuc; mens nostra una cogitatione complectitur plura, diversa, opposita et inter se repugnantia. Sed quod est corporeum, huius operationis est incapax; aliae enim leges corporibus, aliae mentibus sunt statutae; ergo non est corporeum, quod talia agit, ergo spirituale. Item, mens repletur innumeris cogitationibus, aliis praeteritis, aliis praesentibus, aliis unius, aliis alterius generis, et tamen est idem et unicum semper subiectum cogitans. Sed quod, hoc conficit, spirituale est; materia enim ac fere omni praesentia caret; caret identitate, caret cognitione; ergo spiritualis est anima. Praeterea quod, in seipso recipitur, volvitur ac funditus se perscrutatur, est spirituale; sed anima in seipsam reflectit, et, ut canit Poeta divinus,

. . . . . . sè in sè rigira (1);

ergo est spiritualis. Insuper haec veritas a voluntate comprobatur; voluntas enim bona appetit spiritualia, iisque fruitur, malas inclinationes retrudit, et in suas plenum dominium habet operationes. Deinde ex desiderio, spiritualitas animae evincitur. Desiderium enim, ut verbis utamur Magistri, « est » ipsius, quod maxime movet; maxime autem movet, quod » maxime amatur; ergo si amatur, cognoscitur (2) ». Sed summum bonum cognitum, est maxime spirituale; ergo spiritualis est anima, quae ad illud tendit. Denique; ut alia innumera omittam, ad spiritualitatem animae demonstrandam, et medicorum rusticanae sententiae falsitatem refellendam, tot sunt testimonia quot sunt potentiae, quot actus, quot leges, quot passiones mentales. Substantiam enim spiritualem praedicat

(1) Purg., c. XXV, v. 75.

(2) *Itiner.*, loc. cit.

iudicium, praedicat comparatio, praedicat ratiocinium, praedicat memoria; materialistarum igitur opinio, tam est absurda, quam entis, et nihili coexistentia.

244. *Q.* Utrum materia possit esse principium cogitationis?

R. Materia nequit esse cogitationis principium. Proprietates enim, quae se mutuo excludunt, in eodem subiecto, simul esse non possunt. Sic quadratum, nequit esse simul rotundum. Sed principium cogitationis, et materia sibi invicem pugnant; nam unum est activum, alia iners; unum simplex, alia multiplex; unum comeabile, alia impenetrabilis; unum indivisibile, altera divisibilis; ergo cum spiritus, et materia sint contradictoria, lockianam materialismi doctrinam, esse deliramentum, concedendum est.

CAPUT II.

DE UNITATE ANIMAE ET CORPORIS.

245. *Q.* Utrum anima intellectiva sit una, in omnibus hominibus?

R. « In hac quaestione multi philosophantes, verba sunt » Magistri, multa dixerunt falsa et vana; quidam enim philosophi crediderunt, non solum eamdem esse animam in omnibus hominibus, sed etiam in omnibus animalibus; crediderunt enim animam non esse aliud quam Deum; et huius positionis fuit Pythagoras, et Varro. Alii autem aliter opinati sunt, quod anima humana, secundum quod intellectualis est, una est in omnibus hominibus; non solum quantum ad intellectum agentem, sed etiam quantum ad intellectum possibilem. Hoc autem ponere, non est philosophia, sed manifesta insipientia. Est enim contra christianam religionem, dum aufert meritorum retributionem, quae non esset, si omnium anima una esset. Est etiam contra rectam rationem. » Planum est enim, quod anima intellectiva, ut intellectiva,

» est perfectio hominis, secundum quod homo. Si ergo homi-
» nes non sunt diversi, solum, secundum quod animalia, sed
» secundum quod homines, non solum habent diversas ima-
» ginationes, et animas sensibiles, imo etiam diversos intelle-
» ctus, et animas rationales. Est etiam contra sensibilem ex-
» perientiam: quoniam diversi homines, diversas habent et
» contrarias cogitationes, et affectiones. Quod si tu dicas, quod
» hoc evenit ex diversitate specierum existentium in imagi-
» natione, hoc nihil est; quia, non solummodo diversificantur
» in his intelligibilibus, quae extrahuntur a sensu, imo etiam
» in his, quae sunt supra omnem imaginationem, sicut sunt
» virtutes, quae intelliguntur per suam essentiam, non per
» speciem imaginariam, sicut etiam est ipse Deus, quem qui-
» dam diligunt, quidam contemnunt. Insuper, insipientia, unam
» ponentium animam, ex absurdis comprobatur. Quorum pri-
» mum est, quia, si eadem sit anima in multis hominibus, cum
» unus sit sciens, alter ignorans, unus bonus, alter malus, u-
» nus etiam odiat alterum, sequitur tunc, quod duo contraria
» erunt in eodem subiecto, secundum numerum, et in eadem
» parte, cum non habeat diversas partes, et idem ipsum
» contrariabitur sibi ipsi; quod si hoc est impossibile, restat
» quod et illud, ex quo sequitur, scilicet, unam et eamdem a-
» nimam esse in pluribus hominibus. Denique, si una et eadem
» anima est in pluribus, post mortem nihil plus habet iustus,
» quam impius: ergo bonum manet irremuneratum, et malum
» impunitum: ergo mundus est inordinatus, et Deus est in-
» iustus: et stultus est, qui facit aliquod bonum; ergo, si hoc
» est adeo impossibile, ut non tantum sit contra fidem, sed
» etiam contra rationem rectam, impossibile est, plures ho-
» mines eamdem animam rationalem habere (1) ».

246. *Q.* Utrum anima sit unita corpori, tamquam eius forma substantialis?

(1) II. Sent. dist. 18, art. 2, q. 1.

R. Ad hanc quaestionem resolvendam, triplex est formae genus distinguendum cum Magistro; « est enim quaedam, quae » perficit, et extenditur et dependet; et haec, quia totum per- » ficit, est in toto. Quia vero extenditur, perfectionem totius » comunicat partibus. Quia vero dependet, nec agit per se, o- » perationem totius communicat partibus, ut patet in forma » ignis; quia, quaelibet pars ignis, ignis est, et quaelibet cale- » facit. Est alia forma, quae perficit et dependet, sed non ex- » tenditur, ideo actum totius non attribuit partibus; quia vero » dependet, operationem totius comunicat partibus, et talis » est anima vegetalis, et sensibilis, quia nulla pars animalis » est animal; tamen quaelibet pars animalis vivit, et sentit. » Est iterum forma quae totum perficit, tamen nec extendi- » tur, nec descendet, quantum ad operationem, et talis, quia » perfectio est, est in toto, et partibus. Quia vero non extenditur, » perfectionem totius non comunicat partibus. Quia non depen- » det ideo, nec operationem comunicat, et talis est anima ratio- » nalis. Quia nulla pars hominis, est homo, et nulla pars hominis » intelligit, tamen, etsi non comunicat actum totius, ut toti; com- » municat ut partibus; quia, quaelibet pars hominis vivificatur a » perfectione hominis: et ideo, perfectio hominis est in qualibet » parte (1) ». Hisce distinctis, patet corpus et animam in homine, adeo inter se coniungi, ut ex ipsis, una substantia completa constituatur. Quae enim sunt diversae naturae, unam eamdemque actionem exerere nequeunt; sed anima et corpus habent in homine operationes utrique comunes, ut patet, ex sensationibus, quae non sunt solius corporis, aut solius animae, sed utriusque; ergo anima et corpus, sunt una substantia completa. Claret secundo, ex anima et corpore, unicam exurgere personam in homine; unusquisque enim nostrum, sicut dicit: ego volo, ego intelligo, dicit etiam, ego patior, ego deambulo; quod dici non posset, si operationes animae et corporis, eodem supposito

(1) I. Sent. dist. 8, par. 2, art. 1, q. 3, ad 1 et 2.

non tribuerentur. Elucet tertio; animam unitam esse corpori, tamquam eius formam substantialem. Dictat enim conscientia, unum eumdemque esse hominem, qui sentit ed intelligit; sed haec unitas expostulat, ut unio animi et corporis, sit substantialis. Si enim aliter fieret, alter ego esset in anima, alter in corpore, quod absonum; ergo etc. Insuper, experientia scimus, corpus esse vivens, vitamque percipere; atqui haec duo poscunt, ut corpus sit materia, quam animus informat; ergo unio corporis et animae substantialis est. Imo, tam intima est, ut corpus, sicut scribit Dux Noster, « sit ab anima, tamquam » a continente et influente (1) ». Concludendum est igitur cum Concilio, tum Viennensi, tum Lateranensi, animam humanam, seu intellectivam, formam corporis humani, per se, et essentialiter esse (2).

247. *Q.* Quibus rationum momentis, anima corpori sit unita?

R. « Unita est anima corpori, multiplici ratione, licet separata, dignior videatur. Prima Magistri ratio est, ut per coniunctionem, tam disparium naturarum, erigeretur mens ad sperandam illam unionem, quae erit inter animam, et spiritum increatum. Alia ratio est, ut anima serviendo Deo, in corpore, habeat maius meritum: quia ubi maior pugna, ibi maior victoria, et per consequens, maior corona. Difficultas enim corporis, multum valet ad efficaciam merendi. Tertia ratio est, propter complementum universi. Cum enim, sicut dictum est, quaedam esset creatura, pure spiritualis, quaedam, pure corporalis, conveniens fuit, fieri creaturam mixtam, scilicet partim spiritualem, et partim corporalem. Quarta ratio est, quia sicut corpus vivum, valet ad fructum poenitentiae; sic, post mortem resuscitatum, valebit ad consecutionem stolae duplicatae; quia non solum anima, sed et-

(1) *Brevil.* part. 2, cap. 10.

(2) Vide ephemerid.: *La Scienza e la Fede*, vol. 34, pag. 268.

» iam corpus praemiabitur dote sua. Quinta ratio est, quia
» homo, ex defectibus corporis, multam habet materiam hu-
» miliationis iuxta id: humiliatio tua, in medio tui. Sicut enim
» anima, ex coniunctione ad corpus, plura consequitur bona;
» sic et multa contrahit incommoda. Primo: peccati originalis
» inquinationem; secundo, peccati pronitatem; tertio, bene o-
» perandi difficultatem; quarto, intellectus hebetudinem; quinto
» continuam impugnationem; sexto, curarum sollicitudinem;
» septimo, passionum multiplicitatem; octavo, gloriae retar-
» dationem; gloriam enim percipere non possumus, quamdiu
» in corpore detinemur (1) ».

248. *Q.* Quaenam sisthemata, ad explicandam unionem animae cum corpore, sint excogitata?

R. Praeter systema, de forma substantiali, quod solummodo tenendum est, quia veritatem ponit, naturam explicat humanam, et errores destruit, quinque praecipue sunt adnumeranda et maxime absurda. Primum. est illud Platonis, a Terentio Mamiani, hac nostra aetate, fere iustificatum, quod docet, animam corpori uniri, ut motorem mobili, ut indumentum homini vestito, ut nautam navi. Sed in hoc est desipientia: tollit enim unitatem animae et corporis, compositum humanum destruit, idealistis favet, et appendicem animi, esse corpus, stolidissime asserit. Secundum. est systema causarum occasionalium quod, mutuum utriusque substantiae influxum, per divinam operationem, explicat. Huius doctrinae falsitas, ex eo liquet, quod nexum animae et corporis rumpit, destruit unitatem hominis, et peccati Deum reddit auctorem. Tertium est systema harmoniae praestabilitae, quo explicatur unio corporis et animae, per quamdam extrinsecam harmoniam. Sed et hoc absonum est, quia negat coniunctionem realem animi et corporis, ac libertatem destruit. Quartum est systema influxus physici, quo affirmatur animam, physice corpori uniri

(1) In *Comp. theol. veritatis* cap. 60.

atque in ipsam influere; unde anima *corporalizatur*, et corpus *spiritualizatur*. Sed, et hoc erroribus plenum est, quia materialismo favet, tollit animae humanae substantialem unitatem, et iunctionem reddit accidentalem. Quintum denique, est systema, mediatoris plastici, a Clerico invectum, quo supponitur medium principium, inter corpus et animam, existens, cuius ope, spiritus cum corpore consociatur. Sed, et hoc abnormissimum est. Iste enim mediator, vel est substantia, vel est accidens. Si primum, induceret in hominem triplex esse, quod pugnat; si secundum, nihil explicat, quia accidens, per se non operatur.

249. *Q*. Utrum anima rationalis, sit tota in toto, et tota, in qualibet totius corporis parte?

R. Anima rationalis est tota, in toto corpore, et tota in qualibet parte, et argumenta Ducis nostri, sunt sequentia: « Si» cut Deus est in maiori mundo, sic anima in minori; sed » Deus, sic est in maiori mundo, quod in qualibet parte totus; » ergo anima, sic est in minori, scilicet in corpore. Altera ra» tio est. Quod dat esse toti et partibus, unitur toti et par» tibus, secundum essentiam; quia forma per sui essentiam » dat esse, et hoc non nisi ei, cui essentialiter unitur; » sed anima dat esse toti corpori, et omnibus partibus; » ergo est tota in toto, et tota in qualibet parte. Tertia ra» tio est. In oculo est videre, sentire et vivere. Quaero ergo » utrum sint haec, unus actus, vel differentes? Non unus; hoc » constat, quia privato visu, adhuc sentit per tactum: pri» vato sensu, adhuc vivit, sicut in paralytico. Cum ergo vi» vere sit a substantia, videre a potentia; in oculo est anima » secundum substantiam; eadem ratione potest probari, et in » omnibus partibus esse, ergo etc. ». Quarto loco, propositam affirmationem demonstrat Dux noster, tum experimento, tum exemplo. Experimento « quia, anima in partibus distantibus a » corde, ita cito sentit, sicut et in propinquis. Simul enim quasi » in ictu oculi, sentit lesionem in partibus distantibus; et cum

» anima separatur, dolor est in singulis partibus et resolutio. » Exemplum similiter movet; videmus enim, quod in animali » perfecte sano, est una sanitas in singulis partibus, nec maior » in maiori, nec minor in minori. Si ergo hoc est in forma » corporali, quanto magis in spirituali? Denique, quia anima » est forma simplex, et motor sufficiens, est tota in toto cor- » pore, et tota in qualibet parte (1) ». Ergo Epicurus, qui in pectore, Plato, qui in capite, Stoici, qui in corde, Cartesius, qui in glandula pineali, innumerique alii, qui in aliis locis a- nimum collocarunt, quam maxime desipiunt.

250. *Q.* Quid sit notandum quoad hominis physionomiam?

R. Diversae membrorum dispositiones, secundum artem physionomiae, diversos effectus ac mores indicant in homine; non quod, ista signa necessitatem imponant moribus hominum, ut somniavit in suis deliramentis, nostrae aetatis cranioscro- pia, a Porta, a Lavater, a Gall, a Spurzein invecta, sed o- stendant inclinationem naturae, quae tamen rationis fraeno, retineri potest. Incipientes igitur a complexionibus, cum Duce nostro, « melancholicos, tristes, et graves esse dicimus, san- » guineos vero, horum opposita habere videmus. Chollerici fa- » ciles sunt ad iram, et phlegmatici pigri sunt, et somnolenti. » Physionomia sexus, est, quod masculus animus, vehemens » est ad impetus, studiosus et animosus: foeminae autem mi- » sericordes sunt et timidae. Capilli molles et rari hebes in- » genium proluquuntur. Item capilli crispi, pronunciant hominem » timidum et lucri cupidum. Capilli nimium depressi et fronti » imminentes, ferum declarant animum; his concordat capitis » ursini capillatura. Item capilli flavi, crassi et albi, indicant » indociles. Capilli vero subnigri, si sint moderate tenues, mo- » res indicant bonos, et bonam hominis complexionem. Caput » nimis magnum, stolidum indicat; caput autem, globosum et » breve, est sine sapientia et memoria. Caput humile superius,

(1) I Sent. dist. 8, p. 2, q. 3.

» et quasi planum, insolentiae et dissolutionis dat indicium.
» Caput oblongum aliquantulum, et malleo simile, hominem
» circumspectum, et providum indicat. Frons angusta, nimis
» indocilem et voracem declarat; lata vero parvitatem signi-
» ficat discretionis; sed rotunda, designat iracundiam. Item
» humilis et demissa, significat verecundum, et non ad-
» mittentem turpia; item quadrata, et moderatae magni-
» tudinis, magnae sapientiae et magnanimitatis est indi-
» cium. Supercilia arcuata, quae coniunguntur, usque ad
» cornu nasi, significant subtilem et studiosum, in omni-
» bus operibus suis. Si autem, ibidem coeunt, tristem homi-
» nem, et parum sapientem demonstrant; si autem arcuositas
» declinat ad tempora, et gibbositatem genarum, significat ne-
» gligentem. Item supercilia, si sint multorum et longorum
» pilorum, significant ferum et magna meditantem. Oculi, qui,
» tamquam guttulae liquoris nitidi, relucent, mores compositos
» indicant. Quando varie moventur, ut modo currant, modo
» quiescant, significant mala revolvi iam in animo, sed non-
» dum esse perpetrata. Oculi glauci, splendore tamen mican-
» tes, significant audacem et pervigilem ad malitiam. Oculi
» magni, trementes et obscuri, significant potationem vini, et
» intemperantiam Veneris; oculi pure nigri, significant imbe-
» cillem, et sine virtute animum, et lucri avidum. Quando au-
» tem, guttulae rubentes aliquantulum ibi sunt, et tamen ni-
» grae apparent, animum iustum, probum, et ingeniosum o-
» stendunt. Ubi autem in nigris oculis, guttulae vehementer
» rubent, et aliquae tendunt ad quadraturam, et quaedam
» sunt pallidae, quaedam glaucae, et circuli, qui forinsecus am-
» biunt pupillas, sunt sanguinolenti et sunt magni oculi, et nitor
» pupillae movetur, ut movetur palpebra, tales, inquam, oculi
» significant animum, qui omnium excedit morem ferarum.
» Quidquid enim nefandorum cogitari potest, talibus oculis
» perpetrabile est, nec etiam a domestico cessabunt sanguine.
» Oculi nimium prominentes, rubicundi et parvi, linguam de-

» clarant effraenatam, et corpus instabile. Oculi acriter in-
» tuentes, si sunt humidi, indicant hominem veridicum, ac in
» agendis velocem et providum. Oculi, qui frequenter clau-
» duntur et frequenter reserantur, timidum et imbecillem de-
» clarant. Oculi multae apertionis significant stultum et in-
» verecundum. Si autem multae clausurae sunt, significant
» mobilem et inconstantem in omnibus factis suis. Aures pro-
» minentes, et valde magnae, significant stoliditatem, et gar-
» rulitatem et impudentiam; sed valde parvae, malignitatis
» sunt indicia. Aures nimium rotundae, indocilem significant.
» Aures oblongae et angustae, invidiae signa sunt. Aures ia-
» centes, et supra caput applicatae, pigritiam designant. Genae
» crassae, significant ignaviam et somnolentiam, nimium au-
» tem tenues, malignitatem. Genae rotundae, invidiae arguun-
» tur. Nares patulae, alacritatis et fortitudinis dant indicium:
» longae vero et tenues, mobilitatis et levitatis signum habent.
» Narium autem pars, quae iuxta frontem est, si nec alta, nec
» humili, sed aequali linea descendat, virile signum est, et
» prudentiam et constantiam demonstrat. Nares minores, de-
» bito furibus assignantur. Omnis vultus, cum plenus est et
» crassus, ignavum et voluptatibus deditum significat; vultus
» dependens, cogitatorem subdolum significat. Labia tenuia in
» ore maiori, si superius labium, aliquantulum exsuperet su-
» per inferius, magnanimum indicat et fortem. Tenuia vero et
» parvi oris, imbecillem animum et versutum indicant. Labia
» vero soluta, aliquantulum ab ore dependentia, inertem de-
» monstrant. Nam in asinis et equis antiquis, ita invenitur. Os
» parvum convenit, tam vultibus muliebribus, quam hominibus
» effoeminatis; sed quod ultra modum dilatatur, voracem in-
» dicat, et immitem et impium. Talis enim oris rictus marinis
» monstris convenit. Mentum prolixum aliquantulum, demon-
» strat minus iracundum, et minus perturbatum. Qui os par-
» vum et breve mentum habent, immites sunt et invidi. Hos
» enim, Plato ad serpentes referebat. Utilius est mentum com-

» mensuratum, secundum aliquid, ad quadraturam accedens.
» Mentum, si longe in prolixum distendatur, dolis assuetum
» ostendit. Vox similis existens voci ovium aut caprarum,
» stultitiae habet indicium; qui autem in modum avium, vo-
» cem intendunt, de facili fiunt leves. Vox tenuis et quasi
» lugubris, tristem indicat, et suspiciosum. Quorum vox in na-
» res incurrit, ita ut nares consonent, mendaces sunt et male-
» voli, ac malis alienis gaudentes. Cervix longa et tenuis, eum
» significat, qui maligna meditatur. Cervix rotunda, probat vir-
» tutem animi et corporis humilitatem. Cervix brevis, indicium
» est eius, qui cum temeritate audax est. Cervix nimis erecta,
» insolentem et contumacem dicit. Pectus, quod multis carni-
» bus est congestum, indociles et ignavos indicat. Pectus, quod
» longius est quam venter, prudentem indicat. Pectus, si cum
» ventre nimietate pilorum tegatur, significat hominem in-
» stabilem, et animum, sine religione et pietate. Cum autem,
» solum pectus capillos praefert, animosum designat. Humeri
» tenues, et qui in acumine erecti sunt, insidiosum indicant ho-
» minem. Brachia, quando in tanta prolixitate extenduntur, ut,
» erecto corpore, extremitas medii digiti appropinquet ad
» genu, licet forte a mensura quatuor digitorum deficiat, hu-
» iusmodi, abiles homines et fortes dicunt; cum autem proli-
» xitas haec ad femur desinit, vel parum ultra, declarat ho-
» mines malevolos, et malis alienis gaudentes. Manus nimium
» breves et exiguae, fortes designant et sagaces. Crassae ma-
» nus, si digitos breves, ultra modum habeant, tergiversorem
» declarant insidiosum et furem. Manus intortae et tenues,
» loquaces significant et voraces. Ungues albi, plani et molles,
» ac tenues, ac rubentes et bene perlucidi, optimum ingenium
» indicant. Ungues inflexi et curvi, impudentes indicant et ra-
» paces. Ungues breves, nimium declarant malignum. Digiti
» collecti et globati, avarum dicunt et malignum. Digiti parvi
» et tenues, stultum demonstrant. Digiti vero parvi et grossi,
» invidum indicant et audacem. Latera tenuia et angusta, ti-

» miditatem indicant. Latera refecta carnibus, et dura, ostendunt hominem indocilem; haec enim ad ranas, secundum
» Platonem, referuntur. Pars cruris, quae sub genu est, quae
» vocatur *sura*, quando plena est et quasi gravida, intemperatum hominem significat, et impudentem; molles surae effoeminatis assignantur. Pedes crassi et breves, valde infirmum hominem indicant. Pedes nimium prolixi, ad hominem dolosum referuntur. Pedes pertenues et breves, produnt
» hominem malignum. Qui longis passibus incedunt, magnanimi
» esse solent, et efficaces. Qui celeriter incedendo se comprimit, et vultum deducit, atque totum corpus implicat, significat timidum, parcum, et versutum. Qui breves passus
» habet, eundoque accelerat, malignus esse dicitur, atque imbecillis. Color cutis niger, versutum indicat. Color albus
» rubeusque, fortes animososque ostendit. Color vehementer
» albus, cum pallore, defectum virtutis significat, ex nimia victoria phlegmatis. Color ignitus, lucentibus oculis, ad insaniam vergit. Color medius, inter nigrum et album, qui declinat in brunum, si clarus est, ostendit virum boni ingenii,
» et bonorum morum. Generaliter ergo tenendum est, quod
» membra, quae in proportione sunt naturali, quoad figuram,
» colorem, quantitatem, situm et motum, indicant mentis bonam habitudinem naturalem. Membra vero, quae non babent
» proportionem debitam in figura, quantitate, situ et motu.
» perversam mentem indicant. Praeterea, dicebat Plato quod,
» quaecumque similitudo animalium aliquorum in hominibus
» est, tales homines, etiam imitantur talium mores. Notandum insuper, quod licet, per signa membrorum naturalium,
» mores hominum cognoscantur, non tamen important necessitatem, sed ostendunt inclinationem naturae; nec semper
» denunciant affectus hominum, sed frequenter et probabiliter. Item, propter signa exteriora, non statim proferendum
» est iudicium, quia forte signum est per accidens, et non per
» naturam; et forte victum est, per contrariam consuetudi-

» nem, et fraeno rationis tenetur...... Denique sciendum est,
» quod signa exteriora, non referuntur, nisi ad eas passiones,
» quae naturaliter insunt homini, sicut est ira, concupiscentia
» et huiusmodi: non autem ad eas, quae sunt animae solius.
» Sciendum quoque, quod in oculis principaliter, consistit omnis
» perfectio physionomiae; et sic, oculorum indicium, confirmat
» coeterorum membrorum indicium. Si autem contrariantur,
» tunc praevalent indicia oculorum; propter quod omnes phy-
» sionomi affirmaverunt, oculum, esse verum cordis nuncium.
» Augustinus: Impudicus oculus, impudici cordis est nun-
» tius (1) ».

251. *Q.* Quaenam sint, hominis praecipuae proprietates?

R. Ex Magistro, proprietates hominis sunt istae: « Discer-
» nere inter honestum et turpe; unde solius hominis est, ho-
» nestum prosequi, cum omnia bruta, nonnisi utilia et dele-
» ctabilia prosequantur. Item, passiones ordinare, ad limitem
» rationis. Supra mundum, per intellectum elevari; et ideo,
» quando quis, per adhaesionem in terrenis, se mundo infe-
» riorem facit, iam quasi honore humanitatis exutus, proprie-
» tatem accipit bestiae, ita ut, dicatur fieri, per immunditiam
» porcus, per iram canis, per rapinam leo, et sic de aliis.
» Quod Plato vocavit, secundam animarum incorporationem.
» Amicitiam habet, secundum omne genus amicitiae, et in hoc
» differt a brutis, quae non habent amicitiae speciem, nisi
» quae delectationis est; et connutritorum, et huiusmodi. In-
» tellectualibus theorematibus delectari, et speculari talia. Ve-
» recundari, in turpi perpetrato. Propter quod, inemendabiles
» dicuntur inverecundi, quia in aliquo mutati sunt, a rationis
» honore, pecorinam naturam assumentes. Perfecte esse con-
» iugale animal, eo quód, legibus ordinatis, faciat honestas nu-
» ptias. Civile animal esse, quia distributiones, cohabitationes,
» et foedera, et pugnas perfectas habet ex urbanitatibus ordi-

(1) In *Comp. theol. veritatis,* lib. 2, cap. 58 et 59.

» natas. Disciplinae, esse perceptibile, propter rationis usum. » Esse animal mansuetum natura, propter civilitatem. Esse » animal risibile, gloriabile, propter perfectas gaudendi ra- » tiones, quae soli contingunt homini. Esse microcosmum, id- » est minorem mundum, eo quod, de omnibus creaturis, aliquid » habeat homo, videlicet, esse cum lapidibus, vegetari cum » arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. » Ex duplici natura, esse compositum, scilicet corporali, et spi- » rituali. Creaturarum esse dignissimam. Esse animal ratio- » nale et mortale. Humana fragilitas, in hoc consistit, quod in » homine est assiduitas deficiendi, impossibilitas standi, faci- » litas cadendi, difficultas resurgendi, vilitas nascendi, incer- » titudo moriendi. Defectus humanus est, quia quidquid ha- » bemus, aliunde habemus, et imperfecte, insuper et amittere » possumus. In homine, quoque est moriendi necessitas, et haec » est, vel illata necessitas, sicut fuit in Adam: vel innata, sicut » est in nobis; vel assumpta, sicut fuit in Christo (1) ».

CAPUT III.

DE ORIGINE ET DURATIONE ANIMAE.

252. *Q.* Utrum animae humanae omnes simul creatae fuerint?

R. Circa hanc quaestionem, triplex est error. Platonis, Manicheorum, et Leibnitz, eiusque scholae. Primus error dicit, quod animae, fuerunt simul creatae, in stellis comparibus, et post, formatis corporibus sibi idoneis, ad corpora vivificanda, descendunt per lacteum coelum, et alios orbes planetarum; et postmodum, corruptis corporibus, illuc revertuntur; et postmodum loco suo, et tempore iterum descendunt, et cum descendunt, obliviscuntur prius cognitorum, et cum ascendunt, obliviscuntur malorum, quae in corpore habuerunt. Hinc illud Aligherii:

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. 2, cap. 61.

Dice (Plato) che l'uomo alla sua stella riede,
Credendo quella, quindi esser decisa
Quando natura per forma la diede (1).

Secundus error docet, quod animae humanae, simul creatae fuerunt in coelo, cum Angelis, utpote quia sunt eiusdem naturae; et postmodum, ad suggestionem Dei tenebrarum, peccaverunt, et merito illius peccati, in corpora sunt detrusae, tamquam in carceres, ut ibi purgentur; et, cum purgatae fuerint, ad coelestem patriam revocentur. Tertius Leibnitz error, ponit creationem ab initio animarum, corpusculis organicis affixarum, quae sopitae remanent, usque dum corpus completum efformetur. Sed hae positiones, errantium potius sunt somnia, ut Magistri verbis utamur, quam dicta authentica..... « Primum quidem, quia talis creatio, et descensus, et ascensus » nullam omnino potest habere certitudinem, cum nemo possit hoc convincere, ratiocinando, nemo etiam, sit, qui possit » dicere, se talium recordari. Secundo vero, quia manifestam » continet absurditatem; quia, dum ponit talem animarum circulationem, ponit, quod anima, non sit vera corporis perfectio, cum purus actus, in propria materia habeat fieri. Ponit etiam, quod nulla possit esse beatitudo, cum illa non sit, » nisi, ubi est perpetuitas et certitudo. Secundus Manicheorum error, evincitur falsitate; est enim contra fidem, cum » ponat, animas ante peccasse, quam corporibus essent unitae. » Cum dicat Apostolus, de Iacob et Esau: antequam aliquid » boni et mali egissent. Ponit etiam, nullam animam damnari » finaliter: et ita, timorem Dei aufert de corde ». Ut Leibnitz, ita Manicheus contra philosophiam peccat, « dum ponit, » animas circuire diversa corpora, cum propria forma, in propria materia habeat fieri; dum etiam ponit, quod corpus » comparatur ad animam, non sicut perfectibile, sed sicut

(1) Parad., c. IV, v. 52.

» carcer. Quod si verum est, homo non est vera species, cum » ex anima et corpore, non fiat unum ». Contra rationem et sensibilem experientiam peccant etiam, « quia videmus, ani- » mam, quantumcumque bonam, nolle a corpore separari, se- » cundum quod dicit Apostolus: Nolumus expoliari, sed su- » pervestiri: quod mirum esset, si ad corpus naturalem ha- » bitudinem non haberet sicut ad suum sodalem, sed sicut ad » carcerem. Praeterea, si animae essent creatae, ante corpus, » aut haberent usum rationis, aut non. Si non, quaero, quid » impediret; et cum non sit dare, restat, quod si simul con- » ditae fuerunt, statim habuerunt usum rationis: et si hoc, » ergo meruerunt, vel demeruerunt; sed utrumque est absur- » dum; ergo omnes animae, simul non fuerunt productae. De- » nique, anima, quàmdiu est in corpore, mole corporis gravatur; » ergo, melius ei, et perfectius est, esse extra carnem, quam » in carne: sed non est ordo, sed perversio, procedere ad sta- » tum minus perfectum, a statu magis perfecto. Si igitur, Deus » et natura ordinate facit, quidquid facit; nec ordine naturae, » nec ordine providentiae divinae, decet, animas simul creari, » et postmodum corporibus uniri (1) ».

253. *Q.* Utrum anima rationalis sit ex traduce?

R. De hac quaestione, duo sunt principales errores. Unus illorum, qui animam humanam, mediante semine, propagari dicunt; alter est, ponentium, animam, immediate ex anima parentum in filios traduci, eo modo, quo traducitur caro ex carne; et, sicut ab una candela, accenduntur multae: sic, ab una anima, per sui multiplicationem, absque diminutione, vivificantur multa corpora. Sed haec doctrina, quam maxime est repugnans. « Omne enim, dictante Bonaventura, quod est per na- » turam propagabile, est per naturam corruptibile; sed anima » rationalis, secundum philosophos, et secundum etiam omnes » leges, et sectas, est incorruptibilis; ergo non est per natu-

(1) II. Sent. dist. 18, art. 2, in tota quaest. 2.

» ram propagabilis; ergo non est ex traduce. Insuper, si anima » est ex traduce; aut ergo anima est ex carne, aut anima ex » anima. Ex carne esse non potest, quoniam impossibile est, » ex corpore fieri non corpus; anima autem est non corpus. » Si ex anima, aut ergo ex toto, aut ex parte. Ex parte non, » quia anima est simplex. Si ex toto: ergo, cum aliquis generet » aliquem, cum det ei totam animam suam, desinit habere » animam, et desinit vivere. Quod, si hoc est manifeste falsum, » patet, animam rationalem non esse ex traduce. Adhuc. Anima » rationalis, cum sit substantia, per se existens, et incorrupti- » bilis, habet materiam et formam, sicut probatum est supra. » Cum ergo producitur, aut producitur, ex materia praeia- » cente, aut simul cum ipsa, producitur sua materia. Si, simul » cum ipsa, producitur sua materia, ergo necesse est, ut pro- » ducatur ex nihilo: ergo a solo Deo. Si producitur ex ma- » teria praeiacente, quaero de illa materia: aut est corpo- » ralis, aut spiritualis. Si corporalis, ex ea non potest fieri » anima. Si spiritualis, aut habet formam, aut non. Si habet, » ergo vel est Angelus, vel anima. Non Angelus, constat; ergo » anima; sed, ex eodem non fit idem numero; ergo, ex ea non » potest fieri anima; ergo non est ex traduce. Denique, si a- » nima rationalis esset ex traduce, necessario oporteret tunc » discindi, quando discinditur semen; sed multa semina sunt, » quae nunquam perveniunt ad organizationem, imo, plura » effunduntur, quam ad formam producantur; ergo vel essent » animae rationales, sine corporibus, vel periret tam nobilis » forma, quorum utrumque absurdum est dicere et impium (1) ».

254. *Q.* Utrum anima sensibilis, in hominibus, sit a generante?

R. Nonnullus philosophorum, etiam magni nominis, hac nostra aetate, docuit, animam filiorum, prout sensitiva est, a parentibus, per generationem, produci, et postea, fieri intelle-

(1) II. Sent. dist. 18, art. 2, q. 3.

ctivam, per apparitionem ideae entis, quam Deus manifestat. Sed hoc, permaxime, a doctrina seraphica dissonat, et a communi. Anima enim sensitiva, in homine, non educitur a parentibus, per generationem, sed a Deo, per creationem. Et rationes, Doctor noster, ab unitate animae humanae, sic depromit. « Prima ratio est, quia, cum recedit anima a corpore, secum » trahit sensum, et imaginationem, et rationem, et intellectum; » sed nihil, quod separatur a corpore, est per generationem; » sensibilis autem, in homine est huiusmodi: ergo anima sen- » sitiva non est a generante. Secunda ratio est, quia, sensi- » tivum est in intellectivo, sicut tetragonus in pentagono; et » vegetativum in sensitivo, sicut trigonus in tetragono. Si ergo » ab eodem principio, est tetragonus, a quo est pentagonus, » ab eodem erit anima sensitiva, et intellectiva; sed intelle- » ctiva non est a generante, ut monstratum supra; ergo nec » sensitiva. Tertia ratio est, quia, quaecumque sunt idem in » substantia, ab eodem principio educuntur in esse; sed a- » nima sensitiva et intellectiva, in eodem homine sunt idem » in substantia, quia unius perfectibilis una est perfectio; ergo, » si rationalis non est per generationem, videtur, quod nec » sensibilis. Quarta ratio est, quia, quae simul corrumpuntur, » simul etiam producuntur; ergo et pari ratione, quae simul » separantur, simul et infunduntur; sed, recedente in homine » anima rationali, nullo modo remanet potentia sentiendi in » corpore; ergo, sicut amittitur potentia sentiendi, in recessu » animae, ita infunditur in adventu; non est igitur a gene- » ratione, sed a creatione. Ultima ratio est, quia, cum inten- » ditur operatio sensus, minuitur operatio intellectus, et e » converso; (scilicet, cum intenditur operatio intellectus, mi- » nuitur operatio sensus), sicut patet, per experientiam (1). » Ergo necesse est, sensum et intellectum, vel esse unam po-

(1) Haec autem ratio, perbelle illustratur ab Aligherio, hisce versibus:

« tentiam; vel esse potentias eiusdem substantiae; sed quod-
» cumque eorum sit, eodem modo, habent educi in esse; cum
» igitur rationalis, non sit ex traduce, videtur, quod nec portio
» sensibilis in homine. Quod si tu dicas, quod, una retrahit
» alteram, propter ordinem et unionem, in uno perfectibili, non
» in una substantia animae. Obiicitur contra hoc: quia a-
» nima rationalis, aut potest sentire, aut non; si non potest,
» ergo videtur, quod non possit corpus vivificare. Quod si po-
» test sentire, restat, quod potentiae istae, fundentur in eadem
» substantia. Si tu dicas ad hoc, quod, duplex est in nobis
» sensitiva, una a generante, et haec corrumpitur; alia a
» creante, et haec, cum anima separatur. Obiicitur contra
» hoc, quia natura, non facit per plura, quod potest facere
» per pauciora. Si ergo sensitiva illa, quae est a generante,
» sufficit in brutis ad sentiendum, multo fortius, illa, quae
» est a creante, sufficit homini; ergo non est, aliam ponere
» sensitivam, quae sit a generante. Quod si tu dicas, quod
» est ibi, non ad sentiendum, sed ad disponendum corpus, ad
» susceptionem rationalis, hoc non videtur sufficere, quia, talis
» anima, est substantia, aeque completa in homine, sicut in

Quando per dilettanze ovver per doglie,
Che alcuna virtù nostra comprenda,
L'anima bene ad essa si raccoglie,
Par ch' a nulla potenzia più intenda:
E questo è contra quello error, che crede
Che un'anima, sovr' altra, in noi s'accenda.
E però, quando s'ode cosa o vede,
Che tenga forte a sè l'anima volta,
Vassene il tempo, e l'uom non se ne avvede;
Ch'altra potenzia è quella, che l'ascolta,
E altra è quella che ha l'anima intera:
Questa è quasi legata, e quella è sciolta (*).

(*) Purg., c. IV, v. 1.

» brutis, et in brutis, non caret operatione sensitiva; videtur
» ergo, quod, nec in homine; aut igitur, erit in nobis ponere
» duplicem actum sentiendi, simul, et semel; aut est ponere,
» quod sensitiva sit in nobis, a creatione; sed primum, manifeste est falsum; restat igitur, quod ultimum verum
» sit (1) ».

255. *Q.* Utrum anima, sit a Deo creata, quando corpori est iungenda?

R. « Animae non seminantur, verba sunt Doctoris, sed,
» formatis corporibus, a Deo creantur, et creando, infunduntur, et infundendo, producuntur; animarum enim creationem, Deus, sibi solum, debuit reservare, tum propter earum
» dignitatem, tum propter earum immortalitatem. Propter animarum dignitatem; quia, cum anima sit imago Dei, et nata
» immediate ferri in Deum, et beatificari in ipso, diligendo
» eum, ex toto corde, totum suum esse, immediate debuit ab
» ipso habere, ut ipsum, ex toto corde, teneretur diligere. Decuit etiam hoc, propter animarum immortalitatem: cum enim solus Deus sit, qui habeat vitam in semetipso, et vitam
» indeficientem; solus est, qui potest producere principium
» vitae perpetuum; cum igitur res incorruptibilis, substantificari non possit, in materia transmutabili, et operatio creaturae, sit super materiam transmutabilem, impossibile est,
» aliquam creaturam, animam rationalem producere; et ideo
» eius productionem, Deus sibi soli debuit reservare (2) »
Hanc doctrinam pulcherrimis verbis exornavit Aligherius:

Apri alla verità, che viene il petto,
E sappi che, sì tosto com' al feto
L' articolar del cerebro è perfetto,
Lo Motor primo a lui si volge lieto,

(1) II. Sent. dist. 31, art. 1, q. 1.
(2) II. Sent. dist. 18, art. 2, q. 3.

Sovra tant'arte di natura, e spira
Spirito nuovo, di virtù repleto;
Che ciò che trova attivo quivi tira
In sua sustanzia, e fassi un'alma sola,
Che vive, e sente, e sè in sè rigira (1).

256. *Q.* Utrum anima humana sit, natura immortalis?

R. Animam humanam, natura esse immortalem, plurimis ac luculentissimis rationum documentis, a Magistro nostro comprobatur. En primum: « Nullum bonum est irremunera- » tum, et nullum malum impunitum est apud eum, qui iuste » iudicat: sed multa bona, remanerent irremunerata, et multa » mala impunita, secundum praesentem vitam: ergo, est po- » nere aliam vitam, quam hanc; sed haec non esset, nisi a- » nima remaneret, post corpus; ergo anima est immortalis. » Si tu dicas, quod hoc non cogit; quia sicut suscitatur cor- » pus, ita posset anima suscitari, non est conveniens talis in- » stantia; cum enim anima, ex nihilo sit creata, si corrum- » peretur, in nihilum tenderet, ergo non suscitaretur, sed a- » lia anima, de novo crearetur ».

En secundum: « Ad divinam iustitiam spectat, quod nihil » bene et iuste factum, debet vergere in malum exitum; sed, » secundum omnes, potius homo debet pati mortem, quam re- » cedere a veritate vitae, et a veritate iustitiae; sed, si o- » mnino perimeretur anima, perimeretur omnino iustitia, quae » est in ipsa; ergo, talis mortis perpessio, quae iusta est, et » quam laudat omnis ratio recta, haberet malum simpliciter » exitum, quod est contra divinam iustitiam; ergo ex ordine » iustitiae immortalis est anima ».

En tertium: « Remoto ultimo fine, qui principaliter movet, » omnes alii fines, cassi sunt et vani; sed finis ultimus omnis » operationis rationalis, est beatitudo perfecta; ergo si illa

(1) Purg., c. XXV, v. 67.

» non est, omnia quaecumque facit anima, facit frustra; si » ergo, hoc est inconveniens, necesse est, illum finem ponere; » sed beatitudo est status, omnium bonorum aggregatione, per- » fectus; ubi autem hoc est, necesse est esse immortalitatem; » igitur anima, per naturam, est apta nata ad immortalitatem ».

En quartum: « Omnis anima rationalis, naturaliter appetit » beatitudinem; sed nihil est otiosum in fundamento naturae; » ergo omnis anima rationalis, nata est ad beatitudinem per- » venire; ubi autem beatitudo, ibi perfecta securitas; et ubi » perfecta securitas, ibi immortalitas; ubi enim mors potest » accidere, necesse est timere: colligitur ergo, animam ha- » bere immortalitatem ».

En quintum: « Nulla forma corrumpitur, nisi vel actione » contrarii, sicut calor destruitur, per actionem frigidi; vel, » per corruptionem sui subiecti, sicut destructo oculo, de- » struitur vis visiva; vel per defectum suae causae, sicut » lumen aeris deficit, deficiente solis praesentia, quae erat » ipsius causa; sed anima rationalis, non potest corrumpi, per » contraria, est enim receptiva omnium contrariorum, neque » per corruptionem subiecti, non enim pendet a corpore, ne- » que, per deficientiam causae. Causa enim animae est Deus » aeternus, et Deus, si absolute, nequit hypotetice eam de- » struere; ergo anima est incorruptibilis ».

En sextum: « Esse intelligibile, permanentius est, quam » esse sensibile; sed materia prima, utpote receptiva sensi- » bilium, est incorruptibilis; ergo multo fortius intellectus, » qui est receptivus formarum intelligibilium ».

En septimum: « Nulla virtus materialis et corruptibilis, » nata est, super se reflecti; haec, per se, manifesta est. Ani- » ma rationalis, secundum actum proprium, nata est super » se reflecti, cognoscendo se, et amando; ergo virtus animae » rationalis, non est materialis et corruptibilis; ergo est im- » materialis et incorruptibilis; sed, si virtus est incorrupti- » bilis substantia; ergo anima est immortalis ».

En octavum: « Omnis virtus, quae per recessum et impermixtionem cum corpore corruptibili, fortificatur, et potentior efficitur, est incorruptibilis, per naturam; anima rationalis est huiusmodi, sicut patet; quia, tanto magis relevatur spiritus et homo interior, quanto magis mortificatur homo exterior. Virtus igitur animae rationalis est incorruptibilis; et sic, ex illa virtute colligitur, animam rationalim esse immortalim ».

En nonum: « Quod non habet corrumpi, de seipso, semper persistit, et nunquam desinit, quia non pendet ex corpore; sed anima rationalis propriam operationem habet, secundum quam, non pendet ex corpore, scilicet intelligere, quia, nullum organum sibi appropriat; ergo anima, de se, est immortalis ».

En decimum: « Cuiuslibet substantiae corruptibilis operatio, antiquatur et senescit, in tempore; sed animae rationalis operatio, nec senescit, nec antiquatur in tempore; imo iuvenescit, quia in antiquis est sapientia, et in multo tempore, prudentia; ex propria ergo operatione, colligere possumus, animam rationalem esse immortalem ».

En undecimum: « Anima est capax Dei, et ad ipsius imaginem et similitudinem; sed, si est imago Dei, expresse ei assimilatur; hoc autem non esset, si mortis termino clauderetur; ergo cum, de natura sua, sit imago Dei, non potest mortis termino claudi ».

En duodecimum: « Necesse est, proportionem esse cognoscentis ad cognitum, sive potentiae ad obiectum; sed anima rationalis, nata est cognoscere et intelligere veritatem; veritas autem est incorruptibilis, cum sit talis naturae, quod ipsa negatio veritatis, veritatem ponat; igitur anima rationalis, cum sit veritati proportionabilis, est immortalis. Haec autem ratio, non solum concludit, animam esse immortalem, per veritatem intelligentiae, sed etiam, per veritatem misericordiae, sive iustitiae, de qua dicitur: Iusti-

» tia est perpetua et immortalis; ac per hoc anima, quae est » iustitiae capax ».

En decimum tertium: « Omnis virtus corruptibilis, laeditur » ab obiecto improportionabiliter excellenti, et magis nata est, » delectari in medio, quam in extremo; sed anima rationalis » intelligens maiora, et maxima, non propter hoc, peius intel- » ligit minora; et magis delectatur in cognitione summae lu- » cis, et perceptione sapientiae Dei, quam in cognitione ali- » cuius creati. Ex comparatione igitur ad obiectum, colligitur » animam esse immortalem; si igitur, substantia cognoscitur » per virtutem, et virtus per operationem, et operatio per » obiectum; cum, secundum hanc triplicem considerationem » ipsius animae, ostensum sit, ipsam esse immortalem: omnis » animae consideratio, sive in ordine, sive etiam in se, a- » struit animae immortalitatem (1) ».

En decimum quartum: Quod est a Deo immediate, est in perpetuum; sed anima rationalis creatur a Deo immediate; ergo est in perpetuum; ergo etc....; unde Aligherius, in cantu septimo Paradisi:

La divina Bontà, che da sè sperne
  Ogni livore, ardendo in sè sfavilla
  Sì, che dispiega le bellezze eterne.
Ciò che da Lei senza mezzo distilla,
  Non ha poi fine, perchè non si muove
  La sua imprenta, quand' ella sigilla (2).
. . . .
Ma nostra vita senza mezzo spira
  La somma Beninanza, e la innamora
  Di sè, sì che poi sempre la disira.

(1) II. Sent. dist. 19, q. 1, art. 1.
(2) Parad., c. VII, v. 64.

E quinci puoi argomentare ancora
Vostra resurrezion, se tu ripensi
Come l'umana carne fessi allora,
Che li primi Parenti intrambo fensi (1).

257. *Q.* Utrum mors dicat immortalitatem animae?

R. Mors dicit immortalitatem animae; mors enim est poena, quia, per peccatum mors. Poena autem dicit vitam illius, qui punitur, si enim anima, a corpore separata, non viveret, nullum esset poenae subiectum, et legislator aerem verberaret. Neque dicas, punitionem consummari, per adnihilationem, quia animi adnihilatio, sive destructio, esset poenae subductio, non poena. Mors igitur, utpote poena peccati, immortalitatem animae includit; et quia mors et mortis poena, usque dum persistit, quocumque tempore successivo, etiam post centum, post mille annos, in infinitum semper est poena, concludendum est, poenam mortis, esse immortalitatis invincibile, et perenne monumentum. Mors igitur est nuncia vitae infallibilis, et manifestatio aevi aeterni; sepulcrorumque silentium, omnibus eloquentius, plenis buccis, conclamat dignitatem hominum, et immortalitatem. Hoc, aliquibus inauditum, et incredibile erit; sed omnibus incredulis, fortior est ratio. Attamen poena solius animae, quamquam immortalis, integra non erat; reus enim erat totus homo, anima scilicet, corpori unita, non anima solum seiuncta a corpore. Eo igitur modo, quo mors immortalitatem animi ponit, corporis dissolutio expostulat corporis resurrectionem, cui. post iudicium finale, anima coniungetur, et in aeternum ad divinam iustitiam, eiusque immensam bonitatem exaltandam, copulabitur.

258. *Q.* An ratio, poenarum aeternitatem valeat demonstrare?

R. Aeternitatem poenarum ratio demonstrat, perbelle Doctore nostro sic scribente: « Sicut patet divina potentia in

(1) Parad., c. VII, v. 145.

» creando, sapientia in gubernando, clementia in reparando, » sic patebit divina iustitia, in puniendo. Dignum est enim, ut » non remaneat dedecus culpae, sine decore iustitiae. Licet » autem, peccatum sit transitorium, tamen erit poena perpe- » tua, multiplici ratione. Prima; quia homo peccavit in suo » aeterno, ideo punietur in aeterno Dei. Secunda; quia ma- » teria ignis infernalis est aeterna, sic, et peccati macula: ideo » et poena. Tertia; quia peccatum est contra illum, qui est » infinitus; unde et poena debet ei esse infinita, non quidem » acerbitate, sed duratione. Quarta; quia homo, per peccatum » perimit in se bonum, quod posset esse aeternum bonum; et » ideo, merito perpetuum incurrit malum (1). Quinta; quia » mala voluntas reproborum, aeterna est; vellent enim, in » peccato, si possent, perpetuo delectari; et ideo perpetuo de- » bent puniri. Sexta; quia, in infinitum errat rationalis, cum » praeponit finitum infinito, in iudicando, similiter concupi- » scibilis, in appetendo, et irascibilis, in adhaerendo: unde, et » merito poena erit infinita. Septima; quia damnatus, de pec- » cato perpetrato, nunquam habebit veram poenitentiam; » ideo, Deus nunquam mutabit punitionis illius sententiam. » Octava; quia peccatum, a vita perpetua separat, scilicet a » Deo, ideo mortem perpetuam peccator incurrit. Post ratio- » nes, inducam exempla de eadem materia. Videmus enim, » quod emptio momentanea, dat ius possidendi perpetuum. » Item, vulneratio momentanea, dat mortem perpetuam. Item » casus in foveam, temporalis est, detentio perpetua. Item » plaga temporalis est, livor perpetuus (2) ».

(1) Unde Aligherius:

Ben è che senza termine si doglia
Chi, per amor di cosa che non duri
Eternalmente, quell' amor si spoglia.

(Parad., c. XV, v. 10).

(2) In *Comp. theol. verit.*, lib. 7, cap. 21.

259. *Q.* An damnati malint non esse, quam sic esse?

R. « Voluntate deliberativa, damnati malunt non esse, quam » sic esse, (verba sunt Magistri); poena enim momentanea, » praeferenda est aeternae. Attamen, appetitu ordinato et re- » cto, appetunt potius sic esse, quam non esse. Quia non esse, » adimit totum bonum, poena, partem. Ideo non esse, magis » est fugiendum. Insuper, simpliciter, et secundum appetitum » honesti, malunt potius sic esse, quam non esse, quia crucia- » tus iniqui spiritus, est ad gloriam Dei (1) ». Tertio; omnis appetitus ordinatus, est conformis naturae, quia natura semper appetit, quod melius est; sed natura semper appetit esse, et nullo modo non esse; ergo simpliciter, damnati malunt potius sic esse, quam non esse. Sed dictum est de Iuda: Melius esset ei, si natus non fuisset homo ille (2). Hoc fateor et ego: sed id, quaestionem non tangit; hic enim non quaeritur, an sit melius non nasci, quam peccare, sed, an sit praeferenda existentia, iam existens, non existentiae, esse infelix, adnihilationi; quod maxime diversificatur.

260. *Q.* Utrum Deus possit animas rationales in nihilum redigere?

R. Deus, potentia absoluta, potest animas ad nihilum redigere, sed non hypothetica. Deus enim, ea non potest velle, quae pugnant cum suis attributis; sed adnihilatio animae, tum sapientiae, tum bonitati, tum iustitiae adversatur. Sapientiae, quia animam ad beatitudinem ordinasset, et non; ordinasset, creatione; non, destructione. Bonitati, quia indidisset desiderium indestructibile; et adnihilatione, redderet vanum. Iustitiae, quia non redderet bonis praemium, malis poenam. Ergo adnihilatio animae est, hypothetice, impossibilis. Si quis diceret, poenam peccati ex eo esse, quod Deus adnihilet animam; ita esset redarguendus: in culpa contra Deum, agit voluntas,

(1) IV. Sent. dist. 50, par. 1, q. 2.
(2) S. Matteo.

non natura; et ideo poena debet affligere voluntatem, non destruere naturam. Si autem creatura in nihilum redigeretur, esset nocumentum naturae, non afflictio voluntatis.

CAPUT IV.

DE POTENTIIS ANIMAE IN GENERE.

261. *Q.* Quid, nomine potentiarum animae, veniat significandum?

R. Omnia, quae sunt in hoc mundo, vel sunt viventia, vel non viventia. Viventia dicuntur illa, quae seipsa movent; quae seipsa non movent, et ad agendum impelluntur, a causa extrinseca, non viventia appellantur. Illud, per quod aliquid vivit, anima vocatur. Anima igitur, est primum principium vitae. Sed in anima, sicut in qualibet re creata, aliud est esse, aliud agere; solummodo enim in Deo, esse et actio, sunt unum et idem. Essentia igitur animae, ab eius actione distinguenda venit, sicut substantia, ab accidente secernitur. Haec autem actio animae, vel virtus, vel facultas, vel potentia ad aliquid, appellatur. Sed haec potentia, vel aliquid agit, vel aliquid recipit; hinc duplex cernitur potentia, quae vel activa, vel passiva nominatur. Neque dicas, repugnare simplicitati animae, plures potentias habere. Nam anima, quoad suas potentias, non est totum integrale, ex partibus conflatum: sed totum potentiale, quod est simplex et unum. Denique, si quaeras, quo pacto, animae potentiae, ab essentia animae fluant, respondebo tibi, id contingere, non per aliquam transmutationem: sed, per aliquam naturalem resultationem, nempe, quemadmodum, posito sole, consequitur lux, ita, posita anima, eam propriae facultates concomitantur.

262. *Q.* A quo distinguantur animae potentiae?

R. Animae potentiae, ab obiectis, et actionibus distinguun-

tur. Omnia enim, quae dicuntur secundum ordinem ad aliquid, secundum eorum ordinem, ad quem dicuntur, distingui solent; sed potentiae ad operationes, et operationes ad obiecta, ordinantur; ergo potentiae animi, ab operationibus, et obiectis distingui debent. Ergo tot sunt animae potentiae, quot sunt operationes et obiecta.

263. *Q.* Quomodo dividantur potentiae animae?

R. « Ad potentiarum notitiam habendam, ut verbis utar » Magistri, quadruplex est divisio percurrenda. Una divisio » est, secundum Magistros, in quinque membra: scilicet in » sensualitatem, sensum, imaginationem, rationem, et intel- » lectum. Sensualitas, secundum Magistros, est illa potentia, » quae sensificat corpus, et movet, et appetit ea, quae sunt » delectabilia corpori, et refugit nociva. Sensus, est illa vis » animae, qua, homo cognoscit res corporales praesentes. Ima- » ginatio, est illa vis animae, quae intuetur res corporales absen- » tes. Ratio est illa vis animae, qua, anima, inter bonum et ma- » lum, inter verum et falsum, discernit infra se. Intellectus, » est illa vis animae, qua, anima apprehendit res immateria- » les et intelligibiles, ut animam, Angelum, et Deum. Istorum » quinque membrorum sufficientia, sic potest sumi. Anima est » quasi duo: est anima et spiritus. Anima, in quantum corpus » perficit et vivificat: spiritus, in quantum sine corpore con- » sideratur, et separata, perdurat. Secundum vero, quod est » anima, comparatur ad corpus, et corpus ad animam; et sic, » congruit anima corpori, et aptatur ei, ut influat ei vitam, » et sensum. Et haec potentia animae, dicitur sensualitas. » Congruit etiam corpus animae, et aptatur ei, ut per corpus » perficiatur, quantum ad vitam inferiorem; et haec potentia » dicitur sensus. Sensus autem est duplex; scilicet interior, » qui dicitur imaginatio, et exterior, qui communiter dicitur » sensus; ut visus, qui fit per oculum, et auditus per aurem, » et sic de aliis. Ipsa vero anima, in quantum spiritus, dicitur » duplicem habere aspectum. Unum, respectu inferiorum, et

» unum, respectu superiorum; secundum quod, anima duas » habet partes, scilicet, unam ad superiora respicientem, et » aliam ad inferiora. Inferiorem, Magistri appellant rationem: » superiorem vero, intellectum (1) ».

264. *Q.* Quomodo dividantur potentiae animae, secundum naturales?

R. « Altera divisio, secundum naturales, est in tria mem- » bra. Secundum enim, quod anima comparatur ad actus, tres » sunt animae potentiae, ad actum triplicem ordinatae. Tres » quidem sunt actus animae primi, scilicet, vegetare, sentire, » et ratiocinari. Et secundum hoc, distinguitur triplex animi » potentia, scilicet, vegetabilis, sensibilis, et rationalis. Nota » tamen, quod vegetabilis est anima in plantis, sensibilis est » anima in brutis, rationalis est anima in hominibus. In ho- » mine autem, non sunt tres animae, sed tres potentiae sunt » dicendae in anima. Vegetabilis appetit esse; sensibilis, bene » esse; rationalis, optime esse. Vegetalis subdividitur in ge- » nerativam, et nutritivam. Generativa est ad conservatio- » nem esse universalis, scilicet speciei. Nutritiva est ad con- » servationem esse singularis, scilicet individui. Nutritivae » duplex est actus, scilicet nutrire, et iste actus semper est » necessarius; augmentare, et iste solum est necessarius ad » rei complectionem. Unde nutriuntur semper animalia, non » autem semper augmentantur. Vis sensibilis dividitur in ap- » prehensivam, et motivam. Apprehensiva dividitur in sen- » sum particularem, et sensum communem, sive in sensum » exteriorem et interiorem. Sensus exterior dividitur in quin- » que sensus, scilicet visum, auditum, odoratum, gustum, et » tactum...... Interior sensus dividitur in tres partes, nempe » in imaginationem, in aestimationem, et in memoriam. Ima- » ginatio dicitur, aliquando sensus communis, aliquando ima- » ginatio, aliquando phantasia. Sensus communis dicitur, in

(1) *Centil.*, par. 3, sess. 20.

» quantum ibi concurrunt sensus particulares quinque tam-
» quam lineae ad centrum, ibique ligantur. Imaginatio dicitur,
» in quantum repraesentat formas prius receptas a particu-
» laribus sensibus, quamvis absentes. Phantasia, in quantum
» potest componere formas novas, secundum similitudines eo-
» rum, quae percepit per sensus particulares. Aestimativa
» est illa vis, secundum quam dicimus sagacitatem, vel pru-
» dentiam in brutis, ut in vulpe, sive in aliis, in appetendis
» delectationibus, et refugiendis nocivis. Memoria est vis illa,
» quae conservat, sive retinet formas sensibilium specierum.
» Vis sensibilis motiva, est motivum secundum motum, mo-
» vens universaliter membra corporis, ut caput, brachia, etc.....
» Vis rationis dividitur in intellectum speculativum, qui exer-
» cetur in contemplatione veri; et practicum, qui in opera-
» tione boni. Secundum hanc duplicem radicem intellectuum,
» dicuntur vita activa, et contemplativa (1) ».

265. *Q.* Quomodo dividantur potentiae, secundum naturales et theologos?

R. « Tertia divisio, secundum theologos et naturales, est
» haec: potentiarum, alia corporalis, idest corporis regitiva,
» alia spiritualis. Corporis regitiva, distinguitur in animalem,
» vitalem et naturalem. Secundum has vires, anima regit
» corpus. Vis animalis, secundum medicos, est in cerebro, vi-
» talis in corde, naturalis in hepate. Vis animalis dividitur
» in cognitivam, et motivam. De cognitiva, iam dictum est.
» Motiva dividitur in irascibilem, et concupiscibilem. Motus
» enim animalis, aut est a malo nocivo, et dicitur motus fu-
» gae, qui est ab irascibili. Aut est ad bonum delectabile, et
» talis motus est a concupiscibili. Vis vitalis, est vis motiva
» aeris in corpore animalis, per arterias, unde est pulsus.
» Tanti enim caloris est cor, quod, nisi refrigeraretur, aere
» atracto per inspirationem, et emisso per respirationem, a-

(1) Oper. cit. sess. 21.

» nimal moreretur. Haec eadem vis, est motiva ad vocem
» formandam, eo modo, quo formatur vox irrationalis, ut vox
» avium et animalium. Vis naturalis, comprehendit nutriti-
» vam et generativam, et de hoc videbimus infra. Spiritualis
» autem, idest spiritus regitiva, dividitur aliquando secun-
» dum naturam intellectivam, et affectivam; aliquando, se-
» cundum officia, ut cum dividitur ratio in superiorem, et in-
» feriorem.....; aliquando, secundum actus; ut cum fit divisio
» in inventivam, et diiudicativam. Invenire enim, et iudicare,
» sunt actus potentiae cognitivae, ad invicem ordinati. Ali-
» quando, secundum differentias, ut cum dividitur intellectus,
» in agentem, et possibilem. Nam, prima differentia intelle-
» ctus, utitur anima, ad abstrahendum; secunda vero, ad re-
» cipiendum. Aliquando, secundum diversos modos movendi;
» et sic est divisio voluntatis, sive appetitus, in naturalem,
» et deliberativam. Voluntas, dicitur potentia, et..... est in-
» strumentum, per seipsum movens..... dicitur etiam volitum,
» ut cum dicit aliquis, haec est mea voluntas. Sex sunt actus,
» ad voluntatem liberam, pertinentes..... scilicet, consilium,
» iudicium, sententia, electio, operatio, et usus. Liberum ar-
» bitrium vult? ecce voluntas; inquirit, et scrutatur? ecce
» consilium; iudicat? ecce iudicium; disponit? ecce sententia;
» eligit? ecce electio, quae est, duobus placentibus, alterum
» praeoptare. Impetum facit? ecce operatio; agit? ecce usus.
» Ratio autem, habet quinque actus, duos, per quos dirigitur
» in finem veri, quorum unus praecepit cognoscere, et dicitur
» ratiocinatio, quae..... est rationis inquisitio. Huic ratiocina-
» tioni, est insitum ingenium, quod definitur ab Augustino:
» illa vis animae.... qua, se extendit anima, et exercet, ad
» incognitorum cognitionem. Alius actus est, ipsum cogno-
» scere, quod est aspectus veri..... quo, per seipsum, ve-
» rum intuetur. Habet etiam, ratio, tres actus, per quos
» dirigitur in finem boni. Primus est, discretio boni, et
» mali; secundus est, discretione facta, boni sive melioris,

» electio; tertius est, dilectio. De his tribus, dicit Augustinus:
» ratio est animae aspectus, quo bonum et malum discernit,
» virtutes eligit, Deum diligit (1) ».

266. *Q.* Quomodo dividantur potentiae, secundum Augustinum?

R. « Quarta divisio potentiarum, ponitur ab Augustino......
» quae facit ad maiorem praevidentiam praedictorum. Di-
» stinguit autem vires animae, in rationalem, in concupisci-
» bilem, et irascibilem. Per rationalem, est anima abilis ad
» cognoscendum aliquid, infra et supra se, in se, et iuxta se.
» Cognoscit siquidem Deum, supra se, se in se, Angelum iuxta
» se, et quidquid coeli continetur ambitu, infra se. Per con-
» cupiscibilem, et irascibilem, abilis est affici, ad aliquid ap-
» petendum, vel fugiendum, amandum, vel odiendum. De ra-
» tionalitate, omnis sensus animae nascitur, de concupiscibi-
» litate, omnis affectus. Affectus quadripartitus esse dinoscitur,
» dum de eo, quod amamus, gaudemus, vel gaudendum, spe-
» ramus; vel cum de eo, quod odimus, iam dolemus, vel do-
» lendum, metuimus. Unde de concupiscibilitate, gaudium et
» spes; de irascibilitate, dolor et metus oriuntur. Qui quidem
» quatuor affectus animae, omnium sunt vitiorum atque vir-
» tutum, quasi quaedam principia, et communis materia. Af-
» fectus quidem, omni operi nomen imponit (2) ».

267. *Q.* Utrum omnibus animi potentiis insit conatus; et quomodo, ex conatu oriantur habitus?

R. Omnibus animae viribus convenit conatus. Conatus enim est proclivitas ad operationem: operatio est ad finem: finis supponit principium: a principio ad finem est motus: motus importat actionem, sive conatum; ergo omnibus potentiis inest conatus. Hinc perspicis, ex maiori conatu, actionem summopere perfici; sic perfectior est intellectio, si maior sit intentio ad intelligendum. Perspicis etiam, vehementiorem u-

(1) Loc. cit. sess. 22.

(2) Loc. cit. sess. 23.

nius potentiae exercitationem, debilitare alterius actiones; sic, si visus fortissime intenditur, auditus non percipit ea, quae dicuntur, et id, vim animae unam, manifestat. Ex conatu oriuntur habitus. Conatus enim, dicit inclinationem, et inclinatio facilitatur ab habitu. Habitus ergo significat aliquid, potentiae superadditum, quo perficitur. Sed haec perfectio, multiplex est. « Quemdam enim habitum, scribit Doctor noster, habet » animae potentia, ab acquisitione; quemdam, ab innata dispo- » sitione; tertium habet, a sui ipsius, origine. Hoc autem » patet, quia habitus est, quo potentia facilis est in actum, » potentia autem, his tribus modis, est facilis; v. gr. affectus » noster habet facilitatem, ad diligendum bonum alienum, per » acquisitam dispositionem, ut per virtutem: ad diligendum vero » bonum suum, per innatam dispositionem: et diligendum se- » ipsum, per sui naturalem originem (1) ». Deinde habitus, vel est in intellectu, vel in voluntate, vel est in natura, vel est in studio. Hinc patet, habitum, vel esse intellectivum, vel appetitivum, vel naturalem, vel acquisitum. Attamen, ex Duce nostro, « sunt alii habitus, non per acquisitionem, sed per in- » fusionem, sicut sapientia fuit infusa Salomoni, et virtu- » tes theologicae conferuntur quotidie parvulis, in Baptismo, » et etiam poenitentibus, in iustificatione: et tales habitus » non generantur ex actibus, sed potius, e converso, ex ta- » libus habitibus, eliciuntur boni actus ex potentiis. Unde, in » habitibus acquisitis, sequitur, quales sunt actus, tales sunt » habitus; sed, in habitibus infusis, est contrarium, scilicet, » quales sunt habitus, tales sunt et actus (2) ».

268. *Q.* Quid sit organicismus, et an sit admittendus?

R. Nomine organicismi, illa intelligitur doctrina, qua, principium vitale, non distinguitur a materia organorum, et dicitur, esse quamdam vim insitam materiae, et propriam, me-

(1) I. Sent. dist. 3, par. 2, art. 3, q. 1.

(2) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 42.

ramque eius affectionem; seu, ut recentes volunt, illud est sisthema, quod, unicum admittit principium vitale organorum, materiae insitum. Sed hoc sisthema, esse maxime repugnans, subito claret; quia, dum molecolae organicae continuo mutantur, et, singulis momentis, amittuntur, novaeque acquiruntur, principium vitale permanet unum et idem, in quocumque animali. Forma igitur corporis, non est materia organica; ergo distinguitur; ergo, ex organis materiae, non est vita. Altera huius sisthematis absurditas est, quia, in corpore mortuo, eadem est materia corporis vivi; ergo, si vita esset ex organis, adhuc viveret; sed hoc non contingit; ergo vita non est consectarium naturale materiae organorum, sed principium, ab ipsa, distinctum. Tertia huius doctrinae repugnantia est, quia, apud fisiologos, exploratum est, nervos non esse diversae naturae, sed omnes, quot sunt, unicum constituere sisthema nerveum; sed, si unum est nerveum sisthema, unicum debet esse eorum (nervorum) principium vitale: quia, organa ex nervis conflantur: unicum enim principium vitale est, per quod operantur organa; ergo, organicismus absurdus est.

269. *Q.* Quid sit vitalismus, quibusque argumentis sit refellendus?

R. Nomine vitalismi, ea venit doctrina, qua, praeter animam rationalem, et corpus, contenditur, in homine esse principium vitae, ab ipsis distinctum, quod est, omnium phoenomenorum vitalium corporis, principium. Sed hoc sisthema, non est minus absurdum, quam organicismus. Homo enim est unus, sicut una est forma hominis substantialis. Etenim, quaelibet res habet ab eodem, quod sit ens, et quod sit una, nam ens et unum, convertuntur. Secundo, est etiam absurdum, quia, principium multiplex vitae, pugnat cum conscientia. Quis enim hominum est, qui non dicat: ego intelligo, ego sentio, ego genero, ego nutrior? Ergo, qui intelligit, qui sentit, qui vegetat, non est triplex, sed unus; ergo vitalistae delirant. Denique, est absurdum, quia, si principium vitale, praeter ani-

mam rationalem, admitteretur, hoc esset, vel materiale, vel immateriale. Si primum, vitam corpori non largiretur: materia enim, vitae est expers; sin alterum, dissoluto corpore, maneret; ergo non dissolveretur; ergo esset aeternum; sed hoc absurdum; ergo vitalismus, hominem duplicans, inter fabulas amandandus est.

CAPUT V.

DE POTENTIIS ANIMAE SENSILIBUS.

270. *Q.* Quid, circa potentiam vegetativam, sit praecipue animadvertendum?

R. Cum vegetativum habeat, pro obiecto, corpus vivens per animam, tribus indiget praecipue: scilicet, nutritione, augmentatione, et generatione. Dixi, praecipue, quia, nutritio et augmentatio omnibus convenit, non tamen generatio. Sunt enim plantae et animantia, quae, vi generandi, carent; et hac privantur pueri, usquequo ad perfectam pervenerint aetatem. Hoc tamen, est per accidens. Caeterum, nutritio, ut vidimus, cum sit ad conservationem individui, definitur, ut conversio alimenti in substantiam aliti. « Nutritivae virtuti, quatuor » deserviunt, ex Duce nostro, scilicet, virtus attractiva, quae » assumit necessaria in nutrimento. Item, digestiva, quae se- » parat conveniens ab inconvenienti, in alimento. Item, re- » tentiva, quae cibum tamdiu retinet in uno loco, donec de- » bitam recipiat alterationem. Item, expulsiva, quae expellit » quod superfluum est, in nutrimento (1) ». Nutritioni, connectitur augmentatio, quae est ad completionem, et dicitur actus vitalis, a minori quantitate, ad maiorem. Hinc infertur, quod, in viventibus divisibilibus, per nutritionem et augmentationem, producitur vera pars substantialis, ipsius formae; in hominibus, e converso, qui anima spirituali constant, prius

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 33.

fit conversio alimenti in corpus, et postea anima, per ipsam unionem, qua, partibus praeexistentibus, erat unita, extenditur, ut sic loquamur, ad se uniendum cum illa nova parte, illamque informandam. Infertur etiam, quod operationes vitales, sunt naturales, non spirituales; per vim enim naturae operatur homo. Ex natura enim, non ex intellectu, tum nutritio, tum augmentatio fluit. Denique, generatio, cum sit ad conservationem speciei, est nobilissima trium operationum; et ultima, cui aliae duae deserviunt. Ultima, quia, vivens, nequit sibi simile gignere, nisi nutriatur et augescat. Nobilissima, quia maxima perfectio entis est, posse aliud sibi simile producere. Quid enim est generatio, nisi illa vis, qua, vivens, producit aliud vivens, eiusdem naturae, et, quodammodo, sibi coniunctum?

271. *Q.* Quotuplex sit generatio?

R. « Producere sibi simile, in natura, tripliciter est, ut » verba Magistri usurpemus; aut per impressionem suae si- » militudinis in alio; et sic, generatur character a sigillo, lu- » men a luminoso, species ab obiecto. Alio modo, per eductio- » nem speciei consimilis ab alio; et sic generatur elementum » ab elemento. Tertio modo, per productionem similis de si- » mili, sive de seipso; et sic generatur animatum ab animato, » et iste tertius modus, est perfectior. Unde non reperitur, » nisi in substantiis habentibus formam nobilem, quae est » vita. Et iste modus generationis, est secundum nascentiam; » et est in Deo et creaturis, sed differenter. Quia, producere » alium ex seipso, dupliciter potest esse, vel ex se toto, » vel ex parte sui. Ex se toto, in solo Deo, reperitur; et » talis generatio, est omnimodae perfectionis..... Alio modo » contingit, aliquem ex se producere, quantum ad partem sui. » Sic pater naturalis generat filium, partem substantiae trans- » mittendo, et descindendo. Et haec generatio, necessario est » cum transmutatione, quia enim pars decisa non habet actum » totius, necesse est, quod, per mutationem, acquirat; sed, » quod acquirit, quod non habet, variatur; ideo haec gene-

» ratio, est mutatio, et habet variationem coniunctam. Est et-
» iam cum corruptione adnexa; quia enim aliqua pars gene-
» rantis deperditur, generans est, a quo potest fieri ablatio,
» et ita corruptio. Est etiam cum conversione adiuncta. Quia
» enim fit deperditio, necesse est, quod, per nutrimentum, fiat
» restauratio; et ideo generatio, in creatura, et perfectionis,
» et imperfectionis est. Perfectionis, a parte virtutis produ-
» centis; imperfectionis, a parte subiecti divisibilis; et ideo,
» est in solis animatis, quae habent formam perfectionis, id-
» est, animam, et ipsum scilicet corpus defectibile et restau-
» rabile. Generatio igitur, de toto, est tantae perfectionis,
» quod non potest esse in creatura aliqua; generatio vero, ex
» parte, tantam habet imperfectionem adiunctam, ut non
» possit esse, circa substantiam, invariabilem et incorrupti-
» bilem, et simplicem, non solum in natura increata, verum
» etiam in natura creata (1) ».

272. *Q.* Quot sint conditiones generationis vivae?

R. Vivae generationis conditiones, sunt tres. Prima est, ut id, quod oritur, sit ex substantia producentis; altera, ut sit simile natura, seu substantia; tertia, ut sit coniunctum principio, a quo producitur. Requiritur prima conditio, ad distinguendam generationem, tum a creatione, cum ab effectione, in quibus, quod educitur, extrinsecus oritur, non a sustantia generantis. Requiritur secunda, quia, si quod gignitur, est ex substantia generantis, necesse est, ut genitum cum generante conveniat in natura Requiritur tertia, quia, in rebus vita expertibus, est actio unius in alterum, non generatio, ut in viventibus . in quibus pars generantis transfunditur in genito, imo fit ipsum genitum.

273. *Q.* Utrum sit admittenda generatio substantialis?

R. Dari generationem substantialem, non tantum accidentalem, veritas adeo in prospectu est apud omnes, tum theo-

(1) I. Sent. dist. 9, art. 1, q. 1.

logos, tum philosophos, ut nullus sanae mentis homo, circa illam, audeat dubitare. Hoc enim ipsamet ocularis experientia demonstrat. Quid enim manifestius, quam homines, aliaque animalia, in diem oriri atque interire; ex arbore, fructus produci; granum frumenti, humo mandatum, corrumpi, eoque corrupto, spicam pullulare; lignum comburi, et ignem fieri? Nonne has, aliasque mutationes, in quibus nedum sola accidentia acquiruntur, et amittuntur, verum etiam, verae formae substantiales, incipiunt et desinunt, quotidie videmus? Materia autem, modo animata, modo inanimata, modo organica, modo inorganica, quid praedicat, secundum varias formas, quibus induitur, nisi generationes substantiales? Materia, utpote organica, suscipit principium sensitivum, et manifestat, proindeque generat. Hoc autem, deficiente principio, denuo corrumpitur, et ex eius fractis, avulsis et disiectis elementis, nova prodit generatio animalculorum, quae, soluto corpore, etiam moriuntur, et innumerae succedunt sibi invicem generationes et corruptiones, quae, tam materiam, quam principium elementare, secundum varias formas substantiales, modificant et disponunt. Idem, de inorganicis dicatur, quorum toties formae mutantur, quot exurgunt aggregationes sensibilium qualitatum. Materia enim una est et eadem, proindeque sufficiens, ad omnes formas suscipiendas.

274. *Q.* Quid, de sensibus particularibus, sit praecipue advertendum?

R. Sensus particularis, ut iam vidimus ex Duce nostro, in quinque dividitur, scilicet in visum, auditum, gustum, odoratum, et tactum, qui, in multis conveniunt, in multis differunt. « Conveniunt omnes quinque, in hoc, quod sunt vires organicae, et passivae. Organicae, quia, per instrumenta corporalia, suas operationes perficiunt, eo quod sint circa particularia tantum. Omnis enim forma particularis, in materia aliqua est: quoniam forma, sine omni materia accepta, universalis est, circa quam operatur intellectus. Ista, facile

» est videre, in sensibus particularibus: quoniam illi non ap-
» prehendunt, nisi per rei sensibilis praesentiam. De virtuti-
» bus autem interioribus, idem est, quoniam in illis omnibus
» est apprehensio formae singularis, secundum situm partium
» eius, et lineamenta et quantitatem. Sunt autem passivae,
» sentimus enim intra suscipientes, non extra mittentes ». Attamen haec passivitas non est inertia, sive operandi incapacitas. Passio enim sensus, est sensus actus, ideoque causa. Dicitur itaque passio, respectu ad alium agentem. Coeterum, omnis passio, est etiam actio, imo, inter utramque, talis venit connexio, ut, sine hac, nullus perfectam sensationem repetere possit. Sic, qui concentu musicali summopere delectatur, vocem autem nequit, ad ipsum repetendum, modulari, unione sensus activi cum passivo, caret; et ideo, licet musica fere nobis ingenita sit, atque ipsa summopere delectemur, eam tamen cum labore discere debemus, habitus scilicet acquirendo, passivos sensus cum activis uniendi, atque tota haec est ars musicae. « Conveniunt etiam omnes sensus in hoc, ut
» bene observat Doctor, quod unam habent originem, scilicet
» sensum communem, a quo, velut a centro, quasi lineae quae
» dam exeunt. Conveniunt tertio, quia, in omni sensu, oportet
» esse proportionem sensibilis ad sensum, quia, in mediis, de-
» lectantur, et in extremis, corrumpuntur. Conveniunt deni-
» que, quod, praeter animae intentionem, in omnibus oportet
» esse organum sanum, et conveniens obiectum praesens, et
» medium deferens. Organum visus, sunt pupillae oculorum;
» organum odoratus, sunt nares; organum auditus, sunt au-
» res; organum gustus, tactum et palatum; organum tactus,
» sunt nervi totius corporis. Ita organa descendunt ab inte-
» riore parte cerebri, in qua, quidam est nervus, qui dicitur
» opticus, et descendit ad pupillas, et ramificatur in duas par-
» tes, alius descendit ad nares, alius ad aures; quidam alius
» ad linguam et palatum; quidam, multipliciter ramificatus,
» est organum tactus, in toto corpore. Obiecta vero sensuum,

» sunt haec: obiectum visus, est color, et eius differentiae.
» Obiectum odoratus, est odor, et eius differentiae. Obiectum
» gustus, est sapor, et eius differentiae. Obiectum tactus, sunt
» elementares qualitates, ut calidum, humidum, frigidum, sic-
» cum, rarum et densum, leve et grave, asperum et lene.
» Media sensuum, sunt haec; aer, et aqua, et quodlibet cor-
» pus diafanum et transparens. Illuminatum, est medium, in
» visu. Aer interior et exterior, est medium, in auditu; auris
» enim concava, in concavitate, habet aerem intrinsecum, sibi
» connaturalem. Vapor, per aerem delatus, est medium, in
» odoratu; res enim odorifera, quasi fumum sensibilem, eva-
» porat, ex quo immutatur aer, deferens odoratui odoratum.
» Umor salivalis. est medium, in gustu. Caro est medium, in
» tactu (1) ». Visa sensuum convenientia, restat, ut ad per-
scrutandam differentiam, accedamus. « Nam quilibet sensus
» habet speciale instrumentum. Differunt in obiectis, differunt
» medio deferente, quia tactus et gustus, habent medium in-
» trinsecus, et alii, extrinsecus. Differunt in apprehendendi
» velocitate; quia visus citissime, etiam remota, apprehendit.
» Differunt situ, quia visus est supremus, postea auditus, de-
» inde alii, per ordinem. Differunt utilitate, quia gustus et
» tactus, maxime sunt necessarii, ad conservationem individui
» et speciei. Gustus enim discernit cibum, per quem servatur
» animal, a nocivo; et tactus discernit qualitates sensatorum,
» sicut calidum et frigidum et huiusmodi, ut animal declinet
» extrema talium qualitatum, ne corruptionem incurrat. Dif-
» ferunt generalitate, quia tactus est generalior, cum non ha-
» beat organum determinatum, sed in omnibus membris sit.
» Differunt etiam in impressionum retentione; sensus enim
» grossiores, fortius retinent suas impressiones, sicut patet
» in tactu. Nota, quod videmus visu et oculo, sed differenter;
» nam, visu, videmus effective, sive formaliter: sed, oculo, vi-

(1) *Centil.*, sess. 21, par. 3.

» demus instrumentaliter. Eodem modo, dicendum est de coe- » teris sensibus. Anima autem, alienatur a sensibus, tripliciter. » Primo, in somno; secundo, in extasi, magis; tertio, in morte, » maxime (1) ».

275. *Q.* Utrum, praeter quinque sensus, admittenda sit, visio magnetismi?

R. Nulla datur visio magnetica, sive sensus magnetismi, tum, quia, ipsi magnetismi animalis fautores, dicunt, hanc visionem, haberi tantum in statu insolito, et extra naturae legem; sed, quod est in *statu insolito*, et contra legem naturae, absolute naturae pugnat; ergo non datur visio magnetismi. Tum, quia, si haec est nova facultas, omnes homines haberent; sed hoc non accidit; ergo,. ut ipsi, gratuito affirmant, nos, iure refellimus. Tum denique, quia, si hominis novus sensus adveniret, natura hominis mutaretur: ast, id non potest fieri, quia natura, sive essentia, est immutabilis; ergo visio magnetismi, reiicienda est.

276. *Q.* Quaenam sit differentia, inter impressionem, et sensationem?

R. Inter impressionem, et sensationem, differentia quidem permaxima intercedit. Impressio enim figuram habet; a situ incipit, et in alium desinit, est superficialis, vel profunda, plus, vel minus extensa: quae omnia dici nequeunt de sensatione, utpote illa, quae est simplex, extensione, figura, formaque quacumque carens. Sensatio igitur, est modus sentiendi specialis, atque etiam perceptio sensitiva rei expertae; impressio, est res externa, quae vim sentiendi excitat. Sensatio enim non est adeo in anima recondita, ut nullam habeat relationem ad externa, ut idealistae effutiunt: sed etiam elemento obiectivo gaudet, quod est fere vinculum quoddam, quo, anima cum obiectis connectitur. Quae quidem pars obiectiva, in omnibus sensationibus, etiam minimis, puta in sensationibus odoris, gustus, reperitur; etsi, propter celerrimas

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. 2, cap. 35.

innumeras et minimas moleculas titillantes, non tam distincte advertatur. Hinc, odores, colores, dupliciter considerari possunt, subiective et obiective; primo modo, in anima tantum: secundo, extrinsecus, etiam in corporibus, existunt; seu, foras, adest vis corporea, organa ita movendi capax, atque animae tales movendi sensationes. Coeterum, in hisce sensationibus, partem obiectivam adesse, ex eo maxime intelligitur, quod, si organa vividius afficiantur, oculi, aures, stimuli fugiendi causa, aliorsum avertuntur, aut clauduntur. Natura igitur suggerente, vim obiectivam sensationibus subiectivis, insidere docemur. Cave tamen ne credas, partem subiectivam sensationis, aliquam esse rerum externarum, aut imaginem, aut similitudinem. sed signum tantum; sensatio enim est omnino psicologica, idest, simplex animi affectio, quae nullam potest cum corporibus communem speciem habere.

277. *Q*. Quid, de sensu communi, sit notandum; et an existat?

R. Sensum communem, definivit Doctor, ut potentiam, « quae » omnium sensuum particularium, obiecta apprehendit. Omnes » enim sensus exteriores, a sensu communi, velut a centro, » particulariter exeunt; et sensatorum suorum similitudines, » ad sensum communem reducunt, quo mediante, de singulo» rum proprietatibus iudicant, et discernunt. Unde sciendum, » quod sensus communis est fons, ex quo omnes sensus o» riuntur, et ad quem omnis motus sensibilium refertur, sicut » ad ultimum finem. Haec potentia, quaedam habet, in quan» tum est sensus; quaedam, in quantum communis est. In » quantum enim sensus est, habet recipere rerum species, » sine materia, et tamen, praesente materia. In quantum com» munis est, habet duo, quorum unum est iudicium sensibi» lium, per quod nos apprehendimus videre, quando videmus, » et audire, quando audimus, et sic de aliis. Si enim, hoc iu» dicium non esset in animalibus, non satis esset audire et » videre, utile; et secundum alios sensus, apprehendere. Se» cundum est, multa sensata comparare, dicendo, unum esse

» dulce, et aliud dulcius esse; et hoc, ideo sensus communis » habet, quia ad ipsum referuntur, omnium propriorum sen- » suum sensata (1) ». Neque dicas, sensum communem, diffi- » culter valde animadverti. Id, ego quoque, fateor, continuis, ut sum, obrutus sensationibus; attamen, id non potest officere eius existentiae, cum aliud sit, aliquid existere, aliud, id cognoscere. Num enim advertimus enorme aeris pondus, quo premimur? Num humorum, et sanguinis circulationem, qua irrigamur? Num calores atque torrentes electricos et magneticos habituales, quibus incalescimus et agitamur? Num actiones et reactiones functionum animalium, assimilationem, nutritionem, secretiones, quibus renovamur? Et haec indesinenter fiunt. Idipsum igitur dictum sit de sensu communi; cuius animadversio, quamquam difficilis, tamen eius existentia, quotidiana experientia comprobatur. Quis enim sensus, vitae animali necessarius? num sensatio visionis? sensatio tactus, aut alterius organi externi? Nequaquam; caeci enim adhuc vivunt, surdi vivunt, et, si qui sunt, qui exercitium sensuum amiserunt externorum, sive interna dissolutione membrorum, vivere adhuc pergunt, uti dormientes; quia ipsis, omnibus aliis externis sensibus deficientibus, sensus communis non deficit. Sed de hoc extat, et alia ratio. Quia, si nullus sensus communis, per corpus exspansus, praehaberetur, nulla ratio superesset sensationis origini explicandae. Cadaver enim, etsi dilanietur, nullam doloris patitur sensationem; idque contingit, quia corpus evasit insensitivum; sed ista insensitivitas totalis, quid est, nisi sensus communis carentia? Sensationes igitur arguunt existentiam sensus communis, et in eo existunt ceu colores et figurae in pariete; vel accidentia in substantia eo quod, ipsae sint totidem sensus communis modificationes, ac quasi inscriptiones et figurae.

278. *Q.* Quid, de vi imaginativa et aestimativa, sit principaliter notandum?

(1) Loc. cit. cap. 36.

R. Cum vis imaginativa sit potentia apprehensiva, in qua imagines rerum sensibilium reservantur, ex doctrina Magistri claret, hanc virtutem, plus abstrahere, quam sensum, quia « sensus non accipit formam, nisi praesente re: ista autem » reservat formam, etiam re absente. In hoc etiam imaginatio » differt a sensu communi, quia sensus communis, praesentia » rei exterioris indiget, sicut sensus particularis. Ista autem » virtus, scilicet imaginatio, thesaurus formarum vocatur, » quia in ea, sicut dictum est, formae, a particularibus sen- » sibus receptae, retinentur et immobilitantur..... Aestimativa » autem virtus est, quae, a forma acquisita, intentiones eli- » cit, quae sensu non percipiuntur, secundum quam ovis fugit » lupum, et lupus miseretur suo filio; hoc autem non posset » fieri, nisi lupus haberet cognitionem eius individui, et quod » hoc individuum sit natus eius, sicut et ovis apprehendit lu- » pum sibi nocivum. Ista vero non possunt fieri per sensum. » Aestimativa differt ab imaginatione, quoniam imaginatio » solum retinet formas apprehensas per sensum communem, » et ad imaginationem solam non sequitur affectus miseriae, » vel tristitiae, vel fuga, vel insecutio. Ad aestimationem au- » tem, sequitur quodlibet istorum. Unde, sicut intellectus pra- » cticus se habet ad speculativum: ita se habet aestimativa » ad imaginativam; et propter hoc aestimativa, non solum » apprehensiva est, sed etiam motiva, per hoc quod deter- » minat ad quid moveri debeat animal, et a quo fugere. Cum » enim animal movetur ad cibum, oportet aestimationem cibi » in animali esse. Sed aestimatio, non solum movet, imo et- » iam apprehendit. Oportet igitur, animal habere aestimatio- » nem, qua moveatur. Officium igitur aestimativae est, appre- » hendere intentiones, non quidem rationis, sed naturae. Unde » non apprehendit, quid sit syllogismus, aut nomen, aut verbum, » vel amicitia, vel inimicitia, commodum vel incommodum (1) ».

(1) Loc. cit. cap. 37 e 38.

279. *Q.* Quid, de phantasia, sit praecipue signandum?

R. Phantasia, ex verbo Magistri, « est virtus, vel potentia, » componens imagines cum imaginibus, et intentiones cum in- » tentionibus , et imagines cum intentionibus. Componit , in- » quam , phantasia imagines cum imaginibus, ut est, appre- » hendere aliquid esse album vel nigrum, vel diversas formas » componere, et fingere chimaeras. Componit etiam intentio- » nes cum intentionibus, ut patet in ove, quae apprehendit, » nato suo praebenda esse ubera, et alienum esse repellen- » dum. Componit etiam imagines cum intentionibus, ut cum » apprehendit ovis formam lupinam esse fugiendam. Per phan- » tasiam, maior habetur cognitio, quae potest haberi in ani- » ma sensibili. Per hanc enim, non solum scit praesentia, sed » etiam providet sibi in futurum. Per hanc enim, quaedam » animalia faciunt sibi casas, et de cibo provident in longin- » quum: per hanc etiam de illo scit, quod sit idem, et de a- » lio, quod sit aliud, et sic de eo omni, de quo sententia prof- » fertur, per modum affirmationis et negationis. Per hanc » quoque videmus, aliquid eligere animalia, et aliquid refu- » tare. Ad electionem autem et refutationem, praeexigitur » scientia et discretio; et ideo multi dixerunt, quod phantasia » est aliquid rationis. Sed dicimus, non esse veram electionem » animi sensibilis, sed aliquid simile. Haec, a vulgo, in ho- » mine, vocatur cogitativa; cum tamen cogitare, proprie sit » rationis. Phantasia operatur in somno, sicut in vigilia. Quod » autem in somnis, res videntur esse praesentes, hoc est, quia » fit reversio ad sensum communem. Ista potentia, quando » coniuncta est rationi, sicut est in homine, tunc accipit a- » gendi et operandi regimen, a ratione. Sed quia ratio di- » versificatur secundum diversitatem eorum, de quibus ratio- » cinatio fit, ideo operationes phantasiae multiplicantur in » homine valde. Ubi autem phantasia non est cum ratione, ut » est in brutis, tunc regitur solum secundum instinctum na- » turae. Et quia natura, uno modo est in habentibus speciem

» unam, ideo conceptio phantasiae operatur in talibus uno » modo. Et inde est, quod omnis hirundo facit nidum suum, » uno modo. Dixerunt autem quidam philosophi, quod istae » virtutes, in brutis, potius aguntur, quam agant, sed, in ho- » mine, potius agunt, quam agantur; quia bruta moventur » secundum impetum, et impulsus appetitus naturalis. Motus » autem humani regulantur secundum regimen rationis. No- » tandum autem, quod melancholici, et infirmi, et amentes, » multas habent phantasias: sed hoc non est ex illustratione, » quae fit per imaginationes rerum sensibilium: sed ex pas- » sionibus naturae, et confusione spirituum ascendentium ad » cerebrum, et caput turbantium. Tales enim spiritus diver- » sarum imaginationum, involutiones faciunt, generant horri- » biles visiones, et conceptiones. Praeterea, sciendum, quod » bruta citius recipiunt influxus primi motoris, quam homines, » sicut patet in formica, quae, quando cibum colligit, intra » tres dies non pluit; et gallus cantum suum per tempus va- » riat; quia mutationem aurae, ex influxione primi motoris, » praesentiunt. Huius dicti, haec est ratio. quoniam homines » multum occupantur in suis conceptionibus, conferendo, et » componendo, et dividendo; quare et influxiones primi mo- » toris non percipiunt ita cito, sicut bruta, quae non sic oc- » cupantur in suis conceptionibus, nec, secundum illas, ope- » rantur: sed tantum secundum instinctum naturae. Ista vis, » scilicet phantasia, plurimum impedit intellectum, eo quod, » nimis occupat animam, compositione et divisione imaginum, » non solum acceptarum, a sensibus: sed etiam fictarum; ma- » xime autem impedit intellectum, quando aliquid de coele- » stibus et divinis imprimitur ei; et hoc ideo, quia conceptiones » tales intellectus, ut frequenter, non sunt similes imagina- » tionibus, et fictionibus phantasiae (1) ».

(1) Lib. cit. cap. 39.

280. *Q.* Quaenam intercedat differentia, inter imaginativam et phantasiam?

R. Inter phantasiam et imaginativam, aliqua notatur differentia. Imaginativa enim, rerum ideas conservat, phantasia componit; imaginatio quasi colligit, phantasia renovat; una est potius passiva, altera potius activa. In imaginativa, nervi sensorii, rebus sensilibus perculsi, in extremitate extrinseca, tremorem motumque accipiunt, qui ad cerebrum usque pertingit. In phantasia, cum aliquid imaginamur, diversa directione peragitur motus nervorum, idest, in extremitate interna vel cerebrali, exorditur, et ad cutem progreditur. Imaginativa, vi retentiva pollet: phantasia, vi associativa et vi reproductiva constat. Imaginationes sunt vividiores in vigilia, quam in somno; reproductiones phantasticae, saepe sunt vividiores in somno, quamquam inordinatiores, quam in vigilia. Hinc patet, somnia tam naturalia, quam artificialia, sive magnetica, aliud non esse, nisi visiones phantasticas. Cum vero praeteritae imaginationes, per phantasiam, reproducuntur, patet, quo imaginationes frequentiores et vividiores, praecesserint, saepius etiam ac clarius in phantasiam venire; hinc unusquisque, quae sui sunt muneris, artis, studii, solet somniare crebrius coeteris. Unde Metastasius:

> Sogna il guerrier le schiere, — Le selve il cacciator,
> E sogna il pescator — Le reti e l'amo.

Phantasmata autem somniantium, multo remissiora sunt, quam imaginationes sensitivae earumdem rerum; quia, in imaginationibus, ipsa realitate rei afficimur, quae fortius agit. Contingere interdum potest, ut anima, morbo, aut aliqua violentia organica correpta, vividissimas suscitet ac dipingat rerum imagines, ob ingentem, quam in nervos cerebrales vim ipsam exercet, ut in somniis quibusdam, in alucinationibus, in deliriis, in mania, in somnambulismo, in somniloquismo, quando-

que accidere cernitur. Denique, differt imaginatio a phantasia, quod illa sensationem includit: ista, signum tantum habet sensationis habitae. Qui enim somniat dolorem iam habitum, eodem iterum, certe non torquetur. Coeterum nonnulli, aliquando imaginativam et phantasiam promiscue usurpant, inter quos Aligherius, canens:

O immaginativa, che ne rube
  Tal volta sì dì fuor, ch' uom non s'accorge,
  Perchè d'intorno suonin mille tube,
Chi muove te, se il senso non ti porge?
  Muoveti lume, che nel Ciel s'informa
  Per sè, o per voler che giù lo scorge (1).

281. *Q.* An melior esset hominum conditio, si ipsis Deus facultates sensibiles longe acutiores concessisset?

R. Sapientissimus omnium Creator Deus, his nos instruxit facultatibus, quae, in hac vita, necessitatibus nostris abunde sufficiant. Proportio enim mirabilis est inter corporis organa et corpora, quae nos circumdant. Maior enim sagacitas si facultatibus inesset, non afferret lucrum: sed incommodum et molestiam, Sic, si oculi microscopiis similes essent, obiecta solum viciniora perciperent, coetera vero longinqua non cernerent. Hinc, quae a longinquo interest vitare, declinari non possent; et sol et luna coelumque totum foret incognitum, atque ita omnia fugerent, quae gloriam Dei splendidius enarrant. E converso, si instar telescopiorum, oculi conformarentur, tunc coelorum plagas et siderum motus, longe quidem dignoscerent homines facilius; sed propiora vix suspicarentur, viderent regiones incognitas, ac sic, quae sibi utilia sunt, admovere, nec, noxia, removere possent. Idem dic de olfatu, de gustu, de auditu, de tactu; qui omnes, si essent vividiores, vix

(1) Purg., c. XVII, v. 13.

alius, alium hominem sufferret, omnes cibi nauseam procrearent, omnis concentuum harmonia interiret, auribus murmur quoddam inconditum obstreperet, et clamor confusus; perque tactum delicatissimum, ingratis molestisque sensationibus, homo perpetuo vexaretur. Similiter, de imaginatione est affirmandum, quae uti est, delectationibus augendis ac multiplicandis inservit, ad corporis aegritudines leniendas ac temperandas valet, exornandae ac perfundendae veritati non parum confert, ac plurima inventa et sisthemata conficit, ex quibus, in patriam plurima fluescit utilitas. Si autem vividior esset phantasia, multa fingeret, quae animae molestiam, et corpori aegritudinem, afferrent. Adde, perturbationes corporis physicas, adde infirmitates frequentes, adde notas in puerorum pelle exaratas, ex imaginationibus matris traductas, adde innumera alia mala, quae, ex phantasia ardentiori, profluerent. Ex his omnibns, inferendum est, sapientissime Deum facultates adtemperasse impressioni obiectorum, quae nobis vel prodesse, vel nocere possunt. Insulse ergo homines conquererentur, quod ipsis longe maiorem facultatum sagacitatem non concesserit Deus.

CAPUT VI.

DE POTENTIIS ANIMAE COGNITIVIS.

282. *Q.* Quid, circa intellectum, sit tenendum?

R. Intellectus, qui est vis cognoscendi verum, duplici sensu sumi potest. In sensu lato, est vis spiritualis apprehendendi, iudicandi et ratiocinandi; stricto autem, est vis, qua aliquid apprehendimus, sine mentis discursu. Hinc tria fluunt:

Primo, rationem et intellectum, duas non esse facultates, sed eiusdem facultatis duas tantum actiones. Intellectus enim immediate, ratio discursive, sive mediate, verum cognoscunt.

Secundo, idem est dicendum de intellectu speculativo et

practico. Primus enim se continet in simplici veritatis apprehensione: secundus porrigit ad operationem, verum apprehensum.

Tertio, quod de primis, affirmandum est de ratione superiori et inferiori, de quibus perbelle et diserte loquitur Dux noster: « Divisio rationis, in superiorem portionem et inferiorem, non est adeo per diversa membra, ut haec et illa » sit potentia alia et alia..... Nec est per membra ita convenientia, ut non sit in eis differentia, nisi solum secundum » aspectus. Est enim differentia secundum dispositiones, et secundum officia. Secundum dispositiones, quia haec fortis, » illa debilis. Secundum officia, quia haec regit, et illa regitur. » Ratione diversae dispositionis, in debilitate et fortitudine: » haec vocatur vir, et illa mulier. Ratione diversitatis in officio et regimine: haec vocatur superior, quia regit, et illa » inferior, quia regitur. Talis autem dispositionum diversitas » ortum habet, non ex diversitate naturae, sed ex diversa » comparatione eiusdem potentiae. Dum enim ratio nostra ad » superiora convertitur, purgatur, et illuminatur et perficitur. » Dum leges aeternas conspicit, et immutabilitatem divinae » virtutis et aequitatis, in bono fortificatur et vigoratur. Dum » autem ad haec inferiora convertitur, utpote ad sensibilitatem, et carnem, quodammodo trahitur et emolitur; et ideo, » sunt eiusdem naturae ratio superior et inferior, differentes » secundum fortitudinis et debilitatis dispositionem. Et quia » una oritur ab altera, et ei coniungitur tamquam adiutorium » sibi simile, recte haec dicitur vir, et illa dicitur mulier, » et inter eas dicitur coniugium. Diversitas autem officiorum, » similiter non venit, ex diversitate naturarum, sed ex diversitate dispositionum. Quia enim haec fortis est, et illa debilis; haec intelligens et consulens divinam voluntatem, illa » vero exequens operae; et ideo haec regit, et illa regitur; » et ex hoc, illa superior, et ista inferior appellatur. Et sic » patet, quod superior portio rationis et inferior, etsi aliquo

» modo recte condividantur, tamen diversae potentiae non sunt;
» ista enim membra, videlicet superius et inferius, essentiam
» potentiae non variant, sed dispositiones et officia; et hoc
» insinuant ipsa nomina (1) ».

283. *Q.* Utrum intellectus sit potentia organica?

R. Intellectus non est potentia organica. Anima enim excedit proportionem corporis; et est suprema inter substantias sensibiles, et infima, inter intellectuales: sed, quod excedit proportionem corporis, et quod est intellectuale, sine organo exercetur; ergo intellectus est potentia inorganica. Ex hoc perspicuum est, res materiales, per se, ab intellectu intelligi nunquam posse. Intellectus enim, solum ab intelligibili, ad actum determinatur et perficitur. Elucescit etiam, obiectum adaequatum intellectus, esse omne ens, sive quidquid est, vel esse potest; quidquid enim est. intelligibile est, ut verbis utamur Sancti Augustini. Emicat denique, intellectum cum corpore coniunctum, indigere, quoad cognitionem sensibilem, speciebus sensibilibus: quoad cognitionem intellectualem, intelligibilibus speciebus.

284. *Q.* Quid sit species sensibilis et intelligibilis?

R. Species sensibilis est similitudo obiecti, in animam ingressa. Haec autem similitudo est immaterialis; intentionaliter enim est in anima, idest, secundum esse repraesentativum. Sic forma, qua lapis est, non est in anima, sed similitudo eius. Species autem intelligibilis, est repraesentatio essentiae rei, a quacumque materiali exuta conditione, elaborata ab intellectu agente, et ab intellectu possibili accepta. Sic sensus, certo modo, est sensilium intellectus, ut intellectus, certo modo, est intelligibilium sensus. Sensus reddit materiam spiritualem; intellectus, particulare in universale vertit. Sensus, vis materialis, obiecta recipit, sine materia: intellectus, vis intelligibilis, individuum, sine individualitate, colligit. Anima, externa

(1) II. Sent. dist. 24, par. 1, art. 2, q. 2.

cognoscit obiecta, quin aliquid perdat suae simplicitatis: materialia, ab anima cognita, insunt in anima, quin aliquid relinquant materialitatis. Animae enim insunt, quin cessent sibi esse. Morantur in spiritu, quin mutentur. Magis igitur distat a spiritu corpus, quam nihilum, ab ente. Haec autem connexio inter spiritum et corpora, tam intima et mirabilis est, ut, in ordine creationis, nil simile inveniatur. Imo, in his operationibus, est aliquid, ipsa creatione, mirabilius. In nullo enim tanta Dei sapientia, potentia et auctoritas est, quam in facultate concessa sensibus, transformandi materialia in species sensibiles, ipsis iisdem sensibus permanentibus: mentique simul sensiles species in intelligibiles transmittendi, simplicitate servata. Phoenomenon igitur cognitionis humanae, inter creationis miracula, est maximum.

285. *Q.* Quaenam differentia sit inter species sensibiles, et intelligibiles?

R. Differentia in hoc est, quod species intelligibiles sunt omnino immateriales, tum in intellectu, tum in obiectis repraesentatis; sensiles autem sunt immateriales, quoad sensum, sed non quoad obiectum. Ex hac differentia patet, quod species intelligibiles proinde ac sensiles, sunt illud, *quo* intellectus rem intelligit, non vero illud, *quod* ab eo intelligitur. Quare, etsi intellectus res per species intelligat, tamen earum obiectivam cognitionem, sibi comparat.

286. *Q.* Quid sit intellectus agens, et quid possibilis?

R. Intellectus agens, ex Duce nostro, « est qui abstrahit
» species ab imaginatione, sive phantasia, et sua irradia-
» tione facit universales, ac ponit in intellectu possibili. Nam,
» sicut ad visum corporalem, exigitur lux abstrahens inten-
» tiones colorum, idest similitudines a colorato, et ponit eas
» in aere, non quidem secundum essentiam, sed secundum in-
» tentionem, idest similitudinem: sic intellectus agens, qui est
» lux animae, ponit species, abstractas a phantasia, in intel-
» lectu possibili, non quidem actualiter, sed secundum inten-

» tionem, idest similitudinem. Quare autem inter imaginatio- » nem et intellectum possibilem, sit potentia media, quae abs- » trahit, scilicet intellectus agens; sed, inter sensum commu- » nem et imaginationem, non sit potentia media, quae abs- » trahat? Huius ratio est; quia sensus communis et imaginatio » sunt eiusdem animae potentiae, scilicet, animae sensibilis; » sed imaginatio, et intellectus possibilis, non sunt potentiae » eiusdem speciei; quoniam, altera est potentia animae sen- » sibilis, altera animae rationalis. Intellectus autem possibilis » dicitur, quia potest recipere tales species, sed nondum re- » cepit eas; cuius exemplum est tabula nuda, nullam habens » picturam; potest tamen habere quamcumque. Sane, cum in- » tellectus possibilis tales species receperit, tunc..... vocatur » intellectus in effectu, vel in habitu; cum vero, multitudine » specierum sensibilium illustratur, tunc est intellectus ade- » ptus (1) ».

287. *Q.* Utrum intellectus agens et possibilis differant?

R. « Intellectus agens, sunt verba nostri Doctoris, et pos- » sibilis differunt, sicut lux et illuminatum, et sicut perficiens » et perfectibile: quia..... intellectus agentis, est omnia facere, » et intellectus possibilis, omnia fieri. Et, ut plenius innote- » scat, notandum, quod, sicut ad hoc quod, per speculum, a- » liquid videatur, tria sunt necessaria, scilicet, speculum, » quod aptum natum est recipere impressionem corporum ob- » iectorum, color etiam in corporibus obiectis, et lux, qua, » moveatur color, et species corporum obiectorum, quae, sine » luminis influxu, quantumcumque obiiciantur, non sunt re- » ceptibiles a speculo; sic, similiter ad hoc, ut aliquid intel- » lectu videamus, oportet quod sit intellectus possibilis, qui » aptus natus est recipere species, quemadmodum dictum est » de speculo; oportet etiam, quod sint species speculatae a- » pud intellectum possibilem, qui habet ipsas in habitu, cum

(1) In *Comp. theol, verit.*, lib. II, cap. 46.

» sit locus specierum universalium. Sed, sicut color in cor» pore non movetur, nec species, nisi, mediante lumine, im» primantur in speculo: sic, nec phantasmata erunt actu in» telligibilia, nisi intellectus agens irradiet, et diffundat super » eum lumen suum, sicut lux super colores, ut sic, secundum » actum, intelligibilia efficiantur (1) ». Neque dicas, ex particulari oriri non posse universale. Nam universale non oritur ex particulari, sed ex intellectu agente. per occasionem obiecti particularis. Intellectus enim agens, ut participatio luminis divini, universalia prospicit; et invisibilia Dei, per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Particulare enim, quid aliud est, nisi universale realitate affectum, et, obiecto individuali, determinatum? Forma igitur quasi typica est in rebus; entia enim creata, sunt ideae, formae rerum stabiles, vel rationes aeternae, quae, in divina intelligentia continentur, quarum participatione, fit quidquid est (2). Quare igitur intellectus humanus non poterit abstrahere ex obiectis, quod est ibi reconditum, universale? Denique, qùomodo cognoscitur particulare? Nonne per intellectum? Ergo intellectus agens, non ex particulari, ubi non est, abstrahit universale; sed potius, ex universale, particulare desumit, in quo continetur, velut summa minor, continetur in maiori; est enim propter lumen intellectuale, quod homo intelligit, et comprehendit particulare.

288. *Q.* Utrum sit admittendum lumen intellectuale?

R. Lumen intellectuale, percertissime est admittendum. « Omnis enim substantia spiritualis, docente Seraphico, lumen » est, unde Psalmus: Signatum est super nos lumen vultus » tui, Domine. Simul etiam cum hoc est speculum, quod re» cipit omnia, et repraesentat, et habet naturam luminis, ut » iudicet de rebus. Totus etiam mundus describitur in anima,

(1) Loc. cit.
(2) S. Augustinus.

» et etiam est imago; quia ergo est lumen, et speculum ha- » bens rerum imagines, ideo est imago, et ex hoc est liber » scriptus intus (1) ». Ex alia parte, essentiae rerum materialium sunt concretae; quod est concretum, non est actu intelligibile, sed in potentia; ergo opus est aliqua virtute, quae removeat materiale, et efficiat intelligibile actu; sed haec virtus, est lumen intellectuale; ergo admittendum est in homine, lumen intellectuale. Dico *in homine*, quia hoc lumen unicuique homini inest, tamquam principio intrinseco, non extrinseco. « Si enim homo aliquid distinctum habet, sunt verba » Ducis nostri (2), habet principia essentiae suae, propria et » distincta ». Praeterea haec veritas comprobatur a Doctore nostro, alio modo: « quia, cum animae nostrae data sit po- » tentia, ad intelligendum, sicut aliis creaturis data est po- » tentia ad alios actus, sic Deus, quamvis sit principalis ope- » rans, in operatione cuiuslibet creaturae, dedit tamen cui- » libet vim activam, per quam exiret in operationem pro- » priam: sic credendum est indubitanter, quod humanae animae, » non tantummodo dederit intellectum possibilem, sed etiam » agentem, ita quod uterque, est aliquid ipsius animae (3) ». Quod autem hoc lumen progrediatur a potentia ad actum, res experimenti est. Unusquisque enim scit, se paullatim assequi rerum cognitiones, quas antea poterat quidem habere, sed, actu, non habebat.

289. *Q.* Utrum lumen intellectuale, sit potentiae cognoscenti connaturale?

R. Dux noster, eos refutans, qui Deum percipi non posse affirmabant, nisi per speciem, vel essentiam, ait, « quod ad- » huc est tertius modus cognoscendi, scilicet per effectum; » cognoscitur autem Deus per effectus visibiles, et per sub-

(1) In *Hexaem.*, serm. 12.

(2) Ibid. serm. 3.

(3) II. Sent. dist. 24, par. 1, art. 2, q. 4 in conclu.

» stantias spirituales, et *per influentiam luminis connaturalis* » *potentiae cognoscenti*, quod est similitudo quaedam Dei, non » abstracta, sed infusa, inferior Deo: quia in inferiori natura, » sicut dicit Augustinus (1) ». Haec verba, falsum ontologismum confodiunt, non enim Bonaventura affirmat, lumen illud connaturale potentiae cognoscenti, Deum esse immediate in sui essentia, vel substantia eidem praesentem, sed similitudinem Dei. Imo, cum sibi obiecisset, ut acute notat Ludovicus a Castroplanio, illud Augustini: Quod mens immediate a veritate formatur; respondet: « dicendum, quod duplex est » medium, scilicet, disponens et efficiens. De primo medio, » non debet intelligi, quod dixit Augustinus; sed de secundo, » quoniam Deus est medium efficiens, et obiectum ipsius men- » tis. Illud autem verbum dicit Augustinns contra philosophos, » quorum opinio erat: quod mens non coniungeretur aeternae » veritati immediate (intellige vi propria, et proprio intelle- » ctuali lumine), sed mediante aliqua intelligentia (2) ». Haec Seraphici declaratio sufficit ad explicandas locutiones illas, quae ontologismum sapere videntur; ut cum dicit, quod Deus sit ratio omnium rerum, et regula infallibilis, et lux veritatis, in qua cuncta relucent infallibiliter: quod mens nequeat videre veritatem incommutabiliter relucentem, nisi per aliquam aliam lucem incommutabiliter radiantem, quam impossibile est esse creaturam mutabilem; quod mens, iudicando per plenam resolutionem, pertingat ad divinas leges, coniunctusque sit intellectus noster aeternae veritati; quod Deus primo occurrat menti, et, per ipsum, alia; haec et alia, inquam, intelligenda sunt de principio efficiente, quatenus nempe a Deo, actione immediata, creaturae intellectuali *a conditione sua datum est lumen quoddam directivum*, *et quaedam directio naturalis*, quae aliud non est quidquam, nisi lux quaedam sui

(1) II. Sent. dist. 3, par. 2, art. 2, q. 2, ad 4.

(2) I. Sent. dist. 3, par. 1. q. 3, ad 2.

generis, incorporea, formaliter menti inhaerens et creata, tamquam oculus animae, ad quem pertinet imago et agnitio Dei, effecta a Deo, impressa a Deo, ceu diminuta quaedam irradiatio, atque imitatio divinae lucis. Quatenus ergo mens, lumen intellectuale a Deo participat, et secundum ipsum, de omnibus iudicat, tam intelligibilibus, quam operabilibus, dicitur omnia in Deo videre. Hoc etiam affirmat Seraphicus, omnia in Deo videri; quia, in solo Deo, veritates intelligibiliter continentur, ac repraesentantur per se, tamquam in primo ac ultimo fundamento omnis realitatis atque idealitatis; quo dempto, actum est de quavis veritate; vel quia, participando lumen divinum, mens omnia in Deo videt, tamquam in causa exemplari, quatenus veritatem intuetur per lucem intellectivam, in similitudinem divinae lucis expressam, a qua, tamquam a prima veritate, resultat exemplata veritas in ipsa: vel denique, quatenus si mens velit ad ultimum cognitionis terminum pervenire, ad Deum debet assurgere, ipsumque recognoscere ceu fontem, in quo veritates omnes continentur, ipsumque veritatis patrem appellare, quam tamen non videt per ipsum Deum, sed per imaginem sibi impressam a Deo: qui propterea cum causa prima cognitionis existat; siquidem lumen naturale, menti conservando causat, ad videndum ipsum dirigit, in ipsa similitudinem sui generat, quae eum, absque ratiocinii adminiculo, directe repraesentat; sicque propterea causa efficiens, exemplaris, directiva et terminativa lucis intellectivae, merito dicitur, omnia in ipso videri; quae enim videntur et cognoscuntur, pertinet magis ad ipsum, quam ad creaturam, sicut operatio artis, magis tribuitur artifici, quam arti. Et quoniam intellectuale lumen, immediate a Deo impressum, primo ex naturae instituto revelat, lumen divinum a divino esse minime distinctum, ex quo in mentem, per naturalem revelationem seu creationem, emanat; hinc Seraphicus docet, Deum primo menti occurrere, et, per ipsum, alia; quia lumen rationis, nihil magis revelat, quam ipsum Deum,

cuius participatio est, quique in eodem lumine latet. Unde in quavis cognitione, tum universali, tum particulari, implicita conspicitur idea Dei; quia, quidquid realitatis et intelligibilitatis in creaturis reperitur, profluit a Deo, tamquam a causa efficiente et exemplante, sine quo proinde, quemadmodum nulla res existeret, ita nec posset intelligi. Si qua itaque idealis repraesentatio menti occurrit, per Deum occurrit, quia omnis vere ratiocinantis lumen accenditur ab illa veritate, et ad ipsam pervenit; et creaturae omnes, illius aeternae originis lucis et plenitudinis, illius, inquam, artis efficientis, exemplantis et ordinantis sunt umbrae, resonantiae et picturae, ut declarat Bonaventura (1). « Ex his patet responsio (Docto-» ris nostri) ad illam quaestionem, qua quaeritur: Utrum o-» mnis cognitio sit a sensu? Et dicendum est, quod non. Ne-» cessario enim oportet ponere, quod anima novit Deum, et » seipsam, et quae sunt in seipsa, sine adminiculo sensuum » exteriorum. Unde, si aliquando dicat philosophus, quod ni-» hil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu (praeter » intellectum ipsum), et quod omnis cognitio ortum habet a » sensu, intelligendum est de illis, quae quidem habent esse » in anima, per similitudinem abstractam; et illa dicuntur » esse in anima ad modum scripturae. Et propterea valde » notabiliter dicit philosophus, quod in anima nihil scriptum » est, non quia nulla sit in ea notitia, sed quia nulla est in » ea pictura, vel similitudo abstracta, et hoc est quod dicit » Augustinus in libro *De Civitate Dei:* Inseruit nobis Deus no-» bile iudicatorium, ubi, quid sit lucis, quid tenebrarum, co-» gnoscitur in libro lucis, qui veritas est, quia veritas in corde » hominum naturaliter est impressa (2) ».

290. *Q.* Quid sit verbum mentis?

(1) Fr. Ludovicus a Castroplanio, *Disquisitio hist. theol. de Seraph. Bonaventura,* cap. 2, § 1, pag. 75 e seg.

(2) II. Sent. dist. 39, art. 1, q. 2.

R. Verbum mentis, quod et conceptus mentis, a Scoto eiusque schola, partus mentis, proles ingenita, species expressa, imago obiecti, dicitur, est intellectio creata, naturaliter procedens ab intellectu. Ex hac definitione patet, hoc verbum non habere esse, sine actuali intellectione; est enim ipsa actualis intellectio, et repraesentat Verbum divinum; nam est notitia genita, per memoriam secundam, sicut Verbum divinum, per memoriam Patris. Claret etiam, quod non est a Deo; passive enim tum se haberet intellectus, et intellectio non esset verbum mentis, sed Dei; esset ex specie impressa, sive intellectu agente, non ex expressa, nempe possibili, productum.

291. *Q.* Quid, et quotuplex sit reflexio?

R. Reflexio est regressio intellectus in suos actus. Scholastici, duplicem admittunt reflexionem, completam scilicet, et incompletam, prout ex integro percipit actus proprios, vel solum aliquos diversae facultatis. Haec vis animae, ad facultatem inorganicam, spectat. Insuper, reflexio distribuitur in ontologicam et psicologicam, in quantum obiectum cognitum recogitat: vel supra se, suosque actus, convertitur. Sub hoc sensu, reflexio appellatur conscientia, et, iuxta doctrinam a Philosopho nostro, traditam, « sicut nomen intellectus aliquando » accipitur pro potentia intelligendi, aliquando pro habitu, aliquando pro ipso principio intellecto; sic nomen conscientia, tripliciter consuevit accipi a doctoribus. Aliquando enim » accipitur conscientia pro ipso conscito: et sic dicit Ioannes » Damascenus, quod conscientia est lex intellectus nostri. Lex » enim est illud, quod per conscientiam novimus. Aliquando » vero accipitur conscientia, pro eo, quo conscii sumus, scilicet pro habitu, sicut scientia accipitur pro habitu scientiae cognoscentis. Aliquando autem accipitur conscientia, pro » ipsa potentia conscientiae, ut ita dicamus, secundum quod » dicitur, quod lex naturalis scripta est in conscientiis nostris. » Cum igitur, tribus modis, accipi soleat conscientiae nomen:

» usitatiori tamen modo, nomen conscientiae, pro habitu accipitur, sicut nomen scientiae, a quo componitur. Si igitur quaeratur conscientia, cuius potentiae sit habitus, dicendum, quod est habitus potentiae cognitivae, aliter tamen, quam sit ipsa speculativa scientia; quia scientia speculativa est perfectio intellectus nostri, in quantum est speculativus; conscientia vero est habitus perficiens intellectum nostrum, in quantum est practicus, sive in quantum dirigit in opere; et sic intellectus habet quodam modo rationem motivi, non quia efficiat motum, sed quia dictat et inclinat ad motum; et propterea talis habitus non simpliciter nominatur scientia, sed conscientia, ut in hoc significetur, quod habitus iste non perficit illam potentiam speculativam in se, sed prout est, quodam modo, iuncta affectioni et operationi, propter quod nos non dicimus, quod dictamen conscientiae sit ad hoc principium: omne totum est maius sua parte, et ad similia; sed bene dicimus, quod conscientia dictat, Deum esse honorandum, et consimilia principia, quae sunt sicut regulae agendorum. Concedendum est igitur, quod conscientia se tenet ex parte potentiae cognitivae; licet non se teneat secundum quod est speculativa, sed secundum quod est practica (1) ».

292. *Q.* Quid, de natura iudicii, sit praecipue observandum?

R. Circa iudicii naturam, tria speciatim sunt notanda, nempe primo, iudicium esse actum intellectus, non voluntatis; secundo, iudicium, non instinctive, sed per terminorum comparationem, fieri; tertio, eius essentiam, in affirmatione, aut negatione, consistere. Primo exsufflantur Cartesiani affirmantes, iudicia esse volitionis, non intellectus. Actiones enim specifice diversae, non sunt eiusdem facultatis; sed iudicium et volitio non sunt eiusdem: ergo sunt diversae. Iudicium enim ad verum, volitio ad bonum se referunt. Secundo insufflantur Reid

(1) II. Sent. dist. 39, art. 1, q. 1.

sequaces, volentes, quaedam iudicia esse istinctiva. Iudicia enim istinctiva sunt brutorum; sed homo non est brutum; ergo iudicia istinctiva non sunt hominis. Iudicia enim, convenientiam, vel repugnantiam terminorum, expostulant. Tertio insufflantur Lockiani, ponentes in comparatione, essentiam iudicii. Iudicium enim est in intellectu vel dividente, vel componente: sed, qui dividit et componit, aliquid affirmat, vel negat; ergo essentia iudicii, non in comparatione: sed in affirmatione, vel negatione, consistit.

293. *Q.* Quid, quotuplex, et quaenam praecipue sint notanda, circa memoriam?

R. Memoria, ex Doctore nostro, « est repositorium prae- » teritorum. Duae operationes actum memoriae praecedunt, » quarum una est, hoc esse receptum, et haec est operatio » sensus communis, et in hoc memoria incipit. Secunda est, » hoc esse conservatum apud nos, quod fit per imaginati- » vam (1) ». Hinc perspicitur, duplicem esse memoriam, scilicet sensitivam et intellectivam, prout vel ex parte corporis, vel ex parte mentis, consideratur. Intellectiva, accipitur a Magistro, « vel per modum habitus; et iste est retinere spe- » ciem; et esse dicitur per modum habitus, quia continue te- » net, et dicit magis statum, sive conservationem, quam actio- » nem. Est alius actus memoriae, per modum usus, sive actus, » qui est meminisse, sive recordari. Primus quidem actus, » naturalis est, et non subest voluntati; nec penes illum at- » tenditur meritum, vel demeritum. Secundus vero actus po- » test ordinari ad bonum, et eius oppositum, scilicet ad ma- » lum (2) ». Perspicitur etiam, memoriam intellectivam specie non differre ab intellectu, quia actus memoriae, ab intellectu repeti possunt. Reflexio enim et cognitio sunt ad intellectum; sed facultates, quae sunt ad intellectum, sunt intellectuales;

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 40.

(2) II. Sent. dist. 7, par. 2, art. 1, q. 2.

ergo memoria intellectiva non differt specie, sed tantum est quaedam intellectus affectio. Memoria igitur sensitiva, si est quaedam specialis facultas, non est specialis facultas intellectiva. Conspicitur ultimo, summam esse differentiam inter memoriam et reminiscentiam; et ratio Magistri est, « quia memoria discrete et distincte revertitur ad res, componendo intentiones distinctas cum imaginibus. Reminiscentia autem sive recordatio, est motus quasi interceptus et abscissus per oblivionem, et est cum collatione temporis et loci, et huiusmodi. Reminiscentiae enim motus non est uniformis, sed causatur ex pluribus principiis circumstantibus illud, cuius proprie est reminiscibilitas, cum sit principium multorum prius memoratorum. Cum enim per memoriam fiat rerum apprehensio, quod easdem res prius fuerint in se, vel in sensibus aliis cognitae; patet, quod, si quis res totaliter est oblitus, non potest per memoriam recordari se esse oblitum; sed, si oblitus est in parte, tunc per id, quod remansit, potest reminisci se quandoque scivisse; unde per collationem reminiscentiae. potest etiam ad id, quod oblitus fuerat, redire cum illius adiutorio, quod remansit memoriae. Alia etiam est differentia inter memoriam et reminiscentiam; quia memoria, multa participant animalia, sed reminiscentia solius hominis est, quia reminiscentia est quaedam investigatio, quae sine ordinis ratione non est, ac sine deliberatione, per quae antecedens ordinatur ad consequens (1) ». Circa autem memoriae phoenomena, varia sunt notanda:

Primo, facilius ediscunt, facilius et obliviscuntur iuvenes. Contrarium his contingit, qui sunt provectioris aetatis. Fluidum enim habent cerebellum iuvenes, ac proinde facilius accipiunt, et facilius obliterantur. Inest hominibus maior cerebri firmitas, ideo difficiliter accipiunt, et tardius obliviscuntur.

Secundo, ideae similes, mutuisque respectibus devinctae,

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 40.

facilius memoriae inhaerent, quam dissimiles et disparatae. In primis enim est nexum, quod deficit in secundis.

Tertio, interdum perceptiones diu expectatae, postea iniussae, memoriae sese offerunt; spiritus enim animales prius agitati, superatis obicibus, profluunt in canales, quorum veluti ostium, antea nequidquam pulsaverant.

Quarto, novis scientiis adeptis, non raro delentur, quae prius fuerant acquisitae; et id oritur ex finita et limitata cerebri capacitate. Hinc, qui plurima amplecti student, in singulis parum proficiunt.

Quinto, aliquando propter percussionem violentam, aut vehementem cerebri commotionem, accidit, nos ita memoria deficere, ut omnino insaniamus. Omnia enim prorsus in cerebro invertuntur, permiscentur spiritus animales, novum sibi aperiunt iter; omnisque vestigiorum connexio interit in memoria.

CAPUT VII.

DE MODO COGNOSCENDI.

294. *Q.* Quot, et quaenam sint praecipua sisthemata excogitata, circa modum cognoscendi?

R. Circa modum cognoscendi, sisthemata excogitata quinque principalia sunt: nempe, sensismus, innatismus, transcendentalismus, traditionalismus, et psycologismus scholasticus, sive christianus. Sensismus est illud sisthema, in quo, origo totius cognitionis humanae, ex sensibus, tamquam ex unica fonte, repetitur. Hoc sisthema est absurdum, et ducit ad absurda; negat enim operationes intellectus, tum obiectivas, tum modales, et nullum ponit discrimen inter cognitionem hominis et belluarum, humanam dignitatem destruit, simul ac omnes scientias. Nam, sine principiis absolutis et universalibus, nullus sciendi modus esse potest. Innatismi sisthema est

illorum philosophorum, qui originem idearum ex eo explicant, quod anima, cognitionem habeat per ideas naturaliter sibi insitas. Et hoc sisthema est reiiciendum, quia repugnat animi humani naturae, et experientiae contradicit. Repugnat animi naturae, quia, ut iam demonstravimus, anima ope phantasmatum, ad cognitiones venit; et intelligere res, per earum species acceptas a Deo, simul cum intellectuali natura, proprium est Angelorum. Deinde falsus est innatismus, quia, hoc posito, nulla esset rerum cognitio, nisi in verbo; et tunc non differret cognitio viae a cognitione patriae: nec cognitio in verbo, a cognitione in proprio genere: nec cognitio scientiae a cognitione sapientiae: nec cognitio naturae a cognitione gratiae: nec cognitio rationis a cognitione revelationis; quae omnia, cum sint falsa, ut a nostro Philosopho notatur (1), nullo modo, innatismus est tenendus. Denique, innatismus est aliquid mere subiectivum; sed quod huiusmodi est, aliquid obiectivi nequit manifestare; proindeque nulla esset nostrae cognitionis realitas: dixi, nostrae, quia non esset in natura, sed immediate a Deo. Transcendentalismus est tertium sisthema, a Kant eiusque asseclis invectum, quo modus cognitionis ita adstruitur, ut mens ipsa dicatur sibi suae cognitionis obiecta construere. Sed et hoc sisthema est repugnans. Si enim mens esset unica causa cognitionis, omnia ei essentialiter inessent; sed hoc non est proprium nisi Dei; ergo mens non est effectrix suarum cognitionum. Insuper pugnat ex alio argumento; si enim res cognoscuntur, quia producuntur a mente, mens produceret incognitum; sed hoc implicat; nequit enim anima aliquid agere, nisi sciat quod agit. Ergo mens nequit esse effectrix suae cognitionis. Denique est falsum, quia omnes veritates negat, nullum ponit nexum inter cognitionem et externas realitates, imo subiectum cogitans meram apparentiam vocat. In hac doctrina, de Deo, de mundo, de

(1) *De ratione cognoscendi*, quaest. anecd. in concl.

homine actum est. Quid mirum, si idealismus, scepticismus, panteismus et rationalismus dicant unanimiter Kant: Ave, pater? Quartum sisthema est traditionalismi, quo affirmatur, omnem cognitionem, esse a traditione, tum per verba, tum per locutionem, communicatam; sed et hoc est absonum; quia vim rationis destruit, errorem reddit necessarium, suppositionibus nititur gratuitis, et loquelae necessitatem exaggerat. Quintum sisthema, quod nostri est sisthema christianum; et hoc ita ponit originem nostrae cognitionis; ut primo incipiat in sensu, secundo perficiatur in intellectu. Hoc sisthema verum est, ut perbelle explicat Doctor noster: « Res enim » aliter cognoscit Deus, aliter Angelus, aliter homo. Ipse quo» que homo, aliter per intellectum Deum cognoscit, et aliter » creaturas; intellectus enim divinus cognoscit res ex seipso, » intellectus autem Angeli cognoscit res per species sibi con» creatas, quae sunt similitudines rerum. Sed intellectus hu» manus cognoscit res per species abstractas a rebus parti» cularibus, per sensum prius cognitis. Unde sciendum, quod » sicut sensus cognoscit res, praesente obiecto, et sicut ima» ginatio cognoscit, absente obiecto, et tamen cum appendi» ciis materiae; ita intellectus cognoscit, sine appendiciis ma» teriae, sub intentione universali. Anima igitur, per intelle» ctum, aliqualiter cognoscit omnia et attingit. Cognoscit enim » Deum supra se, et seipsam in se, et Angelum iuxta se, et » quidquid coeli ambitu continetur, infra se. Quis sit autem » modus cognoscendi Deum, nota quod intellectus humanus » non cognoscit Deum per abstractionem, sicut alias res: et » hoc ideo, quia similitudo abstracta simplicior est illo, a quo » fit abstractio; Deo autem nihil simplicius est. Alia ratio est, » quia in abstractione oportet esse universale et particulare. » Particulare quidem, a quo fit abstractio; universale autem, » scilicet ipsum abstractum: sed nihil horum cadit in Deum. Co» gnoscitur igitur Deus naturali cognitione, quia intellectus » possibilis, ita informatus lumine intellectus agentis, quod est

» similitudo primae lucis, in hac similitudine cognoscit lumen
» primum, quod est Deus. Sciendum praeterea, quod per sen-
» sum cognoscimus particularia, sed per intellectum, univer-
» salia; et quando se intellectus convertit ad particulare, ut
» ipsum apprehendat, tunc similitudo, abstracta a particu-
» lari, erit universalis, et non particularis. Item nihil venit
» in intellectum, nisi per sensum, et hoc fit duobus modis,
» scilicet, vel simpliciter, vel per accidens. Simpliciter qui-
» dem, ut quando intelligimus sensibilia, prius per sensum
» apprehensa. Per accidens autem, quando intelligimus insen-
» sibilia per effectum. Notandum est etiam, quod aliud est,
» rem per cognitionem in intellectum venire, et aliud est, in
» re, iam intellecta, versari; quia tunc cognitio rerum per
» sensum venit in intellectum, sicut dictum est, sed cum in-
» tellectus rem iam apprehendit, tunc delectatur, et nego-
» tiatur in illa, etiam sine sensus adminiculo. Ad cognoscen-
» dum autem ista plenius, nota, utrumque verum esse, scili-
» cet, quod per particularia cognoscuntur universalia: et e
» contra, per universalia, cognoscuntur particularia. Istud sic
» patet, quia duplex est universale, unum scilicet, prout est
» abstractum, et aliud confusum, videlicet secundum quod est
» in particulari. Dicimus ergo, quod, ad cognitionem univer-
» salis abstracti, venimus per particularia; sicut in pueris, in
» quibus prius operatur sensitiva, quam intellectiva; quia prius
» cognoscunt particularia per sensum, et postea universalia
» per intellectum. Sic et philosophi invenerunt modum argu-
» mentandi, quia ex multis propositionibus particularibus, u-
» nam concluserunt universalem, hoc modo: Socrates est a-
» nimal, Plato est animal, Cicero est animal; ergo omnis homo
» est animal. E contrario est, in universali confuso: quoniam
» per tale universale, venimus in cognitionem particularium,
» sicut patet quando videmus hominem a remotis, tunc non
» cognoscimus nisi eius substantiam corpoream: sed postea,
» per motum, cernitur esse animal: dum vero magis appro-

» pinquat, cernitur esse homo; tandem cognoscitur esse Pe-
» trus. Nota, quod plura scire possumus, sed unum solum
» intelligere: quoniam scire, dicit habitum, per quem plura
» scimus: intelligere autem, dicit actum, qui non potest esse
» in intellectu duplicatus. Intellectus enim, ad unum solum se
» potest actualiter convertere; et hoc patet, quod quando quis
» agit duos actus rationis simul, uno tempore, unus est intel-
» lectus, et alius memoriae, sive consuetudinis..... Item nota,
» quod, ad intelligentiam rei, non requiritur praesentia rei
» intelligibilis: sed praesentia similitudinis eius tantum; quia
» res non cognoscitur per essentiam, sed per similitudinem
» tantum, et e converso; et inde est, quod intellectus appre-
» hendit remota, sicut propinqua...... Nota denique, quod a-
» nima, in actibus suis, ordinem habet: nam, quod sensus per-
» cipit, imaginatio repraesentat, cognitio format, ingenium
» investigat, ratio iudicat, memoria servat, intelligentia ap-
» prehendit, et ad contemplationem adducit (1) ».

295. *Q.* Utrum quaedam intuitio Dei, in statu viae, admitti possit in homine, ex divo Bonaventura?

R. Magister seraphicus intuitionem Dei, in statu viae, apertissime negat: sed admittit quamdam, cum Augustino, cointuitionem, ut ex hisce verbis, clarissime liquet: « Est tertius
» modus intelligendi,...... scilicet, quod ad certitudinalem co-
» gnitionem requiritur ratio aeterna, ut regulans, et ratio mo-
» tiva, non quidem ut sola, et in sua omnimoda claritate, sed
» cum ratione creata, et ut ex parte, a nobis *contuita*, secun-
» dum statum viae..... Quod autem mens nostra in certitudi-
» nali cognitione, aliquo modo, attingat illas regulas, et in-
» commutabiles rationes, requiritur necessario nobilitas co-
» gnitionis, et dignitas cognoscentis. Nobilitas, inquam, cogni-
» tionis, quia cognitio certitudinalis esse non potest, nisi sit
» ex parte scibilis immutabilitas, et infallibilitas ex parte
» scientis. Veritas autem creata non est immutabilis simpli-

(1) In *Comp, theol. verit.*, lib. 2, cap. 45 et 53.

» citer, sed ex conditione, sive suppositione; similiter neque
» lux creaturae est omnino infallibilis, ex propria virtute, cum
» utraque sit creata, et prodierit de non esse in esse. Si ergo
» ad plenam cognitionem, fiat recursus ad veritatem omnino
» immutabilem et stabilem, et ad lucem omnino infallibilem,
» necesse est, quod in huiusmodi cognitione recurratur ad ar-
» tem supernam, et ad lucem et veritatem; lucem, inquam,
» dantem infallibilitatem scienti, et veritatem, dantem immu-
» tabilitatem scibili. Unde cum res habeant esse in mente, et
» in proprio genere, et in aeterna arte, non sufficit ipsi ani-
» mae, ad certitudinalem scientiam, veritas rerum secundum
» quod esse habent in se, vel secundum quod esse habent in
» proprio genere, quia utrobique sunt mutabiles, nisi aliquo
» modo attingat eas, in quantum sunt in arte aeterna. Item,
» requiritur, ex parte scientis, dignitas. Cum enim spiritus
» rationalis habeat superiorem portionem rationis et inferio-
» rem, sicut ad plenum iudicium rationis deliberativum in
» agendis, non sufficit portio inferior, sine superiori; sic ad
» plenum rationis iudicium in speculandis, non sufficit seipsa
» superior, nisi aspiciat illas supernas leges. Haec autem por-
» tio superior, est illa, in qua est imago Dei, quae aeternis
» regulis inhaerescit, et per eas, quidquid definit, certitudi-
» naliter iudicat et definit, et hoc competit ei, in quantum
» est imago Dei. Creatura enim comparatur ad Deum in ra-
» tione vestigii, imaginis et similitudinis. In quantum vesti-
» gium. comparatur ad Deum, ut ad principium. In quan-
» tum imago, comparatur ad Deum, ut ad obiectum. In
» quantum similitudo, comparatur ad Deum, ut ad donum
» infusum. Et ideo omnis creatura est vestigium, quae est
» a Deo; omnis etiam imago, quae cognoscit Deum; omnis
» et sola est similitudo, in qua habitat Deus. Et secundum
» istum triplicem gradum comparationis, triplex est gra-
» dus cooperationis divinae. In opere, quod est a creatura
» per modum vestigii, cooperatur Deus per modum principii

» creativi; in opere vero, quod est a creatura per modum
» similitudinis, sicut est opus meritorium et Deo placitum,
» cooperatur Deus per modum doni infusi; in opere vero, quod
» est a creatura per modum imaginis, cooperatur Deus per
» modum rationis moventis, et tale est opus certitudinalis co-
» gnitionis, quod quidem non est a ratione inferiori, sine su-
» periori. Quoniam igitur certitudinalis cognitio competit spi-
» ritui rationali, in quantum imago Dei est, ideo, in hac co-
» gnitione aeternas rationes attingit. Sed quia in statu viae
» non est adhuc plene deiformis, ideo non attingit eas clare
» et distincte, sed secundum quod magis et minus: et cum
» deiformitatem attingit vel accedit, secundum hoc, magis,
» et minus eas attingit, semper tamen aliquo modo, quia
» nunquam potest ab eo ratio imaginis separari. Unde quia
» in statu innocentiae erat imago, sine deformitate culpae,
» nondum tamen habens plenam deiformitatem gloriae, ideo
» attingebat ex parte, sed non in aenigmate. In statu vero
» naturae lapsae caret deiformitate, et habet deformitatem;
» ideo attingit eas ex parte et in aenigmate. In statu vero
» gloriae caret omni deformitate, et habet plenam deiformi-
« tatem, ideo attingit eas plene et perspicue. Rursus, quia
» non ex se tota est anima imago, ideo cum his attingit re-
» rum similitudines abstractas a phantasmate, tamquam pro-
» prias et distinctas cognoscendi rationes, sine quibus non
» sufficit sibi ad cognoscendum lumen rationis aeternae, quam-
» diu est in statu viae, nisi forte per specialem revelationem
» hunc statum transcenderet, sicut in illis, qui rapiuntur, et
» in aliquorum revelationibus prophetarum. Concedendum est
» igitur..... quod in omni certitudinali cognitione, rationes illae
» cognoscendi, a cognoscente attinguntur, licet aliter a viatore,
» aliter a comprehendente, aliter a sciente, aliter a sapiente,
» aliter a prophetante, et aliter a communiter intelligente (1) ».

(1) D. Bonaventura, *De rat. cognosc.*, quaest. anecd. in concl. edit. Taurini ex typographia Eq. Petri Marietti, 1874.

296. *Q.* In quonam sistat divinae cooperationis effectus, ad certam veritatis cognitionem adipiscendam?

R. Divinae cooperationis effectus in eo sistit, ut verba usurpemus Fratris nostri Fidelis a Fanna: « quod ratio humana,
» per illam, res aliquo modo attingit, in quantum sunt in arte
» aeterna, seu rationes aeternas, aliquo modo attingit. Istius
» vero cooperationis suscipiendae capax est homo, quia i-
» mago Dei; ac potest ipse homo rationes aeternas aliquo
» modo attingere, quia ad Deum comparatur, ut ad obiectum
» suae mentis. Sed cooperatio Dei, uti ex vi nominis perci-
» pitur, operationem alterius exigit, nempe hominis; ac pro-
» pterea ad effectum certitudinalis cognitionis assequendum,
» ita concurrere necesse est, rationem aeternam cum ratione
» creata, ut propria et distincta causalitas utrique servetur.
» Per eum vero duplicis causae concursum, is tantummodo
» inter utramque nexus extat, qui creaturae rationali, in statu
» naturae lapsae, ac per gratiam nullam elevatae, competere
» potest. Hic porro nexus huiusmodi est, ut, licet mens hu-
» mana aliquo modo attingat rationes aeternas, nequeat ta-
» men eas attingere absque speciebus intelligibilium creato-
» rum, a phantasmate abstractis. Modus autem, quo rationes
» illas attingit mens humana, per peccatum Adae lapsa, non
» est plene et perspicue, sed ex parte et in aenigmate. Cau-
» salitas igitur utriusque rationis, ita se habet, ut ratio ae-
» terna sit regulans et movens, creata vero, attingens ratio-
» nes aeternas, per proprias et distinctas rationes cognoscendi,
» videlicet per similitudines intelligibilium, a phantasmate
» abstractas; ac propterea, medium, quo mens humana ra-
» tiones aeternas, ex parte et in aenigmate attingit, est sibi
» proprium et nativum, atque a lumine aeternae veritatis o-
» mnino seiunctum. Ex eo autem, quod rationes aeternas, non-
» nisi ex parte et in aenigmate attingere possumus, inferen-
» dum esse videtur, non posse, in statu praesentis vitae, plene
» et perspicue intelligi, quomodo intellectus noster, per spe-

» cies a phantasmate abstractas, rationes illas attingat. Si» quidem, ad id plene intelligendum et clare, oporteret eas » attingere plene et perspicue. Unde magis scimus, nos eas » aliquo modo attingere, quam quomodo per species creatas » attingamus. Sicuti etiam magis scimus, Deum concurrere » ad operari cuiusque creaturae, quam quomodo ipse con» currat, seu rationem intrinsecam eiusmodi concursus. Atque » ideo, neque percipi clare potest, quomodo Deus regulet ac » moveat rationem humanam ad effectum, una cum hac, cer» titudinalis cognitionis, producendum. Sunt enim certi fines » in rerum rationibus quaerendis, quos humani vis intellectus » praetergredi nequit (1) »; et illud Aligherii canere iuvat:

Però, là, onde vegna lo intelletto
Delle prime notizie, uomo non sape (2).

297. *Q.* Quotuplex sit lumen cognitionis humanae?

R. Licet omnis illuminatio interna fiat cognitione, possumus tamen cum Doctore Nostro « rationabiliter distinguere, ut di» camus, quod est lumen exterius, scilicet lumen artis me» chanicae; lumen inferius, scilicet lumen cognitionis sensitivae; » lumen interius, scilicet lumen cognitionis philosophicae; lu» men superius, scilicet lumen gratiae et Sacrae Scripturae. » Primum, illuminat respectu formae artificialis; secundum, » respectu formae naturalis; tertium, respectu veritatis intel» lectualis; quartum et ultimum, respectu veritatis salutaris. » Huius autem quadruplicis luminis, sex sunt differentiae; sci» licet, lumen Sacrae Scripturae, lumen cognitionis sensitivae, » lumen artis mechanicae, lumen philosophiae rationalis, lu» men philosophiae naturalis, et lumen philosophiae moralis. » Et ideo sex illuminationes sunt in vita ista, et habent ve» speram: quia omnis haec scientia destruetur. Et ideo suc-

(1) In *Praefat.* opusc. cit.

(2) Purg., c. XVIII, v. 55.

» cedit eis septima dies requietionis, quae vesperam non ha-
» bet, scilicet illuminatio gloriae. Unde valde aperte possunt
» reduci sex istae illuminationes ad senarium formationum
» sive illuminationum, in quibus factus est mundus, ut co-
» gnitio Sacrae Scripturae primae formationi, scilicet forma-
» tioni lucis respondeat: et sic deinceps per ordinem. Et sicut
» illae omnes ab una luce habebant originem, sic omnes istae
» cognitiones, ad cognitionem Sacrae Scripturae ordinantur,
» in ea clauduntur, et in illa perficiuntur; et mediante illa, ad
» aeternam illuminationem ordinantur (1) ».

298. *Q.* Quomodo reducatur cognitio sensitiva, ad lumen theologicum?

R. « Circa cognitionem sensibilium tria est considerare; vi-
» delicet, cognoscendi medium, cognoscendi exercitium, co-
» gnoscendi oblectamentum. Si consideremus medium cogno-
» scendi, intuebimur ibi Verbum aeternaliter generatum, et
» ex tempore incarnatum. Nullum enim sensibile, movet po-
» tentiam, nisi mediante similitudine, quae egreditur ab obie-
» cto, sicut proles a parente, et hoc generaliter, realiter et
» exemplariter, est necesse, esse in omni sensu. Illa autem si-
» militudo non facit completionem, in actu sentiendi, nisi unia-
» tur cum organo et virtute. Et cum unitur, nova fit perceptio,
» et per illam perceptionem fit reductio, mediante illa simi-
» litudine, in obiectum. Et licet non semper ita obiectum sen-
» tiatur, semper tamen quantum est de se, gignit similitudinem,
» cum est in sua completione. Per hunc etiam modum intel-
» ligo, quod a summa mente, quae cognoscibilis est in inte-
» rioribus sensibus mentis nostrae, aeternaliter emanavit si-
» militudo, imago et proles; et ille postmodum, quando venit
» plenitudo temporis, unitus est menti, et carni, idest homini
» quem formaverat, qui nunquam fuerat prius: et per illum,
» omnes mentes nostrae reducuntur in Deum, quae illam si-

(1) *De reductione artium ad Theologiam.*

» militudinem Patris per fidem, in corde suscipiunt. Si vero
» consideremus sensuum exercitium, intuebimur ibi ordinem
» vivendi; unusquique enim sensus se exercet, circa proprium
» obiectum, refugit sibi nocivum, et non usurpat alienum. Per
» hunc modum tunc sensus cordis, ordinate vivit, dum se ip-
» sum exercet ad id, ad quod est contra negligentiam; dum
» refugit sibi nocivum, contra concupiscentiam, et dum non
» usurpat sibi alienum, contra superbiam. Omnis enim inor-
» dinatio, aut venit ex negligentia, aut ex concupiscentia, aut
» ex superbia. Ille enim ordinate vivit, qui vivit prudenter,
» temperanter, et obtemperanter, ut refugiat negligentiam in
» operabilibus, concupiscentiam in appetibilibus, superbiam in
» excellentibus sive sublimibus. Si autem consideremus oble-
» ctamentum, intuebimur Dei, et animae unionem. Omnis enim
» sensus, suum sensibile conveniens, quaerit cum desiderio,
» invenit cum gaudio, repetit sine fastidio: quia non satiatur
» oculus visu, nec auris auditu impletur. Per hunc etiam mo-
» dum, sensus cordis nostri, sive pulchrum, sive consonum,
» sive odoriferum, sive dulce, sive muliebre, debet deside-
» ranter quaerere, gaudenter invenire, incessanter repetere.
» Ecce quomodo, in cognitione sensitiva continetur, occulte,
» divina sapientia; et quam mira est contemplatio quinque
» sensuum spiritualium, secundum conformitatem, ad sensus
» corporales ».

299 *Q.* Quomodo ars mechanica, ad theologiam revocetur?

R. « Circa artificialium productionem, tria possumus in-
» tueri, scilicet, Verbi generationem et incarnationem, vivendi
» ordinem, et Dei et animae foederationem. Et hoc si consi-
» deremus, scilicet egressum, effectum et fructum. Vel sic:
» artem operandi, qualitatem effecti artificii, et utilitatem
» fructus eliciti. Si consideremus egressum, videbimus, quod
» effectus artificialis, exit ab artifice, mediante similitudine
» existente in mente, per quam artifex excogitat antequam
» producat; et inde producit, sicut disposuit. Producit autem

» artifex exterius opus assimilatum exemplari interiori ea-
» tenus, quo potest melius. Et si talem effectum posset pro-
» ducere, qui ipsum amaret, et cognosceret, utique faceret. Et
» si effectus ille cognosceret suum opificem, hoc esset me-
» diante similitudine, secundum quam ab artifice processit.
» Et si haberet obtenebratos oculos cognitionis, ut non pos-
» set supra se elevari, necesse esset ad hoc, ut ad cognitio-
» nem sui opificis duceretur, quod similitudo per quam pro-
» ductus esset effectus, conscenderet usque ad illam naturam,
» quae ab eo posset capi et cognosci. Per hunc modum in-
» tellige, quod a Summo Opifice nulla creatura processit nisi
» per Verbum aeternum: in quo omnia disposuit, et per quod
» omnia produxit, non solum creaturas habentes rationem ve-
» stigii, sed etiam imaginis, ut eidem assimilari possint per
» cognitionem, et amorem. Et quoniam per peccatum ratio-
» nalis creatura, oculum contemplationis obnubilatum habuit,
» decentissimum fuit, ut aeternum, et invisibile fieret visibile,
» et assumeret carnem, ut nos ad Patrem reduceret. Et hoc
» est quod dicitur: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Et:
» Patrem nemo novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius reve-
» lare. Et ideo dicitur: Verbum caro factum. Considerantes
» igitur illuminationem artis mechanicae, quantum ad operis
» egressum, intuebimur ibi Verbum generatum et incarnatum,
» idest divinitatem, et humanitatem, et totius fidei integrita-
» tem. Si vero consideremus effectum, intuebimur vivendi
» ordinem. Omnis enim artifex intendit producere opus pul-
» chrum, et utile et stabile, et tunc est carum, et acceptabile
» opus, cum habet istas tres conditiones. Iuxta haec tria ne-
» cesse est reperiri tria in ordine vivendi, scilicet scire, velle,
» et impermutabiliter operari, sive perseveranter: Scientia
» reddit opus pulchrum, voluntas reddit utile, perseverantia
» reddit stabile. Primum est in rationali, secundum in con-
» cupiscibili, tertium in irascibili. Si consideremus fructum,
» inveniemus Dei, et animae unionem. Omnis enim artifex,

» qui aliquod opus facit, aut facit, ut per illud laudetur;
» aut, ut per illud aliquid sibi operetur, vel lucretur; aut,
» ut in illo delectetur, secundum tria, quae sunt in appeti-
» bilibus, scilicet bonum honestum, conferens, et delectabile.
» Propter haec tria, fecit Deus animam rationalem, ut ipsa
» eum laudaret, et ut ipsa illi serviret, et ut ipsa in eo de-
» lectaretur, et quiesceret Et hoc est per charitatem, in qua
» qui manet, in Deo manet, et Deus in eo, ita quod est ibi,
» quaedam mirabilis unio, et in unione, mirabilis delectatio.
» Quoniam ipse loquitur: Deliciae meae esse cum filiis hominum.
» Ecce quomodo illuminatio artis maechanicae via est ad illu-
» minationem Sacrae Scripturae, et nihil est in ea, quod non
» praedicet veram sapientiam. Et ideo Sacra Scriptura, fre-
» quenter talibus similitudinibus, utitur satis recte ».

300. *Q.* Quomodo philosophia rationalis, theologiam praedicet?

R. Theologia reperitur, « in illuminatione rationalis phi-
» losophiae, cuius principalis intentio versatur circa sermo-
» nem. In quo est tria considerare, secundum triplicem ipsius
» sermonis considerationem, scilicet, respectu proferentis; ra-
» tione prolationis, et respectu audientis, sive ratione finis.
» Si sermonem consideremus in respectu ad loquentem, sic vi-
» debimus, quomodo omnis sermo significat mentis conceptum;
» et ille conceptus interior est verbum mentis, et eius pro-
» les, quae nota est etiam ipsi concipienti. Sed ad hoc quod
» fiat nota audienti, induit formam vocis, et verbum intelli-
» gibile, mediante illo indumento fit sensibile, et auditur ex-
» terius, et suscipitur in aure cordis audientis, et tamen non
» recedit a mente proferentis. Iuxta hunc modum, videmus in
» Verbo aeterno, quod Pater aeternaliter ipsum concepit ge-
» nerando, secundum illud; nondum erant abyssi, et ego iam
» concepta eram. Sed ad hoc, quod homini sensibili fieret co-
» gnoscibile, induit formam carnis, et Verbum caro factum
» est, et habitavit in nobis, et tamen remansit in sinu Pa-

» tris. Si vero consideremus sermonem ratione sui, sic intue-
» bimur in eo vivendi ordinem. Ad complementum enim ser-
» monis, necessario ista tria concurrunt, scilicet congruitas,
» veritas, et ornatus. Et iuxta haec tria, omnis actio nostra
» debet habere, modum, speciem et ordinem: ut sit modificata,
» per modestiam, in exteriori opere; speciosa, per munditiam
» in affectione: ordinata et ornata, per rectitudinem, in in-
» tentione. Tunc enim recte, et ordinate vivitur, cum intentio
» recta, affectio munda et operatio medesta. Si vero conside-
» remus sermonem ratione finis, sic est, ad exprimendum, ad
» erudiendum et ad movendum; sed nunquam exprimit ali-
» quis, nisi mediante specie, nunquam docet, nisi mediante
» lumine arguente: nunquam movet, nisi mediante virtute. Et
» sic constat, quod hoc non sit, nisi per speciem, et lumen et
» virtutem intrinsecam, intrinsecus animae unitam. Et ideo,
» concludit Augustinus, quod ille solus est verus doctor, qui
» potest speciem imprimere, et lumen infundere, et virtutem
» dare cordi audientis. Et hinc est, quod cathedram habet in
» coelo, qui intus corda docet. Sicut ergo nihil cognoscitur,
» per sermonem, perfecte, nisi mediante virtute, lumine et
» specie unitis animae; sic, ad hoc quod anima erudiatur ad
» Dei cognitionem, per ipsius internam locutionem, necesse
» est quod uniatur ei qui, est splendor gloriae, et figura sub-
» stantiae eius, portans omnia, verbo virtutis suae. Ex quo
» patet, quam mira est haec contemplatio, per quam Augu-
» stinus, in multis libris, manuducit ad divinam sapientiam ».

301. *Q.* Quomodo philosophia naturalis, theologiam enunciet?

R. Theologia reperitur, « in illuminatione naturalis philo-
» sophiae, cuius principalis intentio, versatur circa rationes
» formales, in materia, in anima, et in divina sapientia. Quas
» tripliciter contingit considerare, scilicet secundum habitu-
» dinem proportionis, secundum effectum causalitatis, et se-
» cundum medium unionis. Et secundum haec tria, est repe-

» rire tria praemissa. Si consideremus eas, secundum habi-
» tudinem proportionis, videbimus in eis Verbum aeternum,
» et Verbum incarnatum. Rationes intellectuales et abstra-
» ctae, quasi mediae sunt, inter seminales et ideales. Sed ra-
» tiones seminales non possunt esse in materia, quin sit in
» ea generatio, et productio formae. Similiter vero in anima,
» non sunt rationes intellectuales, quin sit generatio verbi in
» mente; ergo nec idealis in Deo, quin sit productio Verbi a
» Patre, secundum rectam proportionem; hoc enim est digni-
» tatis: et, si convenit creaturae, multo fortius inferri potest
» de Creatore. Propter quod dixit Augustinus, quod Filius
» Dei est ars Patris. Rursus; appetitus, qui est in materia, or-
» dinatur ad rationes intellectuales, ut nullo modo perfecta
» sit generatio, nisi anima rationalis uniatur materiae cor-
» porali. Per consimilem igitur rationem, potest argui, quod
» summa perfectio et nobilissima, esse non potest, nisi natura,
» in qua sunt rationes seminales, et natura, in qua sunt ra-
» tiones intellectuales, et natura, in qua sunt rationes idea-
» les, simul concurrant, in unitatem personae, quod factum
» est, in Filii Dei incarnatione. Praedicat igitur tota naturalis
» philosophia, per habitudinem proportionis, Dei Verbum na-
» tum et incarnatum, ut idem sit Alpha et Omèga, natum sci-
» licet, in principio et ante tempora, incarnatum vero, in fine
» saeculorum. Si vero consideremus rationes istas, secundum
» effectus causalitatis, perpendimus ordinem vivendi, quo-
» niam generatio, non potest fieri, in materia generabili, et
» corruptibili, secundum rationes seminales, nisi beneficio lu-
» minis corporum supercoelestium, quae elongantur a gene-
» ratione et corruptione, scilicet a sole, luna et stellis. Per
» hunc etiam modum, anima non potest opera vitae facere,
» nisi suscipiat a sole, idest a Christo, gratuiti luminis benefi-
» cium, et nisi consequatur ipsius lunae, idest Virginis Mariae
» Matris Christi, patrocinium, et nisi imitetur aliorum San-
» ctorum exempla, ex quorum concursu, congregetur in ipsa

» opus unum atque perfectum. Unde, ordo vivendi pendet in » his tribus. Si autem consideremus istas rationes, secundum » unionis medium, intelligemus, per quem modum, fiat unio a- » nimae ad Deum. Nam, natura corporalis animae non potest » uniri, nisi mediante humore, mediante spiritu, et mediante » calore, quae tria disponunt carnem, ut vitam suscipiat ab » anima. Secundum hoc etiam, intelligitur, quod Deus non » praestat vitam animae, nec ei etiam unitur, nisi sit humida, » per gemitum compunctionis et pietalis; et nisi sit spiritualis, » per contemptum omnis terrenitatis, et nisi sit calida, per » desiderium ipsius dilecti, et patriae coelestis. Ecce qualiter, » in philosophia naturaliter, latet sapientia Dei ».

302. *Q*. Quomodo philosophia moralis ad theologiam ducat?

R. Lumen Sacrae Scripturae reperitur « in illuminatione » philosophiae moralis. Quoniam intentio moralis philosophiae, » principaliter versatur circa rectitudinem; versatur enim, » circa iustitiam generalem, quae, ut dicit Anselmus, est re- » ctitudo voluntatis. Rectum autem, habet tripliciter notifi- » cari, et secundum hoc, tria praemissa relucent, in conside- » ratione rectitudinis. Uno modo, dicitur rectum, cuius medium, » non exit ab extremis. Si ergo in Deo, est summa rectitudo, » et secundum se, et in quantum est principium, et in quan- » tum est finis omnium; necesse est, in Deo ponere, mediam » personam, secundum se, ut una sit tantum producens, alia » tantum producta, media vero, producens et producta. Ne- » cesse est etiam, ponere medium, in egressu et regressu re- » rum; sed medium in egressu, est necesse, quod plus teneat » se a parte producentis; medium vero in regressu, plus a » parte redeuntis. Sicut ergo, res exierunt a Deo, per Verbum » Dei; sic, ad completum reditum, necesse est, mediatorem Dei » et hominum non tantum Deum esse, sed etiam hominem, » ut homines reducat ad Deum. Alio modo, dicitur rectum » quod dirigenti se, conformatur. Et secundum hoc, in consi- » deratione rectitudinis, conspicitur ordo vivendi. Ille enim

» recte vivit, qui dirigitur, secundum regulas iuris divini. Et » hoc est, quando voluntas hominis assentit praeceptis neces- » sariis, monitis salutiferis, consiliis perfectis, ut probet homo, » quae sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Et » tunc, rectus ordo vivendi dicitur, in quo nulla obliquitas po- » test reperiri. Tertio modo, dicitur rectum, cuius summitas, » est sursum erecta, sicut homo habet staturam rectam. Et » secundum hoc, in consideratione rectitudinis, manifestatur » Dei, et animae unio. Cum enim Deus sit sursum, necesse est, » quod apex ipsius mentis sursum erigatur. Hoc autem est, » cum rationalis assentit primae veritati, propter se, et su- » per omnia; cum irascibilis innititur summae largitati, et » cum concupiscibilis adhaeret bonitati: tunc, qui hoc modo ad- » haeret, unus spiritus, est cum Deo. Et sic patet, quomodo » multiformis sapientia Dei, quae lucide traditur in Sacra » Scriptura, occultatur in omni cognitione, et in omni natura. » Patet etiam, quomodo omnes cognitiones famulantur theo- » logiae. Et ideo, ipsa assumit exempla, et utitur vocabulis » pertinentibus ad omne genus cognitionis. Patet etiam, quam » ampla sit via illuminativa, et quomodo in re quae sentitur, » sive quae cognoscitur, interius, lateat ipse Deus. Et hic est, » fructus omnium scientiarum, ut in omnibus, aedificetur fides, » honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur conso- » lationes, quae sunt in unione sponsi, et sponsae. Quae qui- » dem unio, fit per charitatem, ad quam terminatur tota in- » tentio Sacrae Scripturae; et per consequens, omnis illumi- » natio desursum descendens, et sine qua, omnis cognitio » vana est: quia numquam pervenitur ad Filium, nisi per Spi- » ritum Sanctum, qui docet nos, omnem veritatem, qui est be- » nedictus in saecula saeculorum. Amen (1) ».

303. *Q.* Utrum doctrina Magistri Seraphici, de origine idea- rum, sit nobilis et vera?

(1) *De reduct. art. ad Theol.*

R. Doctrina Divi Bonaventurae, de origine idearum, nobilis est, et vera. Refugit enim ab idealismo, nec sensistis favet, et veritati supernaturali revelationis divinae per maxime convenit. Etenim, hoc in sisthemate, cognitio nostra fit, per quamdam ascensionem; cognitum enim obiectum trascendimus; conditiones individuantes certo modo perdit, et noster mentis actus fit simplex, spiritualis, se se extendit, et fulguris instar, transvolat, super materiam, super sensibilia, super intentiones, super Angelos ipsos, usque ad Deum. Impressio obiecti generat sensationem, sensatio in imaginem transit, imago fit idea, et, per ideam, cum Angelis universaliter prospicimus, et per universalia, cum Deo, certo modo, comunicamus. Sic, a sensatione ad comprehensionem, a materia ad spiritum, a finito ad infinitum, a particulari ad universale, ictu oculi, gradum facimus; et lex harmoniae universalis enitescit, qua infimum summi, summo infimi, infimum intelligibilis, summo sensibilis, et infimum sensibilis, summo materialis copulatur. Lex gradationum, qua tum essendo tum operando, omnia constituuntur, in quonam sisthemate, quam in Bonaventuriano, melius prospicitur? Et hoc est omnis philosophiae optimum. Nec minus religioni haec doctrina congruit. Modus enim cognoscendi, a Seraphico evolutus, non minus, super verba philosophica quam super catholica fundatur: « Verum enim est, quod substantiae » intellectuales, eo ipso, quod intellectuales substantiae, lu- » mina sunt: ergo, perfectio et complementum substantiae in- » tellectualis lux est spiritualis; igitur, illa potentia, quae con- » sequitur animam, ex parte intellectus sui, quoddam lumen » est in ipsa; de quo lumine, potest intelligi illud Psalmi: Si- » gnatum est super nos, lumen vultus tui Domine. Et hoc lu- » men videtur Philosophus intellexisse, esse intellectum agen- » tem: dicit enim quod illo intellectus, quo est omnia facere, » est sicut habitus quidam, ut lumen; quodam enim modo, » lumen facit colores potentia, actu colores. Huius autem si- » mile, potest poni in oculo cati, qui, non solum, habet po-

» tentiam suscipiendi in se speciem, per naturam perspicui, sicut » alii, sed etiam, potentiam faciendi in se speciem, per naturam » luminis sibi inditi (1) ». Hoc idem eruitur ex praxi Ecclesiae, quae spiritualia, sensilia reddit, ad nos edocendos. Unde Aligherius:

Così parlar conviensi al vostro ingegno,
  Perocchè, solo da sensato apprende
  Ciò, che fa poscia d'intelletto degno.
Per questo, la Scrittura condescende
  A vostra facultate, e piedi e mano
  Attribuisce a Dio, ed altro intende;
E Santa Chiesa, con aspetto umano,
  Gabrielle e Michel vi rappresenta,
  E l'altro, che Tobia rifece sano (2).

Neque dicas, a Nostro Duce « poni inter intellectum, et ideas quaedam intermedia, quae absolute repugnant. Nam, neque Divus Bonaventura, neque D. Thomas, neque ullus sanae scholasticae sectator, intermedia aliqua posuit; sed tantum lumina, sive media, quibus mens ad veritatem, transcendit. Luce enim corporea, quasi, per speculum, cognoscimus Deum in creaturis. Luce incorporea, in intentionibus, in rationibus aeternis ordinis naturalis. Luce fidei, in mysteriis supernaturalibus. Luce gloriae, in sua essentia, videbimus sicuti est. Sicut enim lux gloriae, non est similitudo Dei, sed medium ad cognoscendum; sicut lux fidei, non est veritas fidei, sed medium, quo credimus; sicut lux corporea, non est phantasma, nec corporis imago sed medium, quo oculus sibi efformat phantasmata; ita, lux intellectualis non est idea, sed medium, quo producuntur ideae. Sic, Bonaventurianum de ideis sisthema, convenit omnibus scientiis, omnibus animae statibus, tum tempori, tum aeternitati. En Magistri doctrina: doctrina, qua nihil profundius,

(1) II Sent., dist. 24, par. 1, art. 2, q. 4.
(2) Parad. c. IV, v. 39.

nihil nobilius, nihil accuratius, nihil clarius; eo ipso, quod est sola vera, sola rationalis, sola simplex, sola naturalis, sola christiana. Aliorum philosophorum doctrinae, ad hanc quid sunt, nisi somniantium deliramenta?

CAPUT VIII.

DE NATURA CONCEPTUUM UNIVERSALIUM.

304. *Q.* Quot sint, circa naturam universalium, opiniones?

R. Opiniones, circa naturam universalium, tres praecipue adnumerantur: idest, nominalismus, conceptualismus, et realismus, prout universalitas, vel in vocibus, vel in conceptibus, vel in rebus, reponitur.

305. *Q.* Quid sit nominalismus, et quomodo diffletur?

R. Nominalismus, a Rochellino et Guillelmo Ockamo invectus, est illa opinio, qua contenditur, universalia non esse, nisi in vocibus. Hinc, nulla universalitas, nec in ideis, nec in rebus; hinc, nullum universale metaphysicum, nullum logicum. Haec opinio valde absurda est, quia, si meris signis universalia continerentur, essent signa et non signa: signa, quia aliquid denotant; non signa, quia nihilum dicunt. Absurda est etiam, quia, si merae voces, sine re, essent universalia, tunc nulla esset cognitio. Cognitio enim realiter supponit commune, et universale.

306. *Q.* Quid sit conceptualismus, et, quibus argumentis, refellatur?

R. Conceptualismus, ab Abeillardo strenue defensus, est illa doctrina, qua admittuntur universalia, non solum in vocabulis, sed etiam in ideis, ast nullimode in rebus. Sed, et hoc sithema dissonat; quia, si conceptus universales fulcimentum non haberent in rebus, conceptus, non essent signa rerum; dissonat, quia idealismo favet, et propositio: Syrus est homo,

significaret: Syrus est idea hominis. Dissonat denique, quia scientias reales destruit; scientiae enim sunt de universalibus.

307. *Q.* Quid sit realismus, et quibus rationibus, eius falsitas evincatur?

R. Realismus est philosophorum opinio, quae arbitratur, universalia, prout universalia, extra mentem nostram, actu inveniri. Haec opinio, diverse a diversis explanatur. Plato enim docuit, universalia esse ideas, non solum a mente nostra, sed etiam a rebus, separatas. Reales autem mediae aetatis, universalia, non quidem in seipsis, sed in rebus singularibus, existere docuerunt, ita tamen, ut propria existentia gaudeant, a rebus singularibus, realiter distincta. Sed et hoc sisthema patentibus scatet absurdis. Absurdum enim est, aliquid esse simul universale et particulare. Absurdum est, quia, si natura, secundum se, esset universalis, Cyrillus non esset homo, sed humanitas. Absurdum denique est, quia complanat viam ad panteismum: universalia enim, a parte rei, omnia confundit in unum, et tribuit omnibus aliquid realiter commune individuis existentibus, quod est panteismi maximum constitutivum.

308. *Q.* Quaenam sit vera sententia, circa universalium naturam?

R. Universalia, formae, vel ideae, a nostro Magistro, considerantur triplici modo: vel in Deo, vel in rebus, vel in mente humana. « Ideae rerum, et exemplar, et rationes, sic in Deo » sunt, quod idea importat causam efficientem, conformem » effectui, sed exemplar causam formalem, ratio vero cau- » sam finalem. Deus enim, omnium rerum est principium, a » quo sunt; forma et exemplar, ad cuius imitationem sunt; » et finis, ad quem sunt. Haec tria, sic a se differunt, quod » exemplar unum est; quia exemplar connotat causalitatem: » causata vero in causa sunt unum; sed rationes et ideae » sunt plures: quia ista respectu rerum dicuntur. Sunt itaque » plures ideae, quae connotant cognitionem. Cognoscibilia au-

» tem distinguuntur in cognoscente. Similiter et rationes in » Deo plures sunt; quia singula causata sunt, propriis ratio- » nibus. Absurdum enim est dicere, ut ait Augustinus, equum » creatum esse, ea ratione, qua hominem...... Item, ideae sunt, » ut dicit Augustinus, formae principales rerum, quae divina » intelligentia continentur. Dicendum est igitur, quod, sicut » in mente artificis, prius est forma rei, quam opus exeat, » sic ideae rerum, ante mundi constitutionem, in mente Crea- » toris erant. Non enim aliquid, extra se, aspiciebat, secundum » quod mundum faceret. Ex hoc patet, quod omnis creatura, » prius in Deo existit, quam in seipsa; unde cum ab ipso, per » creationem, processit, ab ipso, quodam modo, distare coepit: » unde, rationalis creatura ad ipsum redire debet, cui primo » coniuncta fuit antequam esset...... Idea igitur, moraliter lo- » quendo, multipliciter est in Deo, scilicet, sicut ramus in ar- » bore, apis in flore, navis in littore, sexus in thalamo, the- » saurus in agro, scriptura in libro, avicula in nido, piscis in » rivo, quaelibet res in sibi proprio, stella in firmamento, i- » mago in speculo, cera in sigillo, gemma in auro, mel in » favo (1) ».

In rebus autem, universale habet aliquid obiectivi, quia, natura, in idea universali, concipitur; nam, si in natura aliquid non esset universalis, nihil haberemus, nec possibile foret, cunctas res singulares, in quaedam genera et species, digerere; et hoc confirmatur ex eo, quod, si aliquid universalis obiectivi non esset, nulla esset scientia obiectiva. Universalia denique in anima, veniunt in actu, per intellectum. Universales enim notiones fiunt, per abstractionem et reflexionem; sed abstractio et reflexio sunt ex intellectu; ergo universalia fundamentaliter in rebus, in actu veniunt, ex solo intellectu. Et hic realismus temperatus dicitur, de quo, verba Magistri sunt praecipue notanda. Scribit enim: « Aliqui dicunt, quod uni-

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. I, cap. 25.

» versale, nihil est, nisi in anima. Plato posuit, quod solum in
» Deo; alii, quod solum in anima. Isti nimis abstrahunt. Dico,
» quod est universale, unum ad multa, unum in multis, unum
» praeter multa. Unum ad multa, est in potentia materiae,
» quod non est completum; unum in multis partibus, et unum
» praeter multa, in anima; unum autem ad multa, et unum
» in multis, et unum praeter multa, in arte aeterna sunt. Per
» illam enim artem et rationem, consistit in re; planum est
» enim, quod duo homines assimilantur, et non homo et asi-
» nus. Ergo necesse est, ut illa similitudo fundetur et stabi-
» liatur, in aliqua forma stabili: non quae est in altero, quia
» illa particularis est; ergo in aliquo universali. Ratio autem
» universalis, non est tota in anima, sed in re, secundum pro-
» cessum generis ad speciem; ut, conveniemus primo in sub-
» stantia: ut in generalissimo. Deinde in aliis, usque ad for-
» mam hominis ultimatam (1) ».

CAPUT IX.

DE FACULTATE LOCOMOTIVA.

309. *Q.* Quid sit facultas locomotiva?

R. Est facultas organica, qua, anima movet corpus, de loco in locum. Dico *facultas,* sive vis, quia motus locales, sunt motus vitae, et vivens debet esse principium, a quo promanant. Sed corpus, ut corpus, non est principium vivens; ergo est facultas, sive vis vivens. Dico *organica*, nam anima movens corpus, de loco in locum, aliquid agit extra se; sed, extra se, non potest agere, nisi mediante organo; ergo est facultas organica. Dico tertio, *qua anima*, quia principium vitae debet esse illud, per quod aliquid est vivens; sed hoc non est nisi

(1) In *Hexaem.* serm. 4.

anima; ergo anima est fons motus, in rebus animatis. Dico, *movet de loco in locum*; et, per haec verba, distinguo hanc potentiam, a potentiis organicis, tum vegetantibus, tum sensitivis. Etenim motus de uno in alium locum, nonnisi ab animali, fieri potest.

310. *Q.* Quotuplex sit potentia motiva?

R. Teste nostro Doctore, haec facultas « movet quandoque » spiritualiter, quandoque corporaliter. Primo modo, dicitur » appetitiva, quae movet dupliciter: aut diligendo, aut o- » diendo: et dividitur in concupiscibilem, et irascibilem; per » quas appetit anima, bonum, vel insurgit contra malum. Ab » his vero duabus, scilicet irascibili et concupiscibili, oriuntur » quatuor affectiones, scilicet, gaudium, spes, dolor, et timor. » Nam si praesens est, quod concupiscimus, gaudemus; si ab- » sens est, speramus. Similiter, si praesens est, de quo ira- » scimur, dolemus; si absens est, timemus. Sensualitas autem, » est vis animae sensibilis motivae; et ad idem movet, ad » quod concupiscibilis et irascibilis. Sensualitas enim, appetit » quae delectabilia sunt corpori, ac nociva refugit. Differt ta- » men sensualitas a concupiscibili et irascibili; quia, sensua- » litas, magis coniungitur corpori: et sicut in brutis, ita in » homine, nulla lege perstringitur, quin semper, in appetitus » rerum, ad corpus pertinentium, moveatur. Sed concupisci- » bilis et irascibilis coniunguntur rationi; et prout sunt in ho- » mine, frenantur ratione, ac reguntur in ipsis. Est enim tem- » perantia in concupiscibili, fortitudo in irascibili, et sic de » aliis. Secundum quod, vis motiva sensibilis movet corpora- » liter; sic dividitur in virtutem naturalem, vitalem et ani- » malem..... Virtus naturalis, est motiva humorum. Vitalis, mo- » tiva pulsuum. Animalis, motiva membrorum. Dicimus ergo » quod, virtus naturalis, est motiva humorum, mediantibus ar- » teriis et venis, quae radicantur in hepate, secundum Gale- » num: sed secundum Aristotelem, radicantur in corde, et hoc » per spiritum naturalem. Est autem spiritus naturalis sub-

» stantia subtilis, et aërea, vi caloris, in corde generata. Haec,
» sanguinem ad singula membra impellit, ex quo corpus ve-
» getatur. Virtus vitalis est motiva pulsuum, mediantibus ar-
» teriis, quae radicantur in corde. Spiritus autem vitalis est
» idem, qui et naturalis. Idem dico in substantia, sed differens
» in virtute; hic, per arterias, ad membra corporis se diffun-
» dens, vivificat ipsum corpus, tamquam instrumentum. Virtus
» animalis est motiva membrorum, mediantibus nervis, qui
» radicantur capite, et hoc, per spiritum animalem. Est autem
» spiritus animalis idem, qui et naturalis et vitalis; sed ani-
» malis dicitur cum ad cerebrum devenerit. Hic coeteris sub-
» tilior, per nervos, ad organa sentiendi dirigitur, ut sensus
» et motus, secundum locum exinde generetur in corpore a-
» nimalis (1) ».

311. *Q.* Circa vires motivas, quid sit speciatim notandum?

R. Sciendum est, ex nostro Magistro, « quod, cum virtutes
» animales intenduntur, tunc naturales remittuntur; propter
» hoc, in homine dedito studio vel meditationibus, minus ope-
» ratur virtus nutritiva, et generativa, et augmentativa. Unde
» ait Hieronymus: Ama scientiam Scripturarum, et carnis vi-
» tia non amabis. Praeterea, quando virtutes animales remit-
» tuntur, naturales intenduntur; sicut patet in somno, qui de-
» scribitur, esse quies virtutum animalium, cum intentione na-
» turalium (2) ».

CAPUT X.

DE VOLITIONE.

312. *Q.* Quid sit volitio, et quomodo dividatur?

R. Nomine volitionis, intelligitur vis motiva animae rationalis circa aliquid. Accipi etiam potest, pro illo motu, quo

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 41.

(2) Loc. cit.

vis animae versatur circa bonum aliquid, sive sit medium, sive sit finis. Hoc secundo modo, a nobis assumitur; et volitio definitur, ille actus animae rationalis, qui procedit a voluntate cum cognitione finis; vel melius, cum Augustino, est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum (1). Haec autem vis volitiva dividitur a Duce nostro « in imperativam, et consiliatricem, et affectivam; et » affectivam et consiliatricem simul. Vis imperativa dividitur » in liberum arbitrium, et synderesim. Consiliatrix, est ipsa » ratio, quae dividitur in partem superiorem, et inferiorem. » Vis autem affectiva, est voluntas, quae dividitur in θὲλησιν, » καὶ βοὶλησιν, (idest naturalem, et deliberativam). Vis, quae » simul et consiliatrix est et affectiva, est ipse intellectus » practicus (2) ».

313. *Q.* Utrum voluntas distinguatur a ratione?

R. Ratio et voluntas, sive intellectus et affectus, sunt diversae potentiae; et ratio nostri Philosophi est, « quia cuiuslibet potentiae, unius est unum primum actum assignare; » sed actus complectens totam intelligentiam, est intelligere, » actus vero complectens totam affectivam, est affici; ergo, » si actus primi et proprii istarum potentiarum, sunt diversi » essentialiter, videtur similiter, quod et ipsae potentiae...... » Item a natura creaturae est, quod, cum vigoratur actus u- » nius potentiae, minoratur actus alterius, propter hoc, quod » potentiae radicantur in eadem substantia; ergo multo for- » tius actus unius potentiae intensus, remittit alterum actum » eiusdem potentiae. Ergo, si ratio et voluntas essent eadem » potentia, cum intenderetur cognitio, minueretur affectio; » ergo quanto clarius Deum videremus, tanto minus amare- » mus; quod si omnino falsum est, restat, ut ratio et voluntas » sint distinctae. Item, ubicumque lux et calor sunt forma-

(1) *De duabus animis*, cap. 10.

(2) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 49.

» liter, differunt essentialiter, sicut patet in igne; ergo pari » ratione, ubicumque potentia cognoscendi et amandi for» maliter reperiuntur in creatura, essentialiter distinguuntur; » sed sic reperiuntur in anima; ergo etc. (1) ».

314. *Q.* Utrum voluntas, proprie et stricte, sit tantummodo rationalium?

R. Voluntas, proprie et stricte, tantummodo rationabilium est; et ratio Doctoris nostri claret, « quia, cum intellectus ap» prehendit aliquid, ut bonum, voluntas imperat viribus affi» xis ipsis organis, sicut visui ad videndum, auditui ad au» diendum, et sic de aliis sensibus. Similiter, in motu locali, » voluntas imperat virtuti animali, quae est in nervis et in » musculis, et ita movet ad ambulandum, vel currendum, et » ad huiusmodi similia. Sed fallit istud, in potentiis animae » vegetalis, in quibus, voluntas suum imperium non exercet. » Nutritiva enim, et generativa, et augmentativa, non secun» dum nostrum arbitrium, sed naturaliter operantur..... Fallit » in brutis haec voluntas; deficientia enim intellectu et li» bertate, habent desiderium, non voluntatem: habent appe» titum, non voluntarium; volunt delectabile, non honestum; » proprie ergo et stricte, voluntas tantummodo rationabilium » est (2) ». Unde florentinus Poeta canebat:

Lo maggior don, che Dio per sua larghezza
Fêsse, creando, e alla sua bontate
Più conformato, e quel ch' ei più apprezza,
Fu della volontà la libertate,
Di che le creature intelligenti,
E tutte, e sole, furo e son dotate (3).

315. *Q.* Utrum voluntas sit libera?

R. « Inter potentias nulla est liberior, quam voluntas; quia

(1) II. Sent. dist. 24, art. 2, q. 1 in fundam.

(2) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 50.

(3) Parad., cant. V, v. 21.

» nec obligatur organo, sicut imaginatio, aestimatio et huius-
» modi: nec cogitur a bono, sicut intellectus cogitur a vero.
» Vires etiam affixae organis, immutantur necessario, immutato
» organo, quibus omnibus voluntas caret. Unde ait Augusti-
» nus: nihil adeo in nostra potestate est, sicut voluntas. Si autem
» scire volueris, quare voluntas non cogitur a bono, sicut in-
» tellectus a vero: haec est ratio; quia citra primum bonum,
» nihil est ita bonum, quod non aliquid imperfectionis habeat;
» sed aliquid ita verum est, quod nihil falsitatis habet: ut
» patet in hac propositione: quodlibet totum maius est sua
» parte. Unde, tali vero, cogitur intellectus assentiri, sed vo-
» luntas, nulli bono creato cogitur adhaerere. Item, voluntas
» videtur interdum cogi, per inordinatum appetitum, prout
» voluntas, quandoque trahit hominem, et allicit, ut bonum
» spernat incommutabile, et rebus mutabilibus adhaereat. Sed
» in huiusmodi coactione, libertas quaedam est. Unde Augu-
» stinus: Omne peccatum adeo est voluntarium, quod, si non
» est voluntarium, non est peccatum (1) ». Denique hanc libertatem cantant, et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et doctis in bibliothecis, et magistri in scholis, et in orbe terrarum, genus humanum. Concludendum est igitur cum Aligherio:

Color che ragionando andaro al fondo,
S' accorser d' esta innata libertate;
Però moralità lasciaro al mondo (2).

316. *Q.* Quid sit liberum arbitrium, et quot modis consideretur?

R. Liberum arbitrium a Magistro definitur « facultas ra-
» tionis et voluntatis, consurgens ex deliberatione praeambula,
» et voluntate adiuncta (3), et tripliciter consideratur, sci-

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, c. 50.
(2) *Purg.*, c. XVIII, v. 67.
(3) In *Declarat. term. theol.*

» licet, aut in sui generalitate, secundum quod convenit crea-
» turae et Creatori; et sic definitur ab Anselmo, cum dicitur;
» liberum arbitrium, est potestas servandi rectitudinem, pro-
» pter seipsam. Aut, secundum esse, quod habet in creatura,
» non concernendo statum; et sic est definitio illa Bernardi:
» liberum arbitrium est consensus, ob voluntatis inammissibi-
» lem libertatem, et rationis indeclinabile iudicium. Aut, quan-
» tum ad statum viatoris; et sic est illa Augustini: Liberum
» arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum
» eligitur vel malum. Liberum arbitrium habet etiam com-
» parari ad actum,...... ad obiectum, vel ad actum, obiectum
» et ad finem ultimum. Quantum ad primum definitur a Ber-
» nardo, quantum ad secundum ab Augustino, quantum ad
» ultimum ab Anselmo (1) ».

317. *Q.* Quotuplex sit libertas?

R. « Libertas liberi arbitrii triplex est, ex Doctore nostro,
» scilicet, a necessitate, a peccato, a miseria. Prima libertas
» est naturae, secunda gratiae, tertia gloriae. Prima est bo-
» norum et malorum; secunda est tantummodo bonorum; ter-
» tia est in coelo regnantium. Ex his patet, quod libertas ma-
» lorum, est velle peccare, et etiam posse peccare; sed li-
» bertas in Paradiso, fuit posse non peccare, et etiam posse
» non turbari; libertas vero patriae, est nolle et non posse
» peccare, nec posse turbari. Patet ergo, quod liberum arbi-
» trium, liberius est in bonis, quam in malis, quia in bonis est
» tantummodo servitus miseriae, in malis autem est servitus
» miseriae et peccati: sed in patria est liberrimum, quoniam
» omnis talis servitus, destruetur. Nota, quod licet Deus non
» possit male facere, et similiter Angelus, et animae beatae:
» tamen est in eis liberum arbitrium; quia bonum eligunt et
» malum declinant, non ex infirma necessitate, sed libera vo-
» luntate. Eodem modo, dicendum est de diabolo; quod habet

(1) II Sent., dist. 25, par. 1, dub. 2.

» liberum arbitrium, bonum tamen semper respuit, et malum
» eligit; sed hoc non facit in eo violenta coactio, sed voluntaria
» obstinatio. Liberum arbitrium habet se, in quibusdam, indiffe-
» renter ad bonum et ad malum, ut in primis parentibus, ante
» lapsum; in quibusdam, plus se habet ad malum, quam ad
» bonum, ut in regeneratis, per Baptismum; in quibusdam plus
» se habet ad bonum, quam ad malum, ut in santificatis in
» utero. In quibusdam, *necessario* se habet ad malum, ut in
» infidelibus non regeneratis; in quibusdam necessario se ha-
» bet ad bonum, ut in confirmatis, sicut fuit beata Virgo, post
» conceptionem Filii (1) ».

318. *Q.* An liberum arbitrium amplectatur rationem et voluntatem?

R. « Liberum arbitrium simul comprehendit, et rationem
» et voluntatem; et hoc, docente Magistro, non solum mani-
» festat ipsa nominatio, sed etiam ipsa notificatio; manifestat
» etiam suae proprietatis inquisitio. Nominatio manifestat: di-
» citur enim liberum et dicitur arbitrium; et arbitrium est
» ipsius rationis, libertas vero ipsius voluntatis, ad cuius nu-
» tum et imperium, moveri habent coetera, quae sunt in no-
» bis... Hoc etiam patet, per eius notificationem, dicitur enim:
» esse facultas rationis et voluntatis, sive consensus rationis
» et voluntatis. Postremo illud, amplius manifestatur, per suae
» proprietatis inquisitionem. Liberum enim arbitrium, sive no-
» minet potentiam, sive habitum, nominat... dominium ipsius
» potentiae; et hoc planum est, ex ipso nomine libertatis... Ad
» hoc autem, quod aliqua potentia hoc dominium habeat, ne-
» cesse est, quod ipsa, possit movere se ipsam, et quod possit
» super actum suum, se ipsam reflectere. Si enim non posset
» se ipsam, super actum suum, reflectere, nunquam posset
» illum refrenare; nisi posset se ipsam movere, nec posset
» in illum exire, quando vellet. Reflectere autem se, super se,

(1) In *Comp. theol. verit.*, lib. II, cap. 56.

» hoc est virtutis cognitivae, sublimatae a materia, quae qui-
» dem est ratio. Movere autem se, hoc est virtutis appeti-
» tivae rationem consequentis. Ad hoc igitur, ut illud dominium
» sit in anima, necesse est quod habeat rationem, et volun-
» tatem: Nam, si rationem tantum haberet, et non voluntatem
» per quam moveret, posset se, super actum suum, reflectere,
» sed non posset movere, vel imperare. Si vero appetitum so-
» lum haberet, et non rationem, posset utique movere et in
» actum exire; sed, quia non posset se, super actum suum, re-
» flectere, non posset utique refrenare, et ita dominium non
» haberet. Sicut igitur, ex concursu virtutis duorum hominum,
» resultat una quaedam facultas, ad portandum unum lapidem,
» quem non posset ferre alter eorum ; et sicut, ex concursu
» patrisfamilias et matrisfamilias, ad disponendum regimen
» domus, resultat una potestas, ita quod, altera non sufficeret;
» et sicut, ex concursu virtutis manus et oculi, resultat po-
» testas scribendi, ad quod altera illarum non sufficeret, sic,
» ex concursu rationis et voluntatis, resultat quaedam li-
» bertas, sive quoddam dominium ad aliquid faciendum, sive
» disponendum; et sic patet, quod liberum arbitrium comple-
» ctitur rationem et voluntatem (1) ».

319. *Q.* An liberum arbitrium sit residens potius penes rationem, quam voluntatem?

R. Libertas potius est penes voluntatem, quam rationem.
« Liberum enim arbitrium, eo ipso, dicitur liberum, quia im-
» mune est a coactione; ergo penes illud maxime est liberum
» arbitrium, quod magis elongatur a natura coactionis, et talis
» potentia est ipsa voluntas, non ratio; in multis enim, con-
» tingit rationem cogi ; non sic voluntatem, ergo etc..... In-
» super, liberum arbitrium est illud, quod est in nobis impe-
» rativum; sed magis est imperativa in nobis voluntas, quam
» ratio; ergo etc... Praeterea liberum arbitrium est illud, ex

(1) II Sent., dist. 25, par. 1, art. 1, q. 3.

» quo principaliter consistit in nobis meritum, vel demeritum; » sed meritum vel demeritum, principaliter consistit penes » voluntatem; ergo etc..... Denique liberum arbitrium in ra- » tione inchoatur, et in voluntate consumatur; sed quod con- » sumatur, est principaliter residens, ergo libertas penes vo- » luntatem in nobis residet (1) ».

320. *Q.* Utrum intellectus moveat voluntatem?

R. Intellectus, absque omni dubitatione, moraliter voluntatem movet; intellectus enim, voluntati obiectum proponit, vel prosequendum, vel fugiendum; secus, voluntas non ageret, quia, ad incognitum tendere nequit. Ergo voluntas ab intellectu movetur. Movetur tamen libere; quia voluntas est indifferens ad agendum, vel non agendum, et libere arbitratur, libere appetit, libere imperat et facit, libere vult, libere eligit; quia intellectus tantum illuminat, et edocet voluntatem. Quod si dicas, posito iudicio practico, volumtatem non esse liberam, respondet Scotus Noster, etiam cum iudicio practico, voluntatem maxima libertate pollere. Nam, si voluntas non posset illi non consentire, non esset potentia libera: sed voluntas est potentia libera; ergo, posito iudicio practico, voluntas libera manet. Secunda ratio, ex experientia desumitur. Constat enim, voluntatem, non modo post iudicium speculativum, sed etiam post iudicium practicum, saepenumero nos bonum respuere cognitum, iuxta illud: Video meliora proboque. Deteriora sequor. Tertia ratio, sumitur ex eo, quod voluntas, ut Divus Bonaventura notat, non sequitur principaliter actum alienum intellectus, imo potius, actum alienum ad proprium trahit. Hinc, duo actus essent sibi invicem causa; sed hoc repugnat; ergo, posito iudicio practico. voluntas adhuc libera permanet: Sed Magistri sunt verba signanda: « Ad illud, quod obii- » citur, quod ratio iudicat et voluntas sequitur, dicendum, » quod duplex est iudicium rationis. Quoddam est in solo di-

(1) Loc. cit. q. 6 in fundam.

» ctamine, et hoc est rationis, secundum se. Aliud, est secun-
» dum iudicium definitivum, ut fiat, vel non fiat; et illud nun-
» quam est sine voluntate. Quantumcumque enim ratio deli-
» beret, in eam partem determinat definitivum iudicium, quam
» praeoptat voluntas. Et ideo, cum dicitur quod voluntas se-
» quitur iudicium, si intelligatur de iudicio, quod consistit in
» solo dictamine, non est semper verum, quod ad illud se-
» quatur voluntas necessario. Si autem intelligatur de iudicio
» definitivo, ex hoc non sequitur, quod voluntas sequatur prin-
» cipaliter actum alienum, imo potius, actum alienum trahit
» ad proprium (1) ».

321. *Q*. An liberum arbitrium sit aeque in omnibus, in quibus reperitur?

R. Liberum arbitrium, quo ad immunitatem coactionis, aequaliter est in omnibus, in quibus reperitur. Quo vero ad dignitatem, praestantius in Creatore. Quoad facultatem iustitiae servandae, in creaturis inaequaliter reperitur; et ratio Doctoris est « quia, in liberi arbitrii intellectu, tria clauduntur, videlicet,
» a coactione immunitas, excellentiae dignitas et potestas, sive
» facultas. Quantum ad primum, liberum arbitrium in omnibus,
» in quibus est, aequaliter se habet..... pro eo quod in omni,
» in quo ponitur, simpliciter et universaliter, omnem excludit
» coactionem: propterea, ita plena est arbitrii libertas, in crea-
» tura suo modo, sicut in Creatore; quod etsi non possit in-
» telligi, veraciter esse dictum de aliquo, quod dicitur, per
» positionem; potest tamen intelligi de eo, quod dicitur, per
» omnimodam privationem. Quantum ad secundum..... est ae-
» qualiter, in comparatione creaturarum ad invicem, et inae-
» qualiter, in comparatione creaturarum ad Creatorem. Di-
» gnitas enim liberi arbitrii increati, superexcellit omnem di-
» gnitatem liberi arbitrii creati, quia illa est dignitas summa,
» et omnis dignitas creata, est dignitas infra illam, et propter

(1) II Sent., dist. 25, par. 1, q. 6, art. 1 ad 3.

» illam; et sic inaequalitas inest libertati arbitrii, quantum » ad dignitatem, prout consideratur in creaturis, et Creatore. » Prout autem consideratur in creaturis relatis ad invicem, » sic, habet in eis reperiri aequaliter, pro eo, quod omne li- » berum arbitrium, immediate est sub Deo constitutum, et » quodlibet, est suarum operationum, post Deum, primum prin- » cipium. Attenditur enim, secundum rationalis creaturae su- » premum, quo solus Deus superior est..... Quantum autem ad » tertium, videlicet, quantum.... ad servandae iustitiae pote- » statem; sic, inaequalitas reperitur, non solum in creaturis, et » Creatore, sed etiam in creaturis comparatis ad invicem. » Una enim creatura, multo potentior est altera, in rectitudine » servanda, sicut beata, quam misera: et hoc est, quod dicit » Anselmus: Libertas arbitrii, alia est a se, quae nec est ac- cepta ab alia, nec facta est, quae est solius Dei. Alia est a Deo facta et accepta, quae est Angelorum et hominum. Facta autem sive accepta, alia est habens rectitudinem, quam servat, alia carens: habens: alia tenet separabiliter, alia insepara- biliter; carens autem, alia caret recuperabiliter, alia irrecu- perabiliter (1). « Ex hac divisione Anselmi, apparent gradus » libertatis, non solum in creaturis, respectu Creatoris, sed » etiam in creaturis, ad invicem relatis. Sumitur enim haec » divisio libertatis, secundum id, quod est in ea positionis; et » hoc modo, contingit eam, secundum plus et minus in haben- » tibus liberum arbitrium reperiri » (2).

322. *Q.* An liberum arbitrium sit contingentium, vel neces- sariorum ?

R. Liberum arbitrium, dupliciter consideratur a Magistro: « aut secundum quod liberum, aut secundum quod deliberans. » Si loquamur de ipso, secundum quod liberum, sic concedo, » quod potest esse, non solum respectu contingentis, sed etiam

(1) Ansel. in lib. *De liber. arbitrii*, c. 14.

(2) II. Sent. dist. 25, par. 2, art. 1, q. 1.

» necessarii, sicut patet in Deo, et in Christo, et in Angelis,
» et in hominibus beatis. Cum enim duplex sit necessitas, vi-
» delicet, coactionis et immutabilitatis; necessitas coactionis
» repugnat libertati arbitrii. Necessitas vero immutabilitatis
» non; pro eo quod, arbitrium dicitur liberum non quia, sic
» velit hoc, ut possit velle eius oppositum; sed quia, omne quod
» vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid,
» ut velit, se velle illud; et ideo, in actu volendi, se ipsum mo-
» vet, et sibi dominatur, et pro tanto, dicitur liberum, quam-
» vis immutabiliter ordinetur ad illud. Si autem loquamur de
» libero arbitrio, secundum quod deliberans, utrum hoc fiat
» vel non fiat, sic actus eius, de quo deliberat, est contingens;
» nullus enim deliberat de necessario et impossibili: actus ta-
» men ille, potest esse circa necessarium, vel circa contingens.
» In libero enim arbitrio, est considerare, actum volendi et
» ipsum volitum. Et in quantum, liberum arbitrium est deli-
» berans, necesse est, quod contingentia sit, circa utrumque
» istorum, vel circa alterum. Circa utrumque, ut cum quis de-
» liberat, utrum velit intrare religionem, vel diligere inimicum.
» Circa alterum, ut cum quis deliberat, utrum debeat sibi pla-
» cere vel displicere malum, quod fecit, vel utrum debeat
» consentire, vel dissentire appetitui naturaliter inserto, utpote
» appetitui beatitudinis. Sic igitur, actus liberi arbitrii deli-
» berantis, quamvis possit esse circa necessarium, semper est
» contingens; actus vero liberi arbitrii, ut liberum est, non
» solum potest esse circa necessarium, sed etiam necessarius
» in se » (1).

323. *Q* Utrum liberum arbitrium, secundum quod liberum, possit in malum?

R. Divus Bonaventura loquitur « dupliciter de libero ar-
» bitrio, aut secundum communem rationem, secundum quam
» reperitur in Creatore et in creatura. Et sic, obiectum eius

(1) Loc. cit. q. 2, p. 2, a. 1.

» est bonum, et aequum; malum vero, non est obiectum, nisi » quis dicat hoc esse obiectum, quia liberum arbitrium illud » respuit, et detestatur. Hic autem vocatur obiectum illud, » quod intendit liberum arbitrium, per actum proprium, sive » quod efficit. Alio modo, contingit loqui de libero arbitrio, » secundum quod reperitur in creatura, et sic est loqui de ipso » dupliciter. Aut in quantum liberum, aut in quantum deficiens. » Si in quantum liberum, sic natum est exire in actum ae- » quitatis susceptibilem, et aequitate informatum. Si autem » loquamur de ipso, in quantum deficiens, sic liberum arbi- » trium, quia arbitrium liberum, exit in actum deliberativum; » quia deficiens, exit in actum deformatum, et ita in malum. » Sic ergo patet, quod liberum arbitrium, secundum quod li- » berum est, habet obiectum bonum, et exit in bonum non » in malum..... Nihilominus tamen, in quantum cum libertate » habet defectibilitatem, potest in malum, ita quod, malitia » non est obiectum liberi arbitrii, nec a libero arbitrio secun- » dum quod liberum, sed secundum quod deficiens » (1).

323. *Q.* An liberum arbitrium ab aliquo cogi possit?

R. Liberum arbitrium, quo ad interiorem actum, a creato agente cogi non potest, tametsi induci et impelli possit; at, quo ad exteriorem actum, etiam cogi potest. Et Doctoris ratio est, quia « est loqui de libero arbitrio, quantum ad actum ex- » teriorem, et quantum ad actum interiorem, sive quantum » ad actum proprium, et quantum ad actum alienum. Si lo- » quamur de libero arbitrio, quantum ad actum exteriorem; » sic, respectu talium actuum, potest intervenire coactio; potest » enim quis compelli, ut genua, coram idolo, flectat, et ut, ma- » nibus propriis, thura altaribus imponat, vel incendat. Si » autem loquamur, quantum ad actum interiorem, qui scilicet » est velle, vel eligere, aut consentire; sic, respectu talis actus, » potest liberum arbitrium, aliquo modo, induci potest et im-

(1) Loc. cit. q. 3.

» pediri, sed, nullo modo, potest compelli. Induci quidem potest, » quando amat aliud a se, et quod infra se est; unde, per » oblationem alicuius rei amatae, vel ablationem potest induci » ad consentiendum in aliquid, multum efficaci persuasione. » per quem modum, idololatrae tentabant sanctos martyres » consentire in idololatria, modo promittendo delectabilia, modo » infligendo tristia. Ista tamen inductio, longe distat a coa- » ctione, sicut probat ipse exitus, quia, nec blandimentis allici, » nec tormentis terreri adeo potuerunt, ut a veritate iustitiae » mutarentur; et sic, liberum arbitrium induci potest, quia amat » aliquid infra se, utpote vitam temporalem, vel aliquid con- » simile, quod potest agens creatum conferre vel auferre. » Potest etiam impediri, propter inclinationem et coniunctio- » nem sui, ad corporalem naturam, quae subest virtuti crea- » turae: unde, bene possit aliquis, alium ita laedere, quod usum » liberi arbitrii amitteret, ex hoc tamen, liberum arbitrium » non cogeret. Coactio enim ponit liberi arbitrii actum et » usum; sed ligatio, vel impeditio tollit. Et iterum, impeditio » provenire potest ab inferiori, coactio provenire habet a su- » periori; hinc est, quod liberum arbitrium, etsi possit induci » ab agente creato, ratione boni exterioris amati, et possit » impediri, ratione coniuncti corporis, non potest cogi, respectu » actus proprii. Hanc enim dignitatem habet liberum arbi- » trium, ut, in quantum liberum, soli Deo sit subiectum, et quia » in quantum liberum, nulli agenti creato subest, cum coactio » sit a superiori, nullum agens creatum potest ipsum co- » gere (1) ».

324. *Q.* An libertas a Deo cogi possit?

R. « Cum quaeritur, utrum liberum arbitrium possit cogi » a Deo, dicendum, quod illud potest intelligi dupliciter. Aut » ita, quod intelligatur, quod possit auferre libertatem, et au- » ferendo libertatem, superinducere coactionem. Et hoc modo,

(1) Loc. cit. q. 4.

» nulli dubium esse debet, quin Deus possit hoc facere, quan-
» tum est de immensitate suae potentiae. Alio modo, ut in-
» telligatur, quod Deus cogat liberum arbitrium, salva pro-
» prietate libertatis, et eius natura. Et hoc modo, non solum
» est impossibile; sed etiam non intelligibile, pro eo quod im-
» plicat in se, duo contradictorie opposita. Ex hoc enim, quod
» liberum arbitrium est, si aliquid vult, libere vult; et ex hoc,
» quod voluntarium est, si aliquid vult, voluntarie vult, et,
» seipso movente, vult. Ex hoc autem, quod cogitur, si aliquid
» vult, serviliter vult, et si quid vult, invite vult; et si ali-
» quid vult, ab alio vult; quia violentum est, cuius princi-
» pium est extra, nihil conferente vim passo: ergo liberum
» arbitrium cogi, non est aliud, quam actum liberi arbitrii,
» simul et semel, esse liberum et servilem; esse voluntarium
» et non voluntarium, esse a se, et non a se. Si igitur impos-
» sibile est, quod claudat in se utramque partem contradi-
» ctionis, et non tantum est impossibile creaturae, verum et-
» iam creatrici essentiae, quia illud posse, non est posse, pla-
» num est, quod liberum arbitrium, secundum hunc modum
» intelligendi, a Deo cogi est impossibile (1) ».

325. *Q.* An praescientia Dei tollat libertatem?

R. Circa hanc quaestionem, tres fuerunt, ex Doctore nostro, positiones. « Quidam enim dixerunt, quod praescientia, neces-
» sario cum sit infallibilis, imponit necessitatem, et ideo, abs-
» tulerunt liberum arbitrium et peccatum; ista positio fuit
» haeretica et iniqua, quia destruit bonos mores. Alia positio
» fuit, quod divina praescientia, si esset, necessitatem impo-
» neret, et sic omnis virtus et laus periret. Et quia dilexe-
» runt rempublicam, ideo abstulerunt a Deo praescientiam,
» et a propositionibus de futuro, abstulerunt veritatem. Et haec
» haeretica fuit et impia, quia derogavit nobilitati divinae.
» Tertia positio est catholica, quae Deum honorat, et bonos

(1) Loc. cit. q. 5.

» mores conservat; et ideo iusta, pia et vera; quia, divina » praescientia est, et tamen non imponit rebus necessita- » tem ». Non imponit, quia, sicut mea memoria non cogit facta esse, quae praeterierunt, sic, Dei praescientia, non cogit facienda esse, quae futura sunt. Non imponit, quia aliud est praescientia, aliud libertas; praescientia est in Deo, libertas in homine; ergo, ex hoc, nihil accrescit libero arbitrio; ergo positio praescientiae nihil ei aufert; ergo cum liberum arbitrium, de se, sit causa rerum ad utrumlibet contingentium, divina praescientia hoc non tollit. Non imponit, quia, divina praescientia, in pluribus, aut non est causa, aut non est tota causa; sed quod dat alicui necessitatem, habet rationem causae: quia, a quo est esse, et esse necessarium; cum ergo divina praescientia, multorum futurorum non sit causa, ut malorum, nullam rebus imponit necessitatem. Non imponit, quia, divina praescientia praescit res, sicut sunt eventurae; cum nihil praesciat, nisi verum; ergo, cum praescit aliquem peccaturum, cum peccatum non sit, nisi per voluntatem, praescit istum, per voluntatem hoc facere; et praescit, aliud posse facere; ergo, si omne quod praescit, est verum, verum est, quod iste, per voluntatem, hoc faciet, et poterit aliud facere; et si hoc est contingens, ergo, si cum divina praescientia est contingentia, circa res, non ergo necessitas (1). Unde optime Alighierius:

La contingenza, che, fuor del quaderno
  Della vostra materia, non si stende,
  Tutta è dipinta nel Cospetto eterno.
Necessità però quindi non prende,
  Se non come dal viso, in che si specchia
  Nave, che per corrente giù discende (2).

(1) I. Sent. dist. 38, art. 2, q. 1.
(2) Parad., c. XVII, v. 46.

Denique, si praescientia imponit necessitatem, nullum est liberum arbitrium, nulla deliberatio, nullum consilium, nulla lex, nullum meritum, nullum demeritum; perit laus, perit vituperium: nullum discrimen inter virtutem et vitium, nullum gaudium, nullum taedium, nullum praemium, nulla poena; ruunt cuiuslibet civitatis fundamenta; nullum foedus, nullus contractus, nullum officium, nulla religio. Sed haec sunt prorsus absurda; ergo absurdum est, praescientiam Dei imponere necessitatem.

CAPUT XI.

DE VARIIS NATURAE HUMANAE CONDITIONIBUS.

326. *Q.* Quot sint conditiones naturae humanae?

R. Quatuor praecipue adnumerantur. Status naturae purae, status naturae integrae, status gratiae originalis, et status naturae lapsae, et a Christo redemptae. Status naturae purae dicitur ille, in quo homo creatus fuisset et nasceretur, sine gratia et sine peccato, obnoxius propriis naturae suae imperfectionibus, et miseriis, ignorantiae et concupiscentiae non inordinatae, doloribus et morti, iisque auxiliis instructus, quae satis essent, ad consecutionem beatitudinis naturalis. Status naturae integrae dicitur ille, quo homo, habens scientiam ordinis naturalis et supernaturalis, perfecte obsequebatur Deo, et rationi subditum erat corpus, nec non, immunitas a morte, a doloribus, coeterisque huius vitae miseriis. Status naturae innocentis et iustitiae originalis dicitur ille, in quo praeter dona integrae naturae, alia munera divina, alia privilegia, tum animae, tum corpori exhibuit, scilicet, rerum naturalium scientiam, beatitudinem in altera vita, felicitatem in praesenti, et alia huiusmodi, a theologis constabilienda. Denique status naturae lapsae, et a Christo redemptae dicitur ille, in

quo homines nascuntur filii irae et, per Christum, filii misericordiae fiunt.

327. *Q*: An philosophice sit admittendus status naturae lapsae?

R. Haec non est tantum veritas revelata, sed etiam philosophica; et a gentilibus sapientibus, scilicet Philolao, Timeo Locrensi, Platone, Seneca, Epitecto, Plutarco admissa; pro omnibus audiatur Cicero: « Homo non ut a matre, sed, ut a » noverca natura editus in vitam, corpore nudo, et fragili et » infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timo- » res, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen in- » esset, tamquam *obrutus*, quidam divinus ignis ingenii et men- » tis (1) ». Et in fragmento philosophico, cui titulus: Hortensius: » Ex quibus humanae vitae erroribus et aerumnis fit, inquit, » ut interdum, illi vates, sive in sacris initiisque tradendis di- » vinae mentis interpretes, qui nos, *ob aliqua scelera, suscepta* » *in vita superiore*, poenarum luendarum causa, natos esse » dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod » est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, at- « que eos, qui quondam, cum in praedonum Etruscorum ma- » nus incidissent, crudelitate excogitata, necabantur; quorum » corpora viva cum mortuis, adversa adversis accomodata, » quam aptissime colligabantur: ita nostros animos cum cor- » poribus copulatos, ut vivos cum mortuis, esse coniunctos ». Post principem philosophorum et oratorum veteris Romae, de ruina hominis, legendus est Bossuet. « C'est comme des re- » stes d'un édifice, autrefois très-regulier et très-magnifique, » renversé maintenant et porté en terre, mais, qui conserve » encore, dans sa ruine, quelque vestiges de son ancienne gran- » deur et de la science de son architecte..... D'où vient donc » une si étrange disproportion? et pourquoi vois-je ces par- » ties si mal rapportées? Faut-il le dire? Et ces massures mal

(1) *De Republ.*, lib. II.

» assorties, avec ces fondements si magnifiques, ne crient-
» elles pas assez haut, que l'ouvrage n'est pas en son entier?
» Contemplez cet édifice, vous y verrez des marques d'une
» mainu divine; mais l'inégalité de l'ouvrage vous fera bien-
» tôt remarquer ce, que le péché a mêlé du sien (1) ». Concludendum est igitur cum Aligherio:

Vostra natura, quando peccò tota
Nel seme suo, da queste dignitadi,
Come di Paradiso fu remota (2).

Veritas ruinae primordialis confirmatur etiam, ex omnium populorum cousensu. Aegyptii enim et Persae, Indi et Sinenses, Thibetani et Iaponici, Scandinavi et Mexicani, tum veteres, tum recentes populi, homines vitiatos nasci, nec tales existere, quales ab initio fuerunt, concorditer retinuere, adeo ut, vel ipse Voltaire, in Philosophia, historiae scribere non dubitaverit. « Casus hominis est fundamentum theologiae omnium pene antiquorum populorum ». Factum igitur lapsae naturae, philosophice pro indubitato, ab omnibus ratione pollentibus, tenendum est; et quamquam hoc sit mysterium, tamen ut verbis utamur Blasii Pascal: « Homo magis est incomprehensibilis, absque hoc mysterio, quam non hoc mysterium sit homini incomprehensibile (3).

328. *Q.* An Deus debuerit facere hominem impeccabilem?

R. Etsi divina operatio, approbatione non egeat, quia, quidquid Deus facit, bene et recte facit: tamen, ad excitandam devotionem in christianis, et rabiem in ore blasphemantium compescendam, quadruplex potest ratio assignari ex Doctore Nostro « quare Deus fecit talem hominem, ut possit ab adver-
» sario expugnari. Et prima, est manifestatio divinae poten-
» tiae. Voluit enim Deus ostendere homini, quia, sicut sine eo

(1) *Serm. 1.er pour le jour de la Pentecôte sur la mort.*
(2) Parad. c. VII, v. 75.
(3) *Pensées sur la Religion.*

» factus non fuerat, ita, nec sine ipso, persistere poterat. Ut » igitur, homo nosset, quod divinum posse, non solummodo est » omnis potentiae causativum, sed etiam conservativum, et » quod ipsum solum est, quod non potest deficere, nec expugnari, » ideo placuit sibi creaturam rationalem facere vertibilem, et » expugnabilem, nec ipsam confirmare, quousque experimento » disceret, quod ipse solus est, in quo non cadit non posse. » Secunda ratio est manifestatio divinae sapientiae; maioris » enim sapientiae est ostensivum, scire ordinare bona cum malis, » et eligere bona ex malis, quam ordinare solum bona cum bonis. » Et ideo, cum non deceret eum, ibi mala facere, debuit ta- » lem facere creaturam, quae posset in operando deficere, et » malum committere, ut Deus, mala illa ordinando, suam sa- » pientiam declararet. Tertia ratio sumitur, ex manifestatione » divinae misericordiae, quae potissimum manifestata est, cum » Unigenitum Filium suum traderet, ad liberationem servi. » Quarta ratio sumitur, ex manifestatione divinae iustitiae, » quae potissime manifestatur in hoc, quod Deus retribuit » unicuique, secundum opera sua, praecipue in aeterna puni- » tione malorum; haec autem retributio et punitio, et prae- » fata misericordiae liberatio non esset, nisi Deus creaturam » rationalem, et praecipue hominem, in statu vertibilitatis, fe- » cisset et ita, potentem impugnari et expugnari; et ideo con- » gruum fuit, Deum hominem in statu tali facere (1) ».

329. *Q.* An Deus permittere debuerit hominem impugnari?

R. Congruum fuit hominem impugnari, propter qnatuor rationes, quarum primam divus Bonaventura sumit « ex ordine » qui attenditur, ex comparatione virtutis ad proprium actum. » Sic enim Deus res omnes administrat, ut eas agere pro- » prios motus sinat; et ideo, tam hominem, quam diabolum, » constituit in libertate arbitrii, et in manu consilii sui reli- » quit, et utrumque permisit agere, quod voluit, sive hunc in

(1) II Sent., dist. 23, art. 1, q. 1.

» tentando, sive illum in consentiendo: hoc enim competebat re-
» gimini, in conservatione ordinis, qui attenditur, ex compa-
» ratione virtutis ad proprium actum. Secunda vero ratio
» sumitur ex ordine, qui attenditur, per comparationem boni
» ad suum oppositum, in quo gloriosior et laudabilior osten-
» ditur virtus ad suum oppositum, sive ex ipsa praedicta
» comparatione, ob quam relucet et magis apparet, sive ex
» cuiusdam nobilis triumphi assecutione, ob quam fortificatur
» et vigoratur; ideo, ut virtus hominis reluceret et proficeret,
» decuit Deum permittere ipsum ab adversario impugnari;
» quia, vel tunc, vel post, ex ipsa tentationis impulsione, ma-
» nifestanda erat fortitudo, et eminentia charitatis...... Tertia
» ratio potest sumi, ex ordine, qui attenditur ex comparatione
» morbi ad suum remedium. Quia enim, peccatum hominis non
» debebat carere remedio, propter hoc, quod tota in ipso hu-
» mana natura erat, sic debuit Deus hominem permittere
» peccare, quod deceret ipsum, eidem Redemptorem praestare;
» et ideo, magis Deus disposuit hominem peccare, alio sugge-
» rente et impellente, quam voluntate propria incurvante;
» qua fortassis incurvatione, homo cecidisset, etiamsi nun-
» quam adversarius pestifera suggessisset. Quarta ratio po-
» test sumi, ex ordine, qui attenditur, per comparationem me-
» riti ad praemium. Quia enim nemo dignus est coronari, nisi
» qui certat legitime; ideo decuit Deum hominem, militem
» suum, in campo certaminis prius examinare, quam, ipsum
» in gloria exaltare; et quia, examinatio consistit in conflictu
» et pugna, permittere debuit hominem a diabulo impugna-
» ri (1) ». Quod si obiicies, impium esse Patrem permittentem
filium aggredi bellum, in quo sciret, eum esse ab alio supe-
randum, respondebimus, quod, etsi Deus sit pater pius, est
tamen iudex aequus, sapientia infallibilis, potentia infinita,
bonitas immensa. Unde eloquentissime Henricus Lacordaire:

(1) Loc. cit. q. 2.

« Creandi potestas inest Deo, ut alia attributa, quae ei addicuntur, ideoque nequit ea privari, mala voluntate creaturae. Deus autem, si non haberet potestatem creandi hominem, qui suis donis sit abusurus, Deus posset ab impio adnihilari, cum ei sit impedimentum, in actibus suis. At, quid hoc ineptius, quid insanius? Nunc, hoc perspecto, difficultas prorsus evanescit. Etenim Deus, cum agit, quamquam bonitate moveatur, tamen agit in unitate suae essentiae, ac suarum perfectionum, potentiae scilicet, sapientiae ac iustitiae; nec bonitas obstare potest ei, ut sit sapiens, iustus, ac omnium dominator; sique praescit creaturam aliquam, abusuram esse vita, eam tamen ab ipsa non retrahet, quod ei non conveniret, quin cessaret existere. At nonnulli obganniunt: Aliud est potestas in se, aliud potestatis exercitium. Deus non amittit potentiam, sed eam negligere posset? Certe; cui sui iuris est potestatem aliquam exercere, eam potest exercere, sub poena privationis; si Deus igitur, a vobis concessis, ius habet, omnibus eius attributis perpensis, creandi ens vita abusurum, quid miramini, si ipse, libertate ei insita, usus est? Quod ergo obiicitur de pietate paterna, vi deficit, quia caret accuratione et sagacitate. Deus enim non creavit hunc, vel illum hominem, hunc et illum mundum; mundum unicum creavit, quo omnia ad invicem colligantur. Uno solo dempto, omnia vincula obrumpuntur. Unus homo, in se claudit generationes innumeras. Tollere ergo hominem, est tollere speciem; tollere impium, est interimere generationes sanctorum. Nihil enim est in humanitate solitarium, nihil est solivagum; et saepe, unius vitae flagitiosae impedimentum, est omnium meritorum, in genere humano, destructio. Ergo, ne hominis malignitas bonitatem Dei vacuabit? In bonos praevalebunt mali? Nihilum, entia destruet? sed tunc, de iustitia, de potentia, de sapientia, de misericordia, de bonitate Dei, actum esset (1) ».

(1) Confer. 47-1848.

330. *Q.* An homini dari potuerit liberum arbitrium inflexibile per naturam?

R. Impossibile fuit, hominem, vel aliquam creaturam rationalem, per naturam habere liberum arbitrium inflexibile ad malum. Hoc enim ex Duce nostro « repugnat naturae i- » psius creaturae rationalis, et a parte principii initialis, et » a parte termini finalis; et hoc patet sic: si enim liberum » arbitrium creaturae rationalis fieret naturaliter ad malum » inflexibile, aut hoc esset, propter ipsius arctationem ad bo- » num, aut propter ipsius determinationem. Si propter ar- » ctationem, ut sic faceret bonum, sicut lapis tendit deor- » sum, iam certe liberum arbitrium, nec esset liberum, nec » opus eius esset laude dignum; et ita, ineptum esset ad fi- » nem, propter quem est factum, videlicet ad laudis et glo- » riae praemium assequendum. Si autem inflexibile esset ad » malum propter determinationem, quia, sic potens esset, per » propriam naturam, in bonum, ut non posset deficere in malo, » sicut est de libero arbitrio divino, quod ad sola bona de- » terminatum est, iam tale liberum arbitrium careret vani- » tate, per naturam suam; ergo, iam non esset creatura, nec » productum ex nihilo, cum omnis creatura, vanitati subiecta » sit; et ita, hoc esset contra naturam principii initialis, quan- » tum ad id, quod dicimus, creaturam rationalem, ex nihilo » esse productam. Repugnante igitur natura rationali crea- » turae, et ex parte initialis principii, et ex parte finalis ter- » mini, impossibile fuit, hominem, vel aliam quamcumque crea- » turam rationalem, liberum arbitrium habere per naturam » ad malum inflexibile (1) ».

331. *Q.* Utrum homini datum fuerit naturale adiutorium, per quod posset tentationi resistere, absque gratia?

R. Aliquem posse resistere, virtute propria, tentationi diabolicae, absque omni gratia, intelligi potest dupliciter, ex Ma-

(1) II. Sent. dist. 24, art. 1, q. 1.

gistro. « Aut ita, quod excludatur continuatio divinae influen-
» tiae, aut ita, quod excludatur appositio novae gratiae. Pri-
» mum, simpliciter est impossibile: nunquam enim liberum
» arbitrium, malae suggestioni resisteret, nisi Deus, suae bo-
» nitatis influentia continua, in bono conservaret. Secundo
» modo, veritatem habet, pro statu innocentiae...... Magna e-
» nim erat in primo homine liberi arbitrii ab omni labe et
» corruptione immunitas, atque naturalium potentiarum ani-
» mae sinceritas et vivacitas, et per hoc, poterat evitare et
» repellere suggestionem diabolicam; nec indigebat ad hoc,
» apponi sibi novam gratiam, cum respectu huius nulla esset
» in eo difficultas. Nulla difficultas, quia liberum arbitrium.....
» est potestas servandi rectitudinem propter se; sed liberum
» arbitrium est potentia naturalis; ergo per naturalem po-
» tentiam, absque addita gratia, homo poterat servare recti-
» tudinem, sive iustitiam. Sed servando rectitudinem, tenta-
» tioni non consentiret, imo resisteret et superaret; ergo na-
» turale adiutorium homini datum fuit, per quod posset non
» peccare. Nulla difficultas, quia homo in puris naturalibus,
» aut igitur posset resistere diabolo suadenti, aut non; si non,
» et nullus peccat in eo, quod vitare non potest: ergo, si con-
» sentiret tentationi diabolicae, non peccaret; quod est im-
» possibile. Si sic: ergo per naturale adiutorium, sine gratia
» superaddita, superare poterat adversarium, ergo etc.......
» Nulla difficultas, quia natura nulli dat esse, quin etiam det
» ei aliquam potentiam permanendi; cum non deficiat in ne-
» cessariis; unde, sicut aliquid naturaliter propagatur, sic et-
» iam, naturali virtute, in esse conservatur; si ergo liberum
» arbitrium homini datum, per naturam propriam, innocens
» erat, et immune a culpa: ergo per naturam propriam, abs-
» que omni gratia, permanere poterat in sua innocentia; ergo
» etc..... Nulla denique difficultas, quia rectitudo voluntatis
» solo actu voluntatis servatur; qui enim rectus est, obliquus
» esse non potest, quamdiu vult esse rectus; sed nihil tam

» est in voluntate nostra, quam ipsa voluntas, nihil facilius
» homini recto, quam velle rectitudinem: si ergo liberam ar-
» bitrium hominis, quantum est de sua conditione primaria,
» rectum erat, absque omni gratia superaddita, rectitudinem
» servare poterat; et sic adversario resistere, et tentationem
» superare (1) ».

(1) Loc. cit. q. 2.

ANTHROPOLOGIAE FINIS.

THEOLOGIA NATURALIS

331. *Q.* Quid sit theologia naturalis?

R. Theologia naturalis est scientia, quae dat rationalem notitiam de primo principio, sive de Deo. Dico rationalem; quia praeter hanc, est et alia duplex notitia, visionis scilicet et revelationis, prout vel lumine gloriae, vel fidei, de Deo loquitur. Per ea, quae facta sunt de Deo igitur acturi, haec pars philosophiae in quatuor capita erit distribuenda:

In primo enim de Dei existentia,

In secundo de Eius essentia,

In tertio de attributis Dei absolutis,

In quarto de attributis relativis disseremus.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

332. *Q.* Utrum Deus sit cognoscibilis a creatura?

R. Deus a creatura, quantum est de se, est clarissime cognoscibilis; esset summe cognoscibilis etiam nobis, nisi esset aliquis defectus a parte virtutis cognoscentis: qui quidem non tollitur perfecte, nisi per Deiformationem gloriae. Dico cognoscibilis clarissime, quantum est de se; et Ducis nostri rationes multae sunt. « Prima ratio est, quia anima rationalis est ad

» imaginem Dei: sed.... mens eo est imago Dei, quo capax Dei » est, eiusque particeps esse potest. Capere autem non est » secundum substantiam, vel essentiam, quia sic est in omni- » bus creaturis: ergo per cognitionem et amorem: ergo Deus » est per se cognoscibilis. Secunda ratione ostenditur sic: omnis » cognitio spiritualis fit ratione lucis increatae, ut dicit Au- » gustinus in soliloquiis: sed lux est maxime cognoscibilis ipsi » animae; ergo etc.... Tertia ratio est, quia cum fiat cognitio » aliquorum per praesentiam, aliquorum per similitudinem, » illa verius cognoscuntur, quae cognoscuntur per praesen- » tiam :.... sed Deus est ipsi animae unitus per praesentiam : » ergo Deus verius cognoscitur, quam alia quae cognoscuntur » per similitudinem. Quarta ratio est, quia sicut se habet » summa bonitas ad dilectionem, sic summa veritas ad co- » gnitionem; sed summa Bonitas est summe amabilis ab affe- » ctu; ergo summa Veritas est summe cognoscibilis ab intel- » lectu. Ultima ratio est, quia unumquodque efficacius potest » in id, ad quod naturaliter ordinatur; sed intellectus noster » naturaliter ordinatur ad cognitionem summae lucis; ergo » illa maxime cognoscibilis est ». Haec autem cognitio est apprehensionis, non comprehensionis. Haec enim dicit proportionem aequalitatis, et aequiparantiae, et talis non est in anima respectu Dei; quia anima est finita, sed Deus est infinitus. Illa autem dicit proportionem convenientiae, et talis est in anima respectu Dei, quia, quodam modo, est anima omnia, per assimilationem ad omnia, quia nata est cognoscere omnia. Et maxime est capax Dei per assimilationem, quia est imago et similitudo Dei. Neque obiicias, infinitum non capi a finito; nam hic non agitur de infinito molis, sed de infinito cum simplicitate ut Deus; et tale infinitum, quia simplex est, ubique totum est. Quia vero infinitum, in nullo sic est, quin extra illud sit, et sic intelligendum est in cognitione Dei (1).

(1) I. Sent., dist. 3, q. 1, art. 1, par. 1, in tota quaest.

333. *Q.* An Deus sit cognoscibilis per creaturas?

R. Quia relucet causa in effectu, et sapientia artificis manifestatur in opere; ideo Deus qui est artifex et causa creaturae, per ipsam cognoscitur. Et ad hoc Doctoris nostri multiplex est ratio. « Una est propter convenientiam.... quia omnis » creatura magis ducit in Deum, quam in aliquid aliud. Alia » propter indigentiam, quia cum Deus, tamquam lux summe » spiritalis, non possit cognosci in sua spiritualitate ab intel- » lectu, quasi materiali luce indiget anima, ut cognoscat ip- » sum, scilicet per creaturam. Tertia est propter magnitudi- » nem creaturae; ex pulchritudine enim circumscriptae crea- » turae, pulchritudinem suam, quae circumscribi non potest, » facit Deus intelligi. Quarta est propter causam; contingit » enim non solum effectum cognosci per causam, sed causam » per effectum; ergo si Deus est causa operans secundum suam » nobilitatem, et creatura effectus, poterit Deus cognosci per » creaturam. Sensibile enim est via cognoscendi intelligibile: » sed creatura est sensibilis, Deus est intelligibilis: ergo per » creaturam, est devenire in cognitionem Creatoris. Ultima de- » nique ratio est propter similitudinem; contingit enim simile » cognosci per simile: sed omnis creatura est similis Deo, vel » sicut vestigium, vel sicut imago; ergo per omnem creatu- » ram contingit cognosci Deum (1).

334. *Q.* An in omni statu cognoscatur Deus per creaturas?

R. Deus cognoscitur per creaturas a viatoribus tantum: sed in creaturis a viatoribus semiplene, a comprehensoribus autem perfecte. « Aliud enim, iuxta Magistrum, est cognoscere » Deum in creatura, aliud per creaturas. Cognoscere Deum in » creatura, est cognoscere ipsius praesentiam et influentiam » in creatura, et hoc quidem est viatorum semiplene; sed com- » prehensorum perfecte. Unde Augustinus dicit.... quod tunc » expresse Deus videbitur, quando Deus erit omnia in omni-

(1) Loc. cit. q. 2, par. 5.

» bus. Cognoscere autem Deum per creaturam, est elevari a » cognitione creaturae ad cognitionem Dei, quasi per scalam » mediam: et hoc est proprie viatorum.... Aliter tamen con- » venit homini in statu naturae institutae, et naturae lapsae: » quia in statu primo cognoscebat Deum per creaturam, tam- » quam per speculum clarum; sed post lapsum, cognovit tam- » quam per speculum et enigma, sicut dicit Apostolus, pro- » pter obnubilationem intellectus, et peiorationem rerum (1).

335. *Q.* An Deus sit nominabilis?

R. Licet Deus secundum perfectam expressionem innominabilis sit, tamen secundum semiplenam nominationem nominabilis dicitur. « Omne enim, ait Doctor, quod se exprimit » verbo, potest se exprimere signo verbi; sed signum verbi » est vox: ergo cum Deus suo verbo exprimatur, potest ex- » primi voce; sed quod potest voce exprimi, potest nominari; » ergo etc.... Insuper quod convenit intelligi, convenit signifi- « cari, sive enunciari; sed contingit Deum a nobis cognosci, » hoc certum est, ut supra probatum est; ergo etc.... Denique » quod convenit laudare, convenit et nominare; sed Deum con- » venit laudare, imo ipse summe laudabilis; ergo et nomina- » bilis, semiplene. Diximus semiplene. Plene enim nominari » nequit, quia sicut Deus sibi soli est intelligibilis, sic sibi soli » est effabilis et nominabilis, non alio nomine, quam ipse sit, » nec alio verbo, quam ipse sit. Et sicut nobis est incompre- » hensibilis, ita et ineffabilis, ita etiam innominabilis » (2).

336. *Q.* Utrum Deus habeat unum nomen vel plura?

R. Dei est unum nomen, si nomen capiatur pro re significata essentiali, et pro ratione innotescendi ex parte Dei: plura si pro voce, et pro significato personali, et pro ratione innotescendi ex parte creaturarum. « In nomine enim, ex Duce » nostro, tria sunt, scilicet vox, et significatio, et ratio inno-

(1) Loc. cit. q. 3 in concl.

(2) I Sent., dist. 22, q. 1 in tota quaest. passim.

» tescendi. Unde et nomen multipliciter accipitur. Aliquando » pro voce significante, ut cum dicitur: Petrus est nomen A» postoli, et sic constat quod in Deo sunt plura nomina. Ali» quando nomen accipitur pro re significata, ut cum dicitur: » bonum et honestum sunt idem nomine, et sic in divinis quo» dam modo est dicere nomem unum, quodam modo plura. » Si enim res significata dicatur essentialiter, sic omnia unum. » Si personaliter, sic plures, et plura nomina correspondentia. » Aliquando nomen accipitur pro ipso notamine, sive ratione » innotescendi, et sic dicendum quodam modo nomen unum, » quodam modo plura. Si enim accipitur.... ex parte Dei, sic » innotescit per virtutem, quae una et magna est, et sic unum » nomen Dei est et Magnum sive Maximum.... Si autem ac» cipiatur ratio innotescendi, ratione creaturarum, sic diversa » sunt nomina. Nam Deus innotescit nobis tripliciter, scilicet » per causalitatem, per ablationem et per excellentiam, et » secundum hoc, est multitudo nominum. Si enim nominetur » per causalitatem, multa sunt nomina, quia multos habet ef» fectus. Si per ablationem, multa sunt nomina, quia multa » removentur, scilicet omnia creata. Si per excellentiam, multa, » quia in multis, in omnibus scilicet conditionibus nobilitatis » excedit creaturas » (1).

337. *Q.* An omnia divina nomina translatitia sint?

R. Non omnia nomina, quae dicuntur de Deo, censeri debent translatitia, cum quaedam dicantur proprie, licet nonnulla secundum similitudinem de ipso verificentur; et ratio Magistri est « quia cum nos cognoscamus Deum tripliciter, sci» licet per effectum, per excellentiam et per ablationem, con» stat quod omnibus his modis contingit Deum nominare. Si » per effectum, nulla est ibi translatio; pariformiter si per » excellentiam; similiter si per ablationem. Quoniam transla» tio attenditur secundum aliquam similitudinem. Omnes enim

(1) Loc. cit. q. 2 in concl.

» transferentes, secundum aliquam similitudinem transferunt.
» Et propterea aliter dicendum quod, quaedam sunt nomina,
» quae significant rem, cuius veritas est in Deo, et oppositum
» in creatura, ut immensus, et aeternus; et talia nullo modo
» transferuntur, nec secundum rem, nec secundum impositio-
» nem. Quaedam significant rem, cuius veritas est in Deo, et
» similitudo eius in creatura, ut potentia, sapientia, et vo-
» luntas; et talia nomina transferuntur a creaturis ad Deum,
» non secundum rem, sed secundum impositionem, quia prius
» imposita sunt creaturis quam Deo, licet prius sint in Deo,
» ut lapis et leo; res enim significata est in creatura, sed si-
» militudo proprietatis, ut stabilitas et fortitudo est in Deo,
» et ista sunt proprie translatitia. Concedendum ergo quod in
» divinis sint aliqua nomina translatitia non omnia » (1).

338. *Q.* Quotuplex sit genus atheorum?

R. Triplex est genus eorum, qui Deum negant. Qui enim, ob mentis tarditatem, omni prorsus Dei cognitione destituitur, atheus negativus dicitur. Vocatur atheus positivus, qui agnoscere Deum detrectat, vanis innixus cavillationibus. Qui autem non verbis, sed pravis moribus ita vivit, quasi nullum timeat Deum, atheus practicus nominatur.

339. *Q.* Utrum sint athei negativi?

R. Nos haud fieri posse censemus, ut homo quispiam, rationis pleno usu dotatus, Deum penitus ignoret. Cognitio enim Dei existentis, ita est facilis, tamque cito in mentem venit, ut nullus inficiari possit. Quis enim, videns tam miram et bene dispositam mundi fabricam, non dicet: Deus est hic? Unde Augustinus: haec est vis verae divinitatis, ut creaturae rationali iam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi (2).

340. *Q.* Utrum sint athei practici et positivi?

(1) Loc. cit. q. 3.

(2) Tract. in Ioan. cap. 6, num. 4.

Q. Multos esse atheos, qui male vivunt, et simulate ac fallaciter sibi persuadent Deum non esse, lugenda experientia docemur, sed atheos positivos esse posse negamus. Prava enim educatione, et malis affectibus voluntate vitiata fieri potest, ut homo aliquantulo tempore Deum neget, sed sine firma animi persuasione. Intellectus enim, et ratio, et voluntas, Deum esse apertissime demonstrant. Ad rem Magister: « Aliquid cogitare
» non esse, est dupliciter: Aut in ratione falsi, sicut cogito de
» hac: Homo est asinus; et hoc cogitare, nihil aliud est, quam
» quid est, quod dicitur, intelligere: hoc modo potest cogi-
» tari non esse veritas divini Esse. Alio modo est cogitare
» cum assensu, sicut cogito aliquid non esse, et credo non esse:
» et hoc modo aliquid cogitare non esse, quod est, potest ve-
» nire, aut ex defectu intelligentis, aut ex defectu intelligi-
» bilis. Defectus autem intelligentis est caecitas vel ignoran-
» tia; ob quam, quia ignorat rem, ideo cogitat ipsam non esse.
» Convenit autem dupliciter esse cogitationem de aliquo ente,
» videlicet si est, et quid est. Intellectus autem noster deficit
» in cogitatione divinae veritatis, quantum ad cognitionem quid
» est, tamen non deficit quantum ad cognitionem, si est. Unde
» Hugo: Deus ab initio sic cognitionem suam in homine tem-
» peravit, ut sicut nunquam quid esset, poterat ab homine com-
» prehendi, ita nunquam quia esset, poterat ignorari. Quia ergo
» intellectus noster nunquam deficit in cognitione Dei si est,
» ideo nec potest ignorare ipsum esse, similiter non cogitare non
» esse. Quia vero deficit in cognitione quid est, ideo frequenter
» cogitat Deum esse, quod non est, sicut idolum, vel non esse,
» quod est, sicut Deum non iustum; et quia qui cogitat Deum
» non esse quod est, ut non iustum, per consequens cogitat
» ipsum non esse; ideo ratione defectus intellectus, Deus po-
» test cogitari non esse, sive summa veritas, non tamen sim-
» pliciter sive generaliter, sed ex consequenti, sicut qui negat
» beatitudinem esse in Deo, negat eam esse. Hoc autem modo...
» aliquis intellectus cogitat, vel cogitari potest divinum Esse

» non esse. Alio modo potest cogitari aliquid non esse propter » defectum a parte intelligibilis, et huiusmodi defectus potest » esse dupliciter. Aut defectus praesentiae; aut defectus evi- » dentiae. Defectus praesentiae, utpote, quia non semper, quia » non ubique; aut quia quamvis semper et ubique, non ubique » totaliter. Quia non semper est, aliquando est, aliquando non; » et ideo aliquando vere potest cogitari non esse. Similiter de » eo, quod non est ubique, quia eadem ratione, qua potest co- » gitari non esse hic, potest cogitari non esse alibi. Similiter » de eo quod secundum partem adest, secundum partem ab- » est. Deus autem est semper et ubique; et totus semper et » ubique; ideo non potest cogitari non esse. Hanc rationem » assignat Anselmus in libro contra insipientem. Non solum » propter defectum praesentiae, potest cogitari aliquid non » esse: sed etiam propter defectum evidentiae, quia non est » evidens in se, nec est evidens in probando. Sed divini Esse » veritas est evidens et in se, et in probando. In se, quia si- » cut principia cognoscimus in quantum terminos (proprios) » et quia causa praedicati clauditur in subiecto, ideo se ipsis » sunt evidentia, sic et in proposito. Nam Deus, sive summa » Veritas est ipsum esse, quo nihil melius cogitari potest; ergo » non potest non esse, nec cogitari non esse. Praedicatum enim » clauditur in subiecto. Nec tantum habet evidentiam in se: » sed etiam ex probatione, quoniam divinam veritatem esse, » probat et concludit omnis veritas et natura creata: quia si » est ens per participationem et ab alio, est ens per essentiam » et non ab alio. Probat etiam ipsam et concludit omnis in- » telligentia recta, quia omni animae eius cognitio est impressa, » et omnis cognitio est per ipsam. Probat iterum ipsam et » concludit omnis propositio affirmativa. Omnis enim talis a- » liquid ponit: et aliquo posito, ponitur verum: et vero posito » ponitur veritas, quae est causa omnis veri.... Concedendum » est ergo quod tanta est veritas divini Esse, quod cum as- » sensu non potest cogitari non esse, nisi propter ignorantiam

» cogitantis, qui ignorat quid est quod per nomen Dei di-
» citur » (1).

341. *Q.* Quibus argumentis evincatur Deum existere?

R. Deum existere multiplici argumentorum genere evincit Magister noster: « Omnis enim creatura concurrit ad hoc speculum faciendum, et iungitur in hoc speculo, secundum viam ordinis, originis, et completionis. Primo tripliciter; secundum rationem posterioris ad prius, et inferioris ad superius, et temporis ad aevum, vel aevi ad aeternitatem. Manifestum enim est, si est posterius est prius, ergo et primum; ergo in isto ordine, per posteriora ad priora, et ad primum pervenitur. Omnia enim vel sunt posteriora, vel media, vel prima. Secundo est ordo inferioris ad superius, et superioris ad summum, quae habent essentialem ordinem, et dependentiam, secundum ordinem naturae; et non dicitur hic superius et inferius, secundum lineam praedicamentalem, sed secundum magis nobile, et minus. Tertio, est ordo temporis ad aevum, et aevi ad aeternitatem; quia si est aliquid propter aliud creatum, et illud creatum erit propter increatum: et increatum erit propter se. Ut si est res temporalis, propter animam, et anima propter Deum; necessario ergo Deus per se est. Secundum ordinem ergo causalitatis, dignitatis, finis, omnia declarant esse primum et ultimum in ratione producendi; sed ultimum in ratione fiendi. Hoc ergo secundum rationem ordinis. Alio modo creatura dicit Deum esse secundum rationem originis: ut si est ens creatum, est ens increatum; et si est ens per participationem, est ens per essentiam; si est ens per compositionem, est ens per simplicitatem; et si est ens per multiformitatem, est ens per uniformitatem, vel identitatem. Primo, dicendum quod omne creatum ponit causam, et universitas causatorum ponit causam primam universalem. Tunc quaero de

(1) I Sent., dist. 8, art. 1, q. 2 in concl.

» causa illa: aut est creata, aut non; si sic, est abire in in-
» finitum, si non, habeo propositum. Item ens per partecipa-
» tionem, ab eo habet esse, quod est ens per essentiam, quia
» fluit ab eo. Similiter omne compositum est a componenti-
» bus; similiter, et partes, cum sint dependentes ad invicem,
» sunt ab aliquo simplicissimo absoluto. Similiter de multifor-
» mitate; si enim est ens per multiformitatem, est ens per uni-
» formitatem, ut in muneris, quia necesse est devenire ad uni-
» tatem; hoc ergo ratione originis. Tertio modo ratione com-
» pletionis; si est esse potentiale, est esse actuale; si est esse
» mutabile, est esse immutabile; si est esse secundum quid, est
» esse simpliciter; si est esse dependens, est esse absolutum;
» si est esse in genere, est esse extra genus. Ens autem poten-
» tiale venit ex actuali esse, necessario in diversum; sed in eo-
» dem esse potentiale, praecedit esse actuale. Similiter muta-
» bile, est fluens ab immutabili fixo. Similiter creatura essen-
» tialiter dependens a primo, et materia, et forma, et etiam
» accidens magis dependet a Deo, quam a suo subiecto; quia
» Deus potest facere, ut sit sine subiecto, ut in Sacramento alta-
» ris: sed non, quod non dependeat ab eo. Similiter si est ens
» secundum quid, erit ens simpliciter in his, quae nata sunt esse
» simpliciter; ut si est sapiens secundum quid, est sapiens simpli-
» citer. Similiter ut removeatur instantia, est albus dente; ergo
» est albus simpliciter. Si est ens in genere, est ens extra genus;
» ens enim in genere habet differentias coarctantes, et tale non
» habet posse, esse et agere universaliter. Unde Deus est ens
» extra genus, et supra genus. Hae igitur speculationes ordinis,
» originis, et completionis, ducunt ad illud esse primum, quod
» repraesentant omnes creaturae. Hoc enim nomen scriptum est
» in omnibus rebus. Et sunt hae conditiones entis, super quas
» fundantur certissimae illationes. Unde dixit Auctor in libro
» *de Causis:* Prima rerum creaturarum omnium est esse; sed
» ego dico: prima rerum intelligentiarum est esse primum (1) ».

(1) In *Hexaem.* serm. 10.

Haec eadem veritas vividius illustratur illis eiusdem Doctoris verbis, in serm. 5 loc. cit.: « Intelligentia fertur in hanc » lucem tripliciter, ratiocinando, experiendo, intelligendo, ra- » tiocinabiliter, experimentaliter, intelligentialiter. Per viam » rationis sic: Si est ens productum, ergo est ens primum, » quia effectus ponit causam. Si enim est ens ab alio secun- » dum aliud, et propter aliud: ergo est ens a se, secundum » se, et propter se. Item si est compositum, oportet esse » simplex, a quo habet esse, quia omne quod recedit a sim- » plicitate, cadit in compositum. Item si est ens permixtum, » necesse est esse ens purum, creatura autem nulla pura. » Item si est ens secundum se variatum, necesse est esse fi- » xum, quia mobile reducitur ad immobile.... Et sic semper » quod movetur, movebitur per aliquod fixum. Item si dare » est alligatum, ergo absolutum. Omnis creatura alligata est » alicui generi praedicamentorum: sed quod alligatum est, non » mutuum dat alteri esse: ergo necesse est absolutum esse, a » quo recipiat esse. Item si est ens diminutum, necesse est » esse ens perfectum.... Sic fertur intelligentia ratiocinando: » fertur similiter experiendo. Sic productum respectu primi » defectivum est; similiter compositnm respectu simplicis: si- » militer permixtum respectu puri, et sic de aliis. Ergo di- » cuntur privationes; sed privationes non cognoscuntur, nisi » per habitus suos. Rectum enim est iudex sui et obliqui. Et » si omnis cognitio fit ex praeesistenti cognitione: ergo ne- » cessario intelligentia experitur in se, quod habeat aliquod » lumen, per quod cognoscat primum esse. Sic igitur his prae- » suppositis, intellectus intelligit, et dicit, primum esse nulli » vere esse convenit, nisi primo esse, et ab ipso omnia habent » esse, quia nulli inest, nisi primo esse. Similiter simplex esse, » est simpliciter perfectum esse; ergo est, quo nihil intelligitur » melius. Unde Deus non potest cogitari non esse, ut probat » Anselmus. Quando anima videt hoc familiariter, primo ra- » tiocinando, secundo experiendo, tertio intelligendo, tunc ibi » potest quiescere ».

342. *Q.* An praeter allata aliud sit argumentum de Dei existentia?

R. Allatis rationum momentis, additur aliud ex perpetuo et constanti omnium gentium consensu depromptum, quod sic exponitur. Constans generis humani et communis consensus, nequit esse fallax; sed in divinitate admittenda consentit genus humanum; ergo Deus existit. Maior patet ex dictis in scientia logicali. Minoris testes sunt, tum templa, tum altaria, tum dies festi instituti ubique terrarum, tum sacerdotes, tum ritus, quibus divinitas ab omnibus celebratur. Huic veritati favent scriptores tum catholici, tum ethnici. Pro catholicis scribit Clemens Alexandrinus, populos omnes, sive orientem colant, sive littora occidentis ultima teneant, sive ad septentrionem, sive ad meridiem habitent, Dei notitiam habere (1). Pro ethnicis pervulgata est sententia illa Ciceronis: nulla est gens tam immansueta, tamque fera, quae non, etiamsi ignoret qualem Deum habere debeat, tamen habendum esse sciat (2). Nec quis mihi dicat opinionem de Deo ortum ducere potuisse ex ignorantia, vel ex metu, vel ex praeiudicatis populorum sensibus, vel ex sacerdotum, et legislatorum fraude. Nam ignorantia a Deo abducit, scientia ad eumdem reducit, iuxta dictum Verulamii. Timor autem Dei, religionis est effectus non causa, quod Deum supponit. Praeiudicium vigere potest apud aliquos, non apud omnes, apud rudes, non apud doctos, tum veterum tum temporum recentiorum. Sacerdotes Deum subaudiunt; denique legislatores ex auctoritate divina leges suas constabilire adlaborantes, supponunt religionem, et religio Deum subaudit.

343. *Q.* An doctrina seraphica de Dei existentia, falso ontologismo faveat?

R. Ontologismo, sive sisthemati, quo statuitur mentem nostram intueri, sive immediate cognoscere Deum, et ab hac

(1) Lib. 5 *Stromatum* num. 260.

(2) *De Legibus*, lib. 1, cap. 8.

intuitione omnem esse originem nostrarum cognitionum, a Mallebranche et Gioberti invecto, non solum doctrina seraphica non favet, sed apertissime, totis nervis, adversatur. Adversatur primo, quia nunquam protulit, Deum per modum obiecti *immutantis* et *moventis* intellectui inesse, imo aperte negavit, non solum pro praesenti conditione, sed pro statu innocentiae. Adversatur secundo, quia scripsit: « si quae auctoritates illud » dicere inveniantur, quod Deus in praesenti ab homine vi- » detur et cernitur, non sunt intelligendae, quod intelligatur » in sua essentia (inferius dicit in sui substantia) sed *quod in* » *aliquo effectu inferiori* cognoscitur » (1). Adversatur tertio, quia in Itinerario aperte dictavit haec verba; « cum secun- » dum statum conditionis nostrae, ipsa rerum universitas sit » scala ad ascendendum in Deum, et in rebus quaedam sint » vestigium, quaedam imago, quaedam corporalia, quaedam » spiritualia, quaedam temporalia, quaedam aevi aeterna, ac » per hoc, quaedam extra nos, quaedam intra nos; ad hoc quod » perveniamus ad primum principium considerandum, quod » est spiritualissimum, et aeternum, et supra nos; oportet nos » transire per vestigium, quod est corporale, et temporale, et » extra nos, et hoc est deduci in via Dei. Oportet etiam nos in- » trare ad mentem nostram, quae est imago Dei aevi aeterna, et » spiritualis, et intra nos, et hoc est ingredi in veritatem Dei. O- » portet etiam nos transcendere ad aeternum spiritualissimum, » et supra nos, aspiciendo ad primum principium, et hoc est » laetari in Dei notitia et reverentia maiestatis » (2). Adversatur quarto: capite enim secundo scribit: « Omnes creaturae » istius sensibilis mundi, animum contemplantis, et sapientis » ducunt in Deum aeternum, pro eo quod illius primi prin- » cipii.... illius aeternae artis, lucis et plenitudinis, illius, in- » quam, artis efficientis, exemplantis, et ordinantis, sunt um-

(1) II Sent., dist. 23, art. 1, q. 3.

(2) Cap. 1.

» brae, resonantiae, et picturae, sunt vestigia, simulacra et
» spectacula, nobis ad contuendum Deum proposita, et signa
» divinitus data. Quae, inquam, sunt sicut exemplaria, vel po-
» tius exempla proposita mentibus adhuc rudibus, et sensi-
» bilibus, ut per sensibilia quae vident, transferantur ad in-
» telligibilia, quae non vident, tamquam per signa ad signata. »
Adversatur quinto; capite enim tertio, falsis ontologis viam praecludit. Nam exorditur a facto psicologico memoriae, intellectus et voluntatis; et ex his potentiis ad veritatem primam pertingit, ab effectu ad causam assurgendo. « Considera
» igitur, ait Doctor, harum trium potentiarum operationes et
» habitudines, et videre poteris Deum per te, tamquam per
» imaginem, quod est videre per speculum, et in enigmate ».
Adversatur denique; quia scientias enumerans ac perstringens quibus mens humana perficitur et informatur, concludit: « o-
» mnes autem istae scientiae habent regulas certas et infal-
» libiles, tamquam lumina et radios descendentes a lege ae-
» terna, in mentem nostram. Et ideo mens nostra, tantis splen-
» doribus irradiata et superfusa, nisi sit coeca, manu duci po-
» test per se ipsam, ad contemplandam lucem illam aeter-
» nam » (1). Sed Divus Bonaventura affirmavit, Deum primo ab anima videri. et sine ipso, nihil ipsam videre posse. — Affirmavit quidem sed diverso ontologorum sensu. Seraphicus enim, ut perbelle observat Ludovicus noster a Castroplanio, de ea visione loquitur, quae conceptum entis universalissimi *plene* resolvit; plena autem resolutio non habetur, nisi assurgendo ad summum ens. Cum ergo entis idea plene resolvitur, primo *Esse* absolutum occurrit menti et per ipsum, alia, scilicet ens universalissimum, tum particulare finitum; primum quidem, quia eius intelligibilitas nulla foret, nisi illam ab intelligibilitate summi Esse participaret; nec eius conceptus omnium imperfectissimus et potentialissimus, quo minor esse

(1) Loc. cit. cap. 3.

non potest, secerni valeret a conceptu entis perfectissimi et actualissimi, quo maior non cogitatur, nisi istius lux, per idealem eius repraesentationem vel similitudinem, affulgeret menti: Alterum vero, quia ens finitum, qua tale *plene* non dignoscitur, nisi eius dependentia ab infinito esse perspiciatur. Audiatur iterum Bonaventura: « Ens autem, cum possit cogitari, ut di-
» minitum et ut completum, ut imperfectum et ut perfectum,
» ut ens in potentia et ut ens in actu, ut ens secundum quid
» et ut ens simpliciter, ut ens in parte et ut ens totaliter, ut
» ens transiens et ut ens manens, ut ens per aliud et ut ens
» per se, ut ens per mixtum non enti et ut ens purum, ut ens
» dependens et ut ens absolutum, ut ens posterius et ut ens
» prius, ut ens mutabile et ut ens immutabile, ut ens simplex
» et ut ens compositum; cum privationes et defectus nulla-
» tenus possint cognosci, nisi per positiones, non venit intel-
» lectus noster ut plene resolvens intellectum alicuius entium
» creatorum, nisi iuvetur intellectu entis purissimi, actualis-
» simi, completissimi et absoluti; quod est simpliciter et ae-
» ternum ens, in quo sunt rationes omnium in sua puritate.
» Quomodo autem sciret intellectus, hoc esse ens defectivum
» et incompletum, si nullam haberet cognitionem entis absque
» defectu omni » (1). Diximus ens finitum, qua tale *plene* non dignosci, nisi eius dependentia ab infinito esse perspiciatur. Quamquam enim concedamus ens finitum, hoc ipso quod est, concipi posse *praecise,* quatenus est entitas, quin mens consideret num limitata sit vel non; item considerari posse, uti finitum, per comparationem ad maiorem, qua caret, perfectionem, quae tamen non sit infinita; duplex nihilominus huiusmodi cognitio plena non est, quia ex ipsa, relatio ac dependentia haud innotescit entis finiti ab infinito, quod causa existit cur sit et intelligatur (2). Nullus igitur error, in sera-

(1) Itin. cap. 3.

(2) *In disquisitione historico-theologica Fr. Ludovici a Castroplanio,* pag. 73, cap. 3.

phica demonstratione, occurrit; cuncta e converso argumenta falsum ontologismum confodiunt, et severiori methodo fulciuntur.

CAPUT II.

DE ESSENTIA DEI.

344. *Q.* Quid sit Deus?

R. Facilius, dicimus cum Augustino, quid Deus non sit, quam quid sit. Terram cogitas? non est hoc Deus; mare cogitas? non est hoc Deus; omnia quae sunt in terra?.... non est hoc Deus; omnia quae sunt in mari, quae volant per aerem? non est hoc Deus; quidquid lucet in coelo.... ipsum coelum? non est hoc Deus; Angelos cogitas? non est hoc Deus, et quid est? (1). Summe, optime (sic eum invocat idem Augustinus, in libro I. *Confessionum* cap. 4) potentissime, omnipotentissime, misericordiosissime, et ditissime, secretissime et praesentissime; pulcherrime et fortissime; stabilis et incomprehensibilis; immutabilis, mutans omnia; nunquam novus, nunquam vetus; innovans omnia et in vetustatem perducens superbos et nesciunt; semper agens semper quietus; colligens et non egens; portans et implens et protegens; creans et nutriens et perficiens; quaeris, cum nihil desit tibi; amas nec exstuas; zelas et securus es; poenitet te et non doles; irasceris et tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod invenis, et nunquam amisisti; nunquam inops et gaudes lucris; nunquam avarus et usuras exigis; supererogatur tibi ut debeas; et quis habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens, dans debita et nihil perdens. Quid est ergo Deus, hoc solum potui dicere quid non sit. Erit ne ergo inferendum a nobis, de Dei natura nihil prorsus sciri posse cum Iulio Simon?

(1) *Enarrationes in Psalm.* 85, num. 12.

imo contrarium; quia, qui est supra omnia, quae sunt, imo super ipsum esse, est maxime infinite perfectus, et perfecte infinitus.

345. *Q.* Quanta sit excellentia divinae essentiae?

R. Divinae dignitatis excellentia tanta est, ut verbis utamur Magistri « quod mens de Deo cogitans deficit, cum sit » incomprehensibilis. Sensus eum non percipit, cum sit invisi- » bilis, lingua ipsum non explicat, cum sit ineffabilis, locus » eum non capit, cum sit incircumscriptibilis. Scriptura eum » non explicat, cum sit inaestimabilis, tempus eum non mensu- » rat, cum sit immensurabilis; virtus eum non attingit, cum » sit inaccessibilis; desideria et vota transgreditur, cum sit » insuperabilis, vel incomparabilis; et breviter, omnis crea- » tura ad Deum comparata defectum habet; quia finiti ad in- » finitum, nulla est proportio. Ecce patet, quod divina excel- » lentia nullius eget, quia sibi sufficit. Non enim indiget cor- » pore, ut sit; nec loco, ut alicubi sit; nec tempore, ut aliquando » sit; nec causa, ut aliunde: nec forma, ut materia sit; nec » subiecto, in quo subsistat, vel cui assistat. Sunt et alia, quae » soli divinae maiestati conveniunt, et nulli aliae creaturae, » in quibus excellentiae suae dignitas apparet; sicut est esse » omnipotentem, omnibonum, omniscientem, quia cognoscit o- » mnia, praesentia, praeterita et futura, et omnia singularia » simul actu solus cognoscit ea, quae subsunt libero arbitrio, » et cogitationes hominum solus cognoscit per se ipsum. Item » ad ipsum solum pertinet, ubique praesentem esse, de nihilo » res creare, in istanti operari, in operatione quietum esse, » mirabilia facere ex auctoritate; de qualibet creatura facere » quod vult, voluntatem hominis cognoscere, in ictu oculi mor- » tuos suscitare, essentiae animae illabi, peccata dimittere, » gratiam infundere, in igne perpetuo corpus servare. Quando » aliquid creaturae convenit, quod competit Creatori, tamen » excellentius de Deo dicitur. Ut si in creatura est potentia, » in Deo sit summa potentia; si sapientia, in Deo sit summa

» sapientia et sic de aliis. Augustinus in libro de Trinitate ; » oportet Deum, ut est, et summe vivere, et cuncta sentire, at» que intelligere, nec mori, nec corrumpi, nec mutari posse; » nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, iu» stissimum, speciosissimum, optimum, beatissimum fateamur. » Potest etiam praeter auctoritatem ratiocinari; quia bona » sunt excellentius in Deo, quam in creatura, quia semper est » aliquid nobilius in causa, quam in causato: videmus etiam, » quod aqua purior est in fonte, quam in rivo; radii quoque » solis lucidiores sunt in ipso sole, quam in aere, et dulcedo » maior est in melle, quam in melito » (1).

346. *Q.* Quomodo dividantur perfectiones divinae?

R. Alii perfectiones divinas dividunt in affirmativas, et negativas, prout per affirmationem vel per negationem aliquid de Deo praedicatur. Ad affirmativas, omnipotentia, omniscientia, ad negativas, infinitas, immensitas, spectant. Alii distinguunt in immanentes et transeuntes, prout nullam vel aliquam actionem important. Sic simplicitas ad immanentes, et omnipotentia ad transeuntes reducitur. Alii discernunt in perfectiones comunicabiles et non comunicabiles, in physicas et morales. Si possunt communicari finitis, communicabiles, si non, incommunicabiles dicuntur. Si spectant ad infinitam Dei substantiam appellantur physicae, si ad voluntatem, morales vocantur. Nos autem bifariam distribuemus, in attributa absoluta et relativa, prout considerantur in se ipsis, vel relationes, ad res creatas, important.

347. *Q.* Utrum sit absolute necessaria haec perfectionum distinctio?

R. Cum humana Dei cognitio a perfectionibus creaturae exordium ducat, fit necessario, ut in Deo plura distinguamus attributa; sive ut non obvolvamur in omnimoda confusione, dum quaerimus quid sit Deus: sive ut in manifestas absurditates non impingamus, quando de Deo est eloquendum.

(1) *Comp. theol. verit.* lib. 1, cap. 21.

348. *Q.* Quibus elementis constet fundamentum huius partitionis?

R. Duplici elemento. Primum est ipsa infinita Dei perfectio, quae licet in se sit una, pluribus tamen aequivalet perfectionibus; et hoc fundamentum distinctionis, est Deo intrinsecum. Alterum fundamentum est imperfectio nostrae mentis, et modus, quo cognoscit; et illud est Deo extrinsecum.

349. *Q.* Utrum in Deo sint omnes perfectiones?

R. Cum Deus sit ens, quo nihil melius cogitari potest, hoc ipso perfectiones omnes in se habeat necesse est, aliter iam Deus non esset. Omne igitur, quod perfectionem in creatis redolet, in Deo reperitur, ast infinite perfectius. Unde S. Anselmus in Monologio c. 15. Quidquid igitur de illa (divina natura) dicatur non qualis, et quanta, sed magis quid sit monstratur. Sed palam est, quid quod libet bonum summa natura sit, summe illud est. Illa igitur est summa essentia, summa vita, summa ratio, summa salus, summa iustitia, summa sapientia, summa veritas, summa bonitas, summa magnitudo, summa pulchritudo, summa immutabilitas, summa incorruptibilitas, summa immortalitas, summa beatitudo, summa aeternitas, summa potestas, summa unitas. Ecquis porro huiusmodi ens tam perfectum toto corde non diligat?

350. *Q.* In quanam perfectione sit ponendum constitutivum Dei metaphysicum?

R. Circa hanc quaestionem, quatuor sunt philosophorum sententiae. Prima Nominalium, qui in cumulo omnium perfectionum constituunt; secunda Scotistarum, qui constitutivum Dei ponunt in infinitate radicali; tertia Thomistarum, qui in actuali intellectione. Quarta denique sententia, quae effecta est communis, est illorum, qui in asseitate, Dei constitutivum collocant. Huic opinioni a nobis, pleno animo, adhaerendum est. Essentiale enim constitutivum rei debet esse primo et per se, debet esse distinctivum, fons et omnium radix, debet esse intrinsecum. Atqui haec omnia egregie asseitati competunt; nam

Dei asseitas tam intima est, ut nihil ea prius, nec intimius cogitari possit; distinctiva, quia discernit a creaturis, quae sunt ab alio; est fons omnium, quia ex ipsa reliqua attributa fluunt; denique est prima et per se, quia ex asseitate sequitur necessitas habendi omnes perfectiones possibiles. Ergo asseitas est formale Dei constitutivum.

351. *Q.* An Deus sit in aliquo genere determinato?

R. Esse in uno genere determinato Deo non convenit. Non convenit, et ratio Doctoris est « quia Deus est bonus sine qua» litate, magnus sine quantitate; ergo magnitudo Dei non est » in genere quantitatis, nec bonitas in genere qualitatis; ergo » nec substantia in genere substantiae; ergo in nullo genere. » Non convenit « quia omne quod est in genere determinato, » habet esse finitum et limitatum. Deus autem est infinitus; » ergo etc. Non convenit, quia quod habet in se res plurium » generum est compositum. Deus autem est simplicissimus; ergo » etc. » Sed si non convenit esse in uno genere determinato quia omne tale habet esse arctatum et compositum, nec in pluribus generibus esse potest. « Aut enim, notat citatus Do» ctor, aliquid est in pluribus propter naturarum et proprie» tatum diversitatem; ut album, in quantum dicit aliquod sine » re album, est in genere substantiae, sed in quantum dicit » formam, quae est albedo, est in praedicamento qualitatis. » Aut propter generalitatem, sicut unum et ens, et propter » naturarum multiplicitatem, non potest Deus esse in pluri» bus, quia omne tale, compositum est et multiforme, Deus » autem simplex. Non propter generalitatem, quia ens tale, » nihil est habens distintinctum a rebus creatis. Deus autem, » est habens in se ens distinctum a rebus, et habens esse sim» plex et infinitum; et ideo nec in uno genere, nec in pluribus » esse potest » (1). Dices ergo cum Hegellianis, Deum esse indeterminatum et impersonalem? Absit; aliquid enim dicitur

(1) I Sent. dist. 8, q. 4, p. 2.

determinatum dupliciter, primo modo ratione limitationis, alio modo ratione distinctionis. Essentia autem divina non est determinata primo modo, sed secundo. Deus enim distinguitur sed, ut scripsit Doctor, se ipso (1).

CAPUT III.

DE ATTRIBUTIS DEI ABSOLUTIS.

352. *Q.* An Deus sit unus tantum?

R. « Esse plures Deos, non solum, ex Duce nostro, non est » possibile, sed neque intelligibile, si proprie intelligatur si- » gnificatus huius nominis *Deus*. Deus enim dicit simpliciter » summum, et in re et in opinione cogitantis. Quia in re, ideo » omnia ab ipso et in ipso, et ad ipsum, et in ipso omnino » est status; ideo impossibile est intelligere, salvo hoc intel- » lectu, quod aliquid sibi parificetur aliud ab ipso. Item, nihil » maius Deo cogitari potest, nec etiam aequale, quia summum » in opinione, ideo impossibile, et non intelligibile est ponere » plures deos. » Haec eadem veritas, comprobatur a Duce nostro, per deductionem ad impossibile. « Si sunt duo dii, aut » unus est ubi alius, aut non est; si unus ubi alter, ergo unus » in altero, cum sint eodem modo essendi. Ergo unus est al- » teri materialis, ergo alter non est Deus. Si unus est non ubi » alter; ergo uterque limitatus, ergo neuter infinitus. Insuper » si plures sunt dii boni, aut unus intelligit alterum, aut non. Si » non, ergo uterque ignorans; si intelligit, aut ergo per praesen- » tiam, aut per speciem, aut per se ipsum. Si per praesentiam, » ergo unus in altero; ergo Deus illabitur Deo, et perficit Deum. » Si per speciem, ergo compositus. Si per se ipsum, ergo unus » exemplar alterius, ergo et principium. Denique, si duo sunt dii » diversi, quorum uterque est summum bonum, aut unus di- » ligit alterum, ut diligendus est, aut non; si sic, cum uterque

(1) Loc. cit. ad 1.

» sit summum bonum, uterque est diligendus, amore fruitio-
» nis; ergo uterque fruitur altero; sed qui fruitur alio bono a
» se, illo indiget; ergo unus indiget alio; ergo uterque est in-
» digens; ergo neuter est Deus: ergo unus tantum » (1). Absurdus est igitur politeismus, Gnosticorumque doctrina, qui plures Deos, aut Eones esse docuere.

353. *Q.* An unum solum sit principium ?

R. Sicut unus Deus solus est, sic unum solum principium est, quod multiplici ratione ostendit Magister. « Primo sic :
» quoniam si duo principia sunt, unum scilicet summe bonum,
» et aliud summe malum, aut communicant in existere per se,
» ut Socrates et Plato, aut non. Si non, ergo alterum illorum
» erit ens per aliud, et ita non erunt duo principia. Si sic,
» sed existere per se bonum est, malum autem plus esset ma-
» lum, si non haberet illud bonum; ergo non est summe ma-
» lum, quia si esse per se haberet, hoc ipsum esse, quod est
» bonum, summe malum esse non sineret. Praeterea in crea-
» turis quatuor inveniuntur, scilicet, multitudo, ordo, imper-
» fectio et connexio. Secundum quodlibet istorum probatur
» unum tantum esse principium. Omnis enim multitudo ab
» unitate trahit originem: ergo necesse est omnis multitudinis
» unum esse principium. Item, omnis ordo, cum habeat prius
» et posterius, oportet, quod unum habeat principium. Item....
» omne imperfectum, ab aliquo simpliciter perfecto trahit ori-
» ginem, et hoc est Deus noster. Item omnis connexio diver-
» sorum, causam habet suae connexionis et conservationis ad
» unum, et hoc est Deus (2) ». Abnormis est igitur dualismus Manicheorum, Persarum et Albigensium, qui duo posuerunt principia, bonum unum, malum alterum, tum ratione dignitatis, tum ratione antecessionis, tum ratione causalitatis.

354. *Q.* An cum Dei unitate pugnet personarum pluralitas?

(1) I Sent. dist. 2, q. 1, art. 1.

(2) In *Comp. theol. verit.* lib. 1, cap. 3.

R. Personarum pluralitas non pugnat cum unitate Dei, imo est ponenda; et sic ostenditur a Magistro, supponendo de Deo quatuor. Primum est, quod in Deo sit summa beatitudo. Se- » cundum est, summa perfectio. Tertium est, summa simplici- » tas. Quartum est, summa primitas. Ex prima suppositione » arguitur sic: ibi est summa beatitudo; sed ubicumque est » summa beatitudo, est summa bonitas, summa charitas, et sum- » ma iucunditas; sed si est summa bonitas, cum bonitatis sum- » mae sit se communicare, et hoc est maxime in producendo » ex se aequalem, et dando esse suum; ergo etc.... Si summa » charitas; cum charitas non sit amor privatus, sed ad alterum: » ergo requirit pluralitatem; item, si summa iucunditas, cum » nullius boni, sine socio, sit iucunda possessio, ergo ad sum- » mam iucunditatem requiritur societas, et ita pluralitas. Ex » secunda suppositione arguitur sic: Ibi est summa perfectio, » sed perfectionis est producere talem, qualis ipse est in na- » tura; ergo necesse est ibi esse multiplicationem; sed hoc » non potest esse secundum aliam essentiam; ergo oportet, » quod sit secundum aliam personam sive suppositum. Ex ter- » tia suppositione arguitur sic: ibi est summa simplicitas; sed » simplicitatis est, quod aliqua natura sit in pluribus, ut patet » in universali, sed, ex defectu simplicitatis est, quod numere- » tur in illis; ergo si in Deo est simplicitas in nihilo deficiens, » est in pluribus non numerata essentia, ergo etc.... Ex quarta » suppositione arguitur sic: ibi est summa primitas; sed quanto » aliquid est prius, tanto foecundius est, et aliorum princi- » pium; ergo sicut essentia divina, quia prima, est principium » aliarum essentiarum; sic persona Patris, cum sit prima, quia » a nullo est principio, habet foecunditatem respectu perso- » narum; sed foecunditas in Deo, respectu Dei, non potest » esse, nisi actui coniuncta; ergo necesse est, plures esse per- » sonas (1) ».

(1) I. Sent., dist. 2, q. 2, art. 1.

Magistri rationibus consonant carmina Vatis divini in 33 Paradisi.

Nella profonda e chiara sussistenza
  Dell'alto Lume parvemi tre Giri
  Di tre Colori e d'una Contenenza.
E l'un dall'altro, come Iri da Iri
  Parea riflesso, e il terzo parea fuoco,
  Che quinci e quindi egualmente si spiri.

. . . .

O Luce eterna, che sola in te sidi,
  Sola t'intendi, e da te intelletta
  E intendente, te ami ed arridi!

356. *Q.* Utrum Deus sit summe simplex?

R. Summa simplicitas est in Deo, et Magister evincit quatuor argumentis. Primum argumentum est quia « omne pri-
» mum est simplicissimum: quia quanto aliquid prius tanto
» simplicius; sed Deus est primum in genere entium, eo quod
» nec est, nec esse potest, nec cogitari prius; ergo est ita sim-
» plex, quod ipso nihil simplicius esse potest, vel cogitari; ergo
» est simplicissimum. Secundum argumentum est, quia omne
» quod est quidquid habet, est simplicissimum. Deus est quid-
» quid habet, ergo etc. Prima patet in se; minor probatur sic:
» Deus habet potentiam, sapientiam et sic de aliis: aut ergo
» est sua potentia, aut non. Si sic, habeo propositum. Si non
» est sua potentia, cum sit potens potentia, habet posse ab
» alio; ergo Deus est ab alio, quod si hoc est falsum; ergo il-
» lud, ex quo sequitur. Tertium argumentum est, quia in esse
» nobilissimo debet omnis conditio nobilitatis poni in summo;
» sed Deus est ens nobilissimum, et simplicitas est conditio
» nobilitatis; ergo ponenda est in Deo in summo; ergo Deus
» est summe simplex. Quartum argumentum est, quia quanto
» aliquid simplicius, tanto potentius in virtute et e converso,
» quia virtus unita plus potest, quam multiplicata; sed Deus

» est infinitus et immensus virtute: ergo est infinitus simpli-
» citate: ergo in Deo est summa simplicitas (1).

357. *Q.* An soli Deo conveniat summe simplicem esse?

R. Soli Deo convenit summa simplicitas, et Magister quadruplici modo comprobat. Primo quia « nulla creatura est
» actus purus, quia in omni creatura differt quo est, et quod
» est; ergo in omni creatura est actus cum possibili; sed o-
» mnis talis habet in se multiformitatem, et caret simplicitate;
» ergo etc. Secundo, quia omnis creatura habet esse finitum
» et limitatum: ergo habet esse arctatum: sed ubicumque est
» esse limitatum, est ibi aliquid, quod contrahit, et aliquid, quod
» contrahitur, et in omni tali est compositio et differentia;
» ergo omnis creatura est composita; ergo nulla simplex, ergo
» etc. Tertio, quia omnis creatura habet esse datum aliunde;
» ergo habet esse aliunde acceptum; ergo nulla creatura est
» suum esse; ergo in omni creatura est dependentia, sive dif-
» ferentia; sed nullum tale est simplex simpliciter, ergo etc.
» Quarto, quia omne quod est post primam unitatem, deficit
» ab illa; ergo statim cadit in dualitatem....: ergo omnis crea-
» tura est a prima unitate; ergo omnis creatura est ab illa
» deficiens (2) ». Ergo soli Deo convenit summa simplicitas.

358. *Q.* An Deus sit immutabilis?

R. Deus stabilis manens dat cuncta moveri, ut saepe diximus cum Boetio ac Duce nostro, unde divina essentia est immutabilis. Immutabilis quia « omnis mutatio aut est secundum
» substantiam, aut secundum accidens. Sed Deus non mutatur
» secundum substantiam, quia omne tale est corruptibile: Deus
» autem.... cum non habeat principium, est incorruptibilis. I-
» tem, nec secundum accidens, quia in Deo non est accidens;
» ergo nulla in eo est mutatio. Immutabilis, quia omne quod
» mutatur per prius est in potentia, quam in actu, et in tali

(1) I. Sent., dist. 8, par. 2, art. 1, q. 1.
(2) I. Sent., dist. 8, par. 2, art. 1, q. 2.

» differt actus a potentia; sed Deus est purus actus; ergo nullo » modo mutatur. Immutabilis, quia omnis mutatio, aut est in » statum meliorem, aut deteriorem, aut parem; sed nullo isto- » rum modorum mutatur divina natura, non in meliorem, quia » verissime est; non in deteriorem, quia a semetipsa est; non » in aequalem. quia perfecta est; ergo nullo modo convenit » divino esse mutabilitas » (1).

359. *Q.* An solus Deus sit immutabilis?

R. Immutabilitas sic convenit divinae essentiae, ut nulli convenire possit creaturae; et Ducis nostri rationes quinque sunt: Prima ratio est: « quia omne vertibile est mutabile; sed omnis » creatura est vertibilis, omne enim, quod a versione incipit » in versionem tendit, ergo etc. Secunda ratio est, quia omne, » quod sibi relictum in nihilum cedit, quantum est de se est » mutabile; sed omnis creatura est huiusmodi; unde Grego- » rius: cuncta in nihilum tenderent, nisi manus Conditoris ea » retineret, ergo etc. Tertia ratio est, quia nullum accidens, de » se habet stabilitatem; sed esse, omni creaturae accidit... » quia ab alio venit: ergo omnis creatura, quantum ad esse » est instabilis. Quarta ratio est, quia omne vanum, est subie- » ctum variabilitati; sed omnis creatura vana, cum sit ex ni- » hilo; ergo, sicut omnis creatura vana, nulla immutabilis est. » Quinta ratio est, quia omne mutatum habet in se mutabi- » litatem; sed omnis creatura facta est; ergo omnis creatura » mutata; ergo nulla immutabilis » (2). Ergo immutabilitas soli Deo convenit.

360. *Q.* Utrum Deus sit aeternus?

R. Deus est aeternus, quia illud est aeternum, quod nec initium, nec finem, nec successionem ullam in se admittere potest: sed talis est Deus, quia si aliquando incoepisset esse, tum nec unus, nec necessarius, sed contingens esset, quia si desi-

(1) I. Sent., d. 8, p. 1, art. 2, q. 1.
(2) I. Sent., dist. 8, art. 2, q. 2.

nere posset, non essentia sua, sed contingenter existeret et eius duratio ab alio penderet, quia si successionem admitteret esset mutabilis; sed hoc esse non potest; ergo Deus est aeternus. Magister noster alteram addit rationem: Si (Deus) « est primum perpetuans, est omnino in actu, et nihil in po- » tentia; et si hoc, cum possit facere durare aliud in infini- » tum, ipsum est actu infinitum duratione, ergo aeternum » (1). Insuper summe immutabile nec habet posterius nec prius: ergo aeternum. Ad hoc explanandum serviant verba Sancti Petri Damiani, qui sic loquitur. « Omnipotenti itaque non est heri » vel cras, sed hodie sempiternum, cui nihil desinit, nihil ac- » cedit, cui nihil est varium, nihil a se diversum. Illud hodie, » aeternitas est incommutabilis, indefectiva, inaccessibilis, cui » videlicet nihil addi, nihil valet imminui. Et omnia, quae apud » nos elabendo discurrunt, aut per temporum vicissitudines » se variant, apud illud hodie stant, et immobiliter perseve- » rant. In illo scilicet hodie, dies ille adhuc immobilis est, in » quo mundus iste sumpsit originem; in illo etiam nihilomi- » nus est, quo iudicandus est, per aeterni iudicii aequitatem » (2). Concludendum est igitur cum Magistro « sicut Deus ubique » est, et tamen nullo loco circumscribitur, vel continetur, sic » aeternus est; et tamen nullo tempore mensuratur. Non enim » ei competit tempus praesens, nec praeteritum, nec futurum; » nam tempus praesens, manens esse non habet, quia per- » transit, Deus autem semper idem manet... Similiter tempus » praeteritum modo non est, nec habet esse subsistens; sed de » Deo dicitur in Psalmo: Ipsi peribunt tu autem permanes. » Similiter tempus futurum non est, sed expectatur. Deus au- » tem semper est. Unde Mercurius: sola monas est α et ω, sine » α et ω, hoc est quia Deus est principium sine principio et » finis sine fine. Cum enim simplex sit omnino, non habet in

(1) I. Sent., dist. 3, par. 1, dub. 5.

(2) Caiet, Sanseverino, *Theolog. natur.* opusc. 36, cap. 8.

» se principium contrarietatis, quod est causa corruptionis » Quid autem sit aeternitas secundum rem, sciendum quod » proprie dicitur diuturnitas, sine principio, et sine fine, et mu- » tabilitate. Et secundum hoc convenit aeternitas soli divinae » naturae, in qua est diuturnitas immensa. Aeternitas vero, » secundum etymologiam dicitur, quasi extra terminos, quia » termino caret, tam initiali quam finali; sed secundum defi- » nitionem Boetii in Lib. de Consolatione, aeternitas est in- » terminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.... Patet » igitur ex praedicta definitione, quod tres ponuntur ibi con- » ditiones, quae sunt inseparabiles ab aeternitate increata, » quae Deus est, scilicet, interminabilitas, ibi *interminabilis* » *vitae possessio.* Item invariabilitas, ibi, *tota simul;* nihil enim » variabile est in Deo, sed totum simul. Item simplicitas, ibi, » *perfecta.* Illud enim summe perfectum est, cui non est pos- » sibilis aliqua additio. Per primum separatur Deus ab omni » corruptibili. Per secundum ab omni variabili. Per tertium » ab omni composito » (1).

361. *Q.* An Deus sit immensus?

R. Immensus est ille, qui licet sit supra omnia per excellentiam suae naturae, tamen habet virtutem, ut sit in omnibus rebus et locis, per potentiam, per praesentiam, per essentiam. Sed talis est Deus, quia summe simplex, et perfectissimus. Quia enim summe simplex, ad nihil arctatur, ideo in omnibus invenitur. Quia summe simplex ideo, ut loquitur Magister, « in infinitum virtuosissimus, et ideo virtus eius in » omnibus, et virtus idem est quod substantia, et ideo ne- » cesse est, quod sit in omnibus ». Eadem veritas declaratur, ex impossibili, a Doctore, « quia si Deus est in una re, ita » quod non in alia; aut potest esse in illa, in qua non est, aut » non: si non potest, ergo non est omnipotens. Si potest esse » et non est, cum res non mutetur: ergo mutari potest; ergo

(3) In *Comp. theol. verit.* lib. 1, cap. 18.

» si Deus non est in omnibus rebus, aut non est omnipotens, » aut mutabilis, quorum utrumque est impossibile ». Sed est et tertia Doctoris ratio deprompta a debilitate creaturae: » quia creatura habet in se possibilitatem, et vanitatem, et » utriusque causa est, quia producta est de nihilo. Quia enim » creata est, et accepit esse ab alio, qui eam fecit esse, cum » prius non esset, ex hoc non est suum esse; et ideo non est » purus actus; quia habet possibilitatem et, ratione huius, ha- » bet fluxibilitatem, et variabilitatem, ideo caret stabilitate, » et ideo non potest esse, nisi per praesentiam eius, qui dedit » ei esse. Et exemplum huius apertum est in impressione for- » mae sigilli in aqua, quae non conservatur ad momentum, » nisi praesente sigillo. Et iterum, quia creatura de nihilo » producta est, ideo habet vanitatem; et quia nihil vanum in » se ipso fulcitur, necesse est quod omnis creatura substen- » tetur per praesentiam veritatis; et est simile, si quis po- » neret corpus ponderosum in aere, quod est quasi vanum, » non substentaretur, sic et in proposito » (1). Deus igitur erit ne ubique localiter? Hoc non dico, maxima enim esset in Deo imperfectio. Nam quadruplex est conditio loci ad locatum, scilicet, continere, salvare, mensurare et terminare. Continet ut vas, mensurat ut quantitas, salvat ut natura, terminat ut finis. Sed Deus secundum nullam harum conditionum comparatur ad locum; ergo Deus non est ubique localiter. Attamen, si non est ubique localiter, tamen per praesentiam, ut docet Magister « supplet loci indigentiam. Nam locatum per » praesentiam replet distantiae vacuitatem. Deus autem, per » praesentiam replet vacuitatem essentiae; et illa quidem sine » hac esse non potest » (2).

362. *Q.* An soli Deo esse ubique conveniat?

R. « Esse ubique convenit soli Deo proprie et singulariter,

(1) I Sent., dist. 37, part. 1, art. 1, q. 1.

(2) Loc. cit. q. 2 in conclus.

» ita quod nulli convenit ali, nec intelligi potest convenire, si » recte intelligatur. Et prima Doctoris ratio est, quia ubique » esse, est Deum esse; sed nulli creaturae convenit Deum, esse, » imo hoc est Dei proprissimum; ergo nulli creaturae conve- » nit esse ubique; omnis enim creatura est certis suae naturae » circumscripta limitibus. Secunda ratio est, quia omnis crea- » tura per se existens et in se, est hoc aliquid; sed omne quod » est hoc aliquid, est singulare, et omne singulare, est hic et » nunc, et nihil tale natum est esse ubique: ergo solius Dei » est esse ubique. Ultima ratio est, quia conditio ista, qua » Deus est ubique, convenit Deo ratione suae immensitatis; » sed immensitas est proprietas solius Dei, quae nulli crea- » turae, potest convenire; ergo nec esse ubique. » (1).

363. *Q.* An esse ubique ab aeterno Deo conveniat?

R. Esse ubique, dupliciter potest accipi de Deo, respondet Magister, sicut et esse semper. « Uno enim modo, *semper* im- » portat divinam immensitatem, secundum durationem, et sic » idem est quod aeternitas, et convenit Deo aeternaliter. Alio » modo connotat simultatem temporis, et sic convenit ei a » principio temporis.... Ad illud quod obiicitur, quod si Deus » non fuit ubique et modo est, ergo est mutatus, dicendum, » quod non sequitur, quia hoc non est propter mutationem Dei, » sed rerum » (2). Utputa si, aere illuminato, intelligatur creari crystallus, radius incipit esse in eo; et crystallo amoto, desinit esse, nulla facta mutatione in radio (3).

364. *Q.* An Deus sit mutabilis per loca et tempora?

R. Hoc affirmare non solum est impossibile, sed non intelligibile « Quia Deus, ex Duce nostro, a nullo dependet. nec » dependere potest. A nullo definitur nec potest definiri... Quia » enim est immensus, ita est intra quod extra: quia simplex,

(1) Loc. cit. art. 2, q. 1.

(2) Loc. cit. q. 2 in conclus.

(3) Loc. cit. p. 2, q. 2.

» secundum unum et idem, est intra et extra: ideo nec di- » mittitur, nec acquiritur aliud in re, nec ab ipso itur ad ipsum, » nec dimittitur, ut alibi, et alibi inveniatur » (1).

365. *Q.* Quotuplex sit scientia Dei; et an Deus omnia cognoscat?

R. « Sapientia Dei, licet in se ipsa non diversificetur, di- » versa tamen sortitur nomina. In quantum enim sapientia » Dei cognoscitiva est possibilium, dicitur scientia sive co- » gnitio. Item, in quantum est cognoscitiva omnium, quae fiunt » in mundo, dicitur esse visio; in quantum est cognoscitiva eo- » rum, quae bene fiunt, dicitur approbatio: in quantum est » cognoscitiva futurorum, dicitur praevisio; in quantum est co- » gnoscitiva eorum, quae ab ipso Deo facienda sunt, dicitur » dispositio; in quantum est cognoscitiva praemiandorum, di- » citur praedestinatio; in quantum est cognoscitiva damnando- » rum, dicitur reprobatio. Deum autem omnia cognoscere ma- » gna et parva, bona et mala, temporalia aeternaliter, mu- » tabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, futura prae- » sentialiter, dependentia independenter, creata increate » (2) res in confesso est apud omnes, et multiplici argumento a Magistro demonstratur. Primum est; « quanto substantia est » spiritualior atque simplicior, tanto plurium est cognitiva; » sed Deus est substantia simplicissima et spiritualissima; ergo » est omnium cognitiva. Secundum est; quia Deus est Creator » et Remunerator; sed in quantum Creator, est artifex, in » quantum Remunerator, iudex; sed perfectus artifex cogno- » scit omnia producta, perfectus iudex omnia remuneranda; » sed omnis creatura spectat ad artificium, et omne bonum et » malum ad iudicium; ergo Deus omnem creaturam cognoscit, » et omnem bonitatem, et malitiam. Tertium est; impossibile » enim est aliquid esse, in quo non sit Deus, per praesentiam

(1) Loc. cit. p. 2, q. 2, art. 1 ad 4.
(2) *Comp. theol. verit.* lib. 1, cap. 29.

» essentiae, ut supra probatum est; sed cuicumque praesens » est, per essentiam et cognitionem; ergo impossibile est, ali» quid Deo esse incognitum. Quartum est; quia si esset in una » re ita, quod non in alia, esset eius essentia limitata; ergo » si ita cognosceret, quod aliqua essent incognita, esset eius » cognitio limitata et arctata, et imperfecta; ergo Deus omnia » cognoscit bona et mala, cognitione simplicis notitiae ». Diximus cognitione simplicis notitiae « quia notitia approbationis » connotat complacentiam voluntatis. Hac non cognoscit Deus » omnia, quia nec mala nec malos » (1).

366. *Q.* An Deus possit scire plura quam sciat?

R. Cum quaeratur utrum Deus, possit plura praescire vel scire, aliter est iudicandum de praescientia, quam de scientia. « Nam sicut dici consuevit, triplex est Dei cognitio, non quan» tum ad diversitatem cognitionum, sed cognitorum, scilicet, » cognitio approbationis, intelligentiae et visionis. Cognitio » approbationis, est sollummodo de eis, ad quae se extendit » beneplacitum voluntatis; et hoc est solummodo de his, quae » fiunt et bona sunt; et haec absque dubio potest esse plurium. » Cognitio vero intelligentiae dicitur cognitio, qua Deus cogno» scit omne possibile, et sibi et aliis; et hac cognoscit Deus in» finita. Et haec nullo modo potest esse plurium. Cognitio vi» sionis est eorum, quorum ab aeterno fuit praevisio; et haec » solum est eorum, quae sunt, vel fuerunt, vel erunt; et haec » cognitio potest esse plurium, quam sit. Et quia eiusdem est » haec cognitio, cuius est praescientia, praescientia potest » esse plurium. Concedendum ergo est, quod scientia Dei ap» probationis et visionis augeri potest; ea vero quae est sim» plicis intelligentiae nequaquam » (2).

367. *Q.* An Deus eadem cognitione cognoscat se, et alia?

R. Quoniam divina cognitio a rebus non dependet nec cau-

(1) Lib. 1 Sent., dist. 39, 1, art. 1, q. 2 in fundam. et concl.
(2) Loc. cit. q. 3.

satur, sed est idem quod Deus, et Deus eadem essentia, et eodem modo se habens; ideo una cognitione, et eodem modo cognoscit Deus se, et alia a se; et rationes Doctoris sunt. « Prima » est, quia scientia Dei, est sua essentia, et suum scire, est suum » esse; ergo est modus cognoscendi et modus essendi; sed unus » est modus essendi in Deo essentialis; ergo et unus modus » cognoscendi. Secunda est, quia Deus se ipso, et non alio co- » gnoscit se, et se ipso, et non alio cognoscit alia; ergo una » et eadem ratione cognoscit se et alia; sed modus cogno- » scendi attenditur penes rationem cognoscendi; ergo si est » eadem ratio cognoscendi se et alia, et idem est modus et » una cognitio. Tertia est, quia, si alio modo cognoscit se, » alio modo creaturas, ergo cum cognoscit se et creaturas, » variatur in cognoscendo, ergo apud eum est transmuta- » tio, et vicissitudinis obumbratio, sed hoc est impossibile; » ergo etc. » (1).

368. *Q.* An Deus mutabilia immutabiliter cognoscat?

R. Deus mutabilia immutabiliter cognoscit, ex parte suae cognitionis, licet cognita obiecta mutabilia existant. Et ratio Doctoris est « quoniam in eius (Dei) cognitione, non est re- » ceptio, non est successio, nec est oblivio; et ideo quantum- » cumque res sunt mutabiles, ipse non mutatur in cognoscendo » mutabilitatem earum. Et quamvis nullum sit simile, potest » tamen cogitari, si intelligatur vel cogitetur oculus fixus in » pariete, qui se ipso videat transeuntes sine receptione, et » unico aspectu omnes videat, et omnes motus ipsorum, quan- » tumcumque res mutentur, tamen nec oculus mutatur, nec » eius cognitio, et sic est in Deo. Exemplum autem, ad hoc » intelligendum, potest sumi a contrario sic. Quia enim scientia » causata pendet a scibili, et non e converso, ideo potest esse » mutatio circa scientiam, per oblivionem et errorem et suc- » cessivam considerationem, nulla facta mutatione in scibili.

(1) Loc. cit. art. 2, q. 1.

» Sic contrario modo, quia scientia divina non pendet ex re » scita, potest esse mutatio circa scibile, nulla mutatione exi- » stente in divina scientia, et tamen illa scientia totum scit ». Coeterum de hac veritate quatuor sanctus Doctor alia refert argumenta. Primum est « quia, quod nobilius est, Deo attribuen- » dum est; sed nobilior est cognitio, qua cognoscitur res im- » mutabiliter, quam qua cognoscitur mutabiliter: ergo etc... » Secundum est, quia, quod est in aliquo, est in eo per mo- » dum eius, in quo est, et hoc verum est maxime in Deo, in » quo omne quod est, est ipsum, sive ipse Deus; ergo cum » scientia rerum et ipsae res cognitae sint in Deo, et ipse sit » omnino immutabilis; sunt ergo in Deo immutabiliter. Ter- » tium est, quia Dei scire est suum esse, et scientia sua est » sua essentia. Si ergo sciret mutabiliter, esset mutabilis; quod » omnino in ipso est impossibile. Quartum est, quia ubique est » mutabilitas, ibi nulla est certitudo. Si ergo Deus sciret res » mutabiliter, sciret incerte; sed incertitudo est conditio de- » decorans cognitionem, ergo non haberet Dei cognitio per- » fectam nobilitatem » (1). Sed hoc est absurdum; ergo Deus mutabilia immutabiliter cognoscit.

369. *Q.* An Deus cognoscat universa praesenter?

R. Cognoscere omnia praesenter, dupliciter cum Doctore Seraphico potest intelligi. « Aut quod notetur praesentialitas » a parte cognitorum, et sic est falsa, quia non cognoscit o- » mnia esse vera praesenter, et simul. Aut ita, quod notetur » praesentialitas a parte cognoscentis, et sic habet veritatem; » et ratio huius est, quia Deus omnium ideas habet praesen- » tes, et simul, per quas cognoscit res futuras, ita certitudi- » naliter, sicut si essent praesentes. Et iterum, super omnes » illas, simul et praesenter se convertit, et ita simul et prae- » senter cognoscit. Et iterum, praesens suae cognitionis est » praesens simplicissimum, quod circumplectitur omnia tem-

(1) I Sent., dist. 39, q. 2.

» pora. Ex his tribus rationibus simul iunctis, dicitur Deus » omnia praesenter cognoscere. Et rationes istae ortum habent » ex hoc, quod praesentialitas divinae cognitionis, quae qui- » dem aeternitas est, est simplex et infinita. Quia simplex, et » ideo semper praesens; quia infinita, ideo sunt ei omnia prae- » sentia. Et exemplum huius ponitur in praesentialitate Dei » quantum ad rerum existentiam, secundum quam Deus totus » est in una, et ita est in una, ut nihilominus sit et in alia. » Et hoc est, quia simplex est, et infinitus: ideo Deus iudicat » aliquid esse futurum, sed non futurum sibi; et omnia prae- » senter cognoscit, et tamen nihilominus praescit » (1).

370. *Q.* An scientia divina sit causa rerum?

R. Scientia divina aliquo modo respectu futurorum est causa, licet in sua generalitate non semper respectu praesciti dicat causam, ut respectu mali. « Futurum enim, docente Magistro, » in triplici differentia est. Quoddam enim est, cuius Deus est » tota causa, ut sunt illa quae creantur. Quoddam, cuius crea- » tura aut eius voluntas est tota causa, ut sunt defectus et » peccata. Quoddam, cuius Deus et creatura simul sunt causa, » ut sunt opera naturalia, et opera moralia, quia Deus coo- » peratur creaturis. Secundum hoc intelligendum, quod, re- » spectu primi futuri, divina praescientia est tota causa. Re- » spectu vero secundi futuri, nec est causa tota, nec causa; » quia non habet causam efficientem, sed deficientem, est ta- » men causa sui oppositi. Respectu vero tertii est causa, sed » non tota. Concedendum ergo est, quod divina scientia.... ali- » quo modo respectu futurorum est causa. Tamen, si accipia- » tur in sua generalitate, dicendum quod divina praescientia » semper importat causalitatem aliquam. Sed non semper re- » spectu praesciti, utputa cum praescitum est malum » (2). Ex hac doctrina clare fluit, scientiam divinam non esse cau-

(1) Loc. cit. q. 3 in conclus.

(2) I Sent., dist. 38, art. 1, q. 1 in conclus.

satam a rebus, sed res a scientia divina. Si enim esset causata a re aliqua, cum divina scientia sit increata et res creata, creatum esset causa increati, quod absonum est.

371. *Q.* An Deus possit in omne aliud a se?

R. Cum divina essentia sit omni perfectione perfecta, et potentia eius sit omnimoda indivisione indivisa, a nullo alio dependet, nullo alio indiget: hoc ergo modo ponendum, quod Deus potest in aliud, sive aliud a se. « Bonum enim, ut no-
» tat Dux noster, est diffusivum sui; sed diffusio, secundum
» quod huiusmodi, est in aliud; ergo bonum, secundum quod
» bonum, potest in aliud, aut ergo secundum potentiam suam,
» aut alienam. Si secundum alienam, ergo non est perfecte
» bonum per se. Si propter potentiam suam; ergo bonum, se-
» cundum quod bonum, potest in aliud; sed Deus est summe
» bonus, ergo Deus potest in omne aliud a se. Insuper perfe-
» ctio creaturae est in hoc, quod possit aliud a se producere;
» si ergo omne quod perfectionis est, Deo est attribuendum;
» potentia producendi aliud, Deo est attribuenda. Denique si
» Deus nihil aliud a se potest; ergo nulli ali a se praeest; ergo
» nec aliquid Deo subest; ergo a nullo est colendus, a nullo
» est adorandus, et nihil ab ipso omnino est quaerendum; quod
» est summum inconveniens secundum omnes » (1).

372. *Q.* An Deus omnia possit?

R. Deus omnia potest, dummodo posse dicat potentiam, et non imperfectionem claudat, vel impotentiam significet. « Quae-
» dam enim sunt, quae dicunt potentiam, quantum ad modum
» dicendi; dicunt tamen impotentiam a parte rei, ut posse
» mori, posse corrumpi. Propter hoc intelligendum, quod quae-
» dam sunt, quae posse, est potentiae simpliciter et perfectae,
» ut posse intelligere, diligere, et operari. Quaedam sunt, quae
» posse, est potentiae, tamen imperfectae, ut currere et am-
» bulare; isti enim actus, dicunt simul actionem, et passionem,

(1) I Sent., dist. 42, art. 1, q. 1.

» sive defectum in agente; quaedam, quae posse, simpliciter » est impotentiae, ut privationes, ut posse peccare, deficere, » loquendo de his, ratione privationis. Secundum hoc intelli- » gendum, quod cum potentia Dei sit perfectissima, illa po- » test Deus per se et in se, quae sunt potentiae simpliciter, » ut intelligere et operari; illa vero, quae sunt imperfectae » potentiae, potest quidem non in se, sed per se. Per se potest » ex hoc, quod est ibi perfectionis, et potentiae. In se non potest » propter illud, quod est ibi impotentiae, et imperfectionis, quae » in eo non cadunt. Illa autem, quae sunt simpliciter impoten- » tiae, nec potest in se, nec potest per se. Per se non potest, » quia nihil est a Deo, quod non sit a Deo per se et immediate, » hoc autem quod est defectus, non potest esse in Deo, nec a » Deo, quia Deus non deficit in essendo, nec in agendo. Si ergo » quaeratur, utrum Deus possit omne, quod potest aliud agens, » respondendum est non simpliciter, sed cum determinatione, » scilicet quod potest omne quod est potentiae; et in se potest » omne quod est potentiae simpliciter, et perfectae; in alio » potest quod est potentiae imperfectae; nec in se, nec in alio, » quod est omnimodae impotentiae, et hoc ipso dicitur omnipo- » tens, quia potentia eius ad omnia sufficit, et in nullo deficit » (1).

373. *Q.* An potentia Dei sit infinita?

R. Potentia Dei est infinita, ex demonstrationibus Doctoris, « quia infinitum dicitur quod non habet terminum; quia » eius posse non invenit non posse; ergo si semper invenit » posse.... est infinita ». Altera Ducis ratio est « quia omnis » potentia activa, quae potest in effectus infinitos, est actu » infinita; divina potentia est huiusmodi; ergo etc. Probatio » primae: si potentia est pure in actu: ergo habet totum a- » ctualiter, quod potest habere: ergo si totum habet actua- » liter, et nihil potest ei accrescere, nec de novo aliquid » dare, et potentia, ut potens, se extendit ad infinita; ergo

(1) Loc. cit. q. 2 in conclus.

» actu habet in se infinitatem. Minor patet, quia divina po-
» tentia nunquam potest in tot effectus, quin adhuc possit in
» plures; ergo manifestum est, quod sit infinita. Tertia ratio,
» quia omnis potentia, quae potest in actus infinitos, si om-
» nino est in actu, est simpliciter infinita; sed divina virtus
» est huiusmodi, ergo etc. Maior patet sic; sicut se habet po-
» tentia ad potentiam, sic actus ad actum; sed actus infini-
» tus excedit finitum in infinitum, ergo et potentia potentiam;
» ergo si potentia est omnino in actu, est infinita. Minor pa-
» tet, quia Deus dicitur durare in infinitum, et potest creatu-
» ram conservare in infinitum, ergo etc. Quarta ratio est, quia
» omnis potentia, quae potest super extrema in infinitum di-
» stantia, est infinita. Sed potentia divina est huiusmodi, quia
» de nihilo aliquid facit, et inter aliquid et nihil, est infinita
» distantia, ergo etc. Ultima ratio est, quia omnis potentia,
» quae omnino indifferens est ab essentia, est infinita; sed di-
» vina potentia est huiusmodi; ergo etc. Probatio primae;
» quandocumque aliqua duo sunt omnino indistantia, ubicumque
» est unum, ibi et reliquum; ergo si potentia est omnino indif-
» ferens ab essentia, ubicumque est potentia, et essentia; sed
» ubi est essentia, ibi est centrum potentiae: ergo ubicumque
» potest potentia talis, potest in centro, ergo cum nulla potentia
» limitetur in centro suo, sed amplius possit, aut divina poten-
» tia nihil potest, aut potest quantum vult; et sic in infinitum;
» ergo, quantum est de se, potentia illa potest in infinitum
» operari; sed potentia illa omnino est indifferens et simplex;
» ergo idem est ibi latum et intensum; ergo si extensive est
» infinita, et intensive; ergo omnino est infinita. Et hoc est quod
» dicit philosophus..... quod virtus quanto magis unita, tanto
» magis infinita; cum ergo divina potentia sit infinitissima,
» quia est omnino idem cum sua origine, ubique potest tam-
» quam in sua origine; ergo numquam invenit non posse » (1).

(1) I Sent., dist. 43, art. 1, q. 1 in fundam.

374. *Q.* An divina potentia possit in effectum actu infinitum?

R. Potentia divina, quamquam sit infinita, in effectum actu infinitum tamen non potest, cum id, ex Doctore nostro, neque sibi, neque creaturae conveniat. « Sibi non convenit: cum enim » summe bonus (Deus) sit, non potest aliquid facere, nisi bonum, » et ita non potest facere, nisi rem ad se ordinatam. Quo- » niam ergo ordo praesupponit numerum, et numerus prae- » supponit mensuram, quia non ordinatur ad aliud, nisi nume- » rata, et non numerantur, nisi limitata: ideo necesse fuit, Deum » facere omnia in numero, pondere, et mensura. Nec aliter fa- » cere potuit, nec potest, nec infinitum, nec infinita in actu. » Ratio est etiam, quia hoc, nullo modo, convenit creaturae. » Infinitum enim in actu, est actus purus, alioquin, si aliquid » haberet de limitatione, et arctatione, esset finitum; sed quod » est actus purus, est suum esse per essentiam, et nihil tale » accipit esse ab alia essentia, nec ex nihilo. Si ergo crea- » tura, eo ipso quod creatura, aliunde est, et ex nihilo, nullo » modo potest esse actus purus, nullo modo potest esse infi- » nita; et si non potest esse una infinita; nullo modo possent » esse infinitae secundum numerum, quia necesse est illas » plures ad aliquam unam creaturam reduci; sed infinita ad » infinitum reduci est impossibile; patet ergo, quod potentia » divina non possit in effectum actu infinitum. Et quod ad ali- » quod finitum reducantur, patet, quia necesse est ponere or- » dinationem in creaturis, non tantum ad Deum, sed etiam » ad se invicem. Summa ergo rationis est, quia non decet Deum » facere creaturam, nisi ordinem habeat et mensuram; ratio » est ex parte creaturae, quia necesse est, omnem creaturam » esse limitatam, eo quod ex nihilo, et eo ipso quod compo- » sita est » (1).

375. *Q.* Utrum in Deo sit ponere voluntatem?

R. Voluntas est in Deo, et sic a Magistro comprobatur qua-

(1) I Sent. loc. cit. q. 3 in concl.

druplici modo: 1. « Quia voluntas est illud, penes quod resi-
» det inter creata summa potestas. Ergo si voluntas de se
» dicit potestatem, quia omnibus praesidet in regno animae,
» et nihil potest sibi imperare: sed Deus est potentissimus,
» et omne quod possibile est, sibi attribuendum est: ergo in
» Deo est voluntas.

2. « Quia voluntas est, in qua consistit voluptas summa,
» sive felicitas. Beatus enim est, qui habet omne quod vult,
» unde nihil delectatur, nisi habens voluntatem vel aliquid si-
» mile voluntati: sed Deus est felicissimus, in quo est omnis
» felicitas, et iucunditas; ergo etc.

3. » Quia voluntas est illud, penes quod residet iustitia, et
» aequitas. Iustitia enim non est aliud, quam rectitudo volun-
» tatis, unde non habentia voluntatem, non sunt capabilia iu-
» stitiae; sed Deus est iustissimus secundum omnem intelle-
» ctum; ergo habet voluntatem.

4. » Quia voluntas est vis, secundum quam attenditur sum-
» ma liberalitas, omnis enim liberalitas venit ex amore; sed
» constat, quod amor est actus voluntatis; in Deo autem est
» ponere summam liberalitatem; ergo et amorem, et volun-
» tatem » (1). Sed in Deo, cum sit voluntas perfectissima, ne credas esse conditiones voluntatis creatae, et humanae: quia appetitus, fuga, tristitia, vertibilitas vel malitia dicunt imperfectionem, quae in Deo nullo modo esse potest, et a voluntate divina prorsus est remota.

375. *Q.* Utrum Deus dici possit omnivolens, sicut omnisciens, et omnipotens?

R. Tametsi concedamus, Deum esse omniscium, atque omnipotentem, non tamen omnivolentem admittimus; quia scientia est omnium tam futurorum quam possibilium, tam bonorum quam malorum; potentia est omnium bonorum, etiam possibilium; voluntas autem non est nisi bonorum, quae sunt, vel e-

(1) I Sent., dist. 45, art. 1, q. 1 in fund.

runt; et ratio Magistri est « quia scire malum, scire est, et » scire malum, nobilitatis est. Similiter potentia est respectu » omnium bonorum, in quibus salvatur ratio potentiae. Nam » posse malum, non est posse sed deficere, et ideo dicitur ad- » huc omnipotens. Voluntas vero est respectu bonorum tan- » tum, non respectu malorum, quia voluntas est per modum » adhaerentiae et complacentiae; et si esset omnivolens, esset » volens malum, quod repugnat » (1).

376. *Q.* An voluntas Dei sit causa rerum?

R. « Quamvis divina essentia, scribit Magister, sit unum » quid simplicissimum, tamen est pelagus substantiae infini- » tum, et ideo omnia, quae in nobis reperiuntur per diversi- » tatem, omnia, inquam, in Deo nobilius per omnimodam re- » periuntur identitatem; nihilominus tamen secundum omni- » modam perfectionem, et veritatem. Unde sicut in nobis sa- » pientia et potentia et voluntas vere est ens, et causa rerum, » quae a nobis sunt: sic et in Deo sunt: sed tamen unum sunt: » et quia intellectus noster non potest infinitatem illius sub- » stantiae comprehendere, nec per unum verbum exprimere; » ideo, multis modis, intelligimus Deum, et diversis nominibus » exprimimus, et secundum quod per illos modos intelligimus, » plura enunciamus, ita quod Deo aliquid attribuimus secundum » unum modum, quod non secundum alium, et vere quidem, » quia omnia in Deo habent veram existentiam. Et ideo, cum » alio modo intelligamus Deum, cum dicimus Deum bonum, alio » cum dicimus Deum aeternum, concedimus se diffundere, quia » bonus est, non quia aeternus; haec enim est proprietas bo- » nitatis non durationis. Hinc est, quod cum intelligimus vo- » luntatem vere esse in Deo, et proprietas voluntatis sit pro- » ducere ea, quae exeunt per modum liberalitatis, ideo dici- » mus Deum, in quantum voluntas est, esse causam rerum. Ra- » tio autem quare voluntati attribuitur causalitas haec est;

(1) Confer I Sent., dist. 45, art. 1, q. 2 in conclus.

» quia omnis rei cuius Deus est causa, est per scientiam, po-
» tentiam et voluntatem; aut ergo est causa, quia potens, aut
» quia sciens, aut quia volens. Non quia potens, quia multa
» potest, quae non facit. Similiter nec quia sciens; ergo quia
» volens, ideo facit; sed causa est ad cuius esse sequitur a-
» liud, ergo voluntas Dei est causa rerum ». Sed est et altera ratio « quia Deus est causa rerum creatarum, aut per na-
» turam, aut per voluntatem, aut per casum et fortunam. Non
» per casum et fortunam, quia tales sunt secundum imper-
» fectam rationem; non per naturam, quia sic simile ex si-
» mili producitur; restat ergo quod per voluntatem, ergo
» etc. » (1).

377. *Q.* An voluntas Dei sit immediata causa rerum?

R. Voluntas Dei est prima, et summa causa omnium specierum et motionum. Tum quia, omnis causa est prima et immediata, qua non est altera prior: sed divina voluntas est causa, qua non est altera prior; cum sit idem quod Deus: ergo voluntas est causa prima et immediata. Tum quia, omnis causa est prima et immediata, quae est in totum effectum per actionem suam; sed omne quod fit, est a Deo, et nihil potest operari sine ipso, cum non possit in esse salvari et Deus toti cooperatur, et in totum: ergo etc. Tum quia, omnis qui cognoscit rem certissime et nobilissime, cognoscit per causam proximam et immediatam; sed cognoscens Deum et videns, cognoscit in eo res certissime et nobilissime tamquam in causis prioribus; ergo in Deo est causa proxima et immediata; sed non nisi voluntas: ergo etc. Tum quia denique, quod Deo attribuitur, debet ei attribui in fine totius nobilitatis; si ergo ratio causalitatis convenit ei, nobilissima causalitas debet ei attribui; sed haec est ratio causae primae et immediatae; ergo voluntas Dei est causa rerum immediata (2).

(1) I Sent., dist. 45, art. 2, q. 1 in conclus. et fund.

(2) Confer loc. cit. q. 2 in fund.

378. *Q.* Utrum voluntas Dei sit causa libera quoad creaturas?

R. Quamvis actus voluntatis Dei interior, qui suam respicit essentiam et intrinsecam suam perfectionem infinitam, sit actus omnino necessarius: tamen terminus, sive obiectum, aut effectus ipsius actus, omni pollet libertate. Nam si voluntas Dei, circa creaturas, non esset libera, eas prosequeretur ex necessitate: si ex necessitate, essent necessariae; si necessariae, non possent non esse; si non possent non esse, Deus non posset esse sine ipsis; si, sine ipsis, Deus non esset ens a se, non esset perfectissimus, et infinitus; sed hoc est absurdum; ergo voluntas Dei circa creaturas, non necessario se habet, sed libera; ergo est causa libera rerum. Neque obiicias cum Causin creationem esse necessariam, quia ex actu necessario. Nam si Deus ex necessitate vult suam bonitatem, non vult ex necessitate ea, quae vult propter suam bonitatem; quia bonitas eius potest esse sine aliis bonis.

379. *Q.* Quae et quot sunt signa divinae voluntatis?

R. Voluntatis divinae signa sufficienter enumerantur in impletionem, prohibitionem, permissionem, praeceptum, et consilium, ut in illo versu:

Praecipit et prohibet, permittit, consulit, implet.

« Voluntas enim divina, ut bene notat Magister, proprie loquendo, est praesentium et futurorum; praeteritorum autem alio modo non est quam praesentium. Secundum hoc notandum, quod si est respectu praesentis, aut illud est bonum, et sic impletio; aut malum, et sic permissio. Si respectu futuri, hoc est tripliciter: aut est malum, et sic prohibitio. Aut bonum necessarium, et sic praceptio. Aut bonum supererogationis, et sic consilium. Bonum autem supererogationis non habet malum oppositum; ideo nec consilium habet signum oppositum (1). Alio modo possunt distingui sic: vo-

(1) Loc. cit. q. 2, art. 3.

» luntas divina.... aut vult simpliciter, aut vult conditionaliter, » sive quantum in se: et utroque modo contingit eam signari. » Voluntas ergo absoluta potest ad aliquid comparari, aut » per modum complacentiae, aut per modum displicentiae. Si » per modum displicentiae, illud nullo modo fit, et ita hanc » non contingit significari, nec sciri aliquo signo exteriori. Si » per modum complacentiae, aut quia placet illud quod fit, » et sic impletio. Aut quia placet aliud ex illo, et sic permis- » sio: et sic habemus duo signa. Potest iterum significari di- » vina voluntas, ut antecedens, sive conditionalis; et hoc du- » pliciter. Aut per modum complacentiae, ita quod oppositum » displicet, et sic praeceptio. Aut per modum displicentiae, et » sic prohibitio. Aut per modum complacentiae, ita tamen quod » oppositum non displicet, et sic consilium. Per modum vero » displicentiae, ita quod oppositum non placet, non est pos- « sibile reperiri; et secundum hoc patet numerus, et sufficien- » tia (1) » signorum divinae voluntatis.

CAPUT IV.

DE ATTRIBUTIS DEI RELATIVIS.

380. *Q.* Utrum omnis actio, secundum quod actio, sit a Deo?

R. « Circa istam quaestionem fuerunt, ex Duce nostro, di- » versae positiones, tam magnorum virorum, et adeo rationa- » biles, ut nec Magister ausus fuerit difinire, quae earum ma- » gis contineat veritatem. Attamen quia, per multam discus- » sionem dubia ducuntur ad manifestationem, nunc commu- » niter tenetur, quod illa opinio verior sit, quae dicit, quod » omnis actio, sive substrata peccato, sive non, secundum id » quod est actio, est a Deo; nec immerito, quia illud oportet » ponere, si pensetur eminentia divinae potentiae, et indigen- » tia potentiae creatae. Quia enim Deus est causa primordia-

(1) Loc. cit. q. 2, art. 3.

» lissima, ideo est influentiae maximae in causas secundas; et
» adeo magnae influentiae, ut nec modicum, seu quantumcum-
» que parum, dum tamen aliquo modo sit ens, procedat ab
» aliqua causa creata, nisi cooperante divina potentia. Omnis
» etiam potentia creata, quantum est de se, defectiva est, nec
» est pure activa; ergo quantumcumque faciat modicam ope-
» rationem, necesse habet adiuvari ab ea potentia, quae est
» actus purus, propter omnimodam impermixtionem cum ma-
» teria, et quae sola sibi sufficit, nullo modo indigens adiu-
» vari a causa alia. Et ideo haec positio, quae dicit omnem
» actionem esse a Deo, secundum quod actio est, absque omni
» ambiguitate tenenda est. Unde Anselmus (1): Omnis qualitas,
» et omnis actio, et quidquid habet aliquam essentiam, a Deo
» est, a quo est omnis iustitia, et nulla iniustitia. Facit igitur
» Deus omnia, quae iusta vel iniusta voluntate fiunt, idest
» bona opera, et mala. In bonis quidem facit quod sunt, et
» quod bona sunt; in malis vero facit quod sunt, sed non quod
» mala sunt. Et iterum ibidem: Omnes actiones et omnes mo-
» tus facit Deus, quia ipse facit res a quibus, et ex quibus, et
» per quas, et in quibus fiunt; et nulla res habet ullam po-
» tentiam faciendi, aut volendi, nisi illo dante; ipsum quoque
» velle (quod aliquando iustum est, aliquando iniustum) in
» quantum est, bonum est, et a Deo est. Non esse vero bo-
» num, non est quid, nec a Deo est.... Ad illud quod obiicitur,
» quod Deus non facit contra suam prohibitionem, dicendum
» quod verum est; sed Deus, cum prohibet aliquam actionem
» non prohibet sibi, sed ali: et non prohibet suam coopera-
» tionem, quam non subtrahit creaturae; sed ipsi creaturae
» prohibet operationem: et ideo dum cooperatur ei, non fa-
» cit contra suam prohibitionem. Et si tu obiicias mihi, quod
» nihilominus actio prohibita a Deo, est a Deo, dicendum quod

(1) In lib. de concordia praedestinationis et praescientiae ad finem.

» in actione prohibita est duo considerare, et quod est actio, et » quod est prohibita; ab eo autem fit, secundum quod est a- » ctio, non autem secundum quod prohibita; et ideo non se- » quitur, quod contra se ipsum faciat » (1).

381. *Q.* An actio iniusta, secundum quod iniusta sit a Deo?

R. Actio mala et iniusta, secundum quod huiusmodi est, a Deo esse nequit « quia cum iniustitia, sive malitia, circa actio- » nem dicat defectum et privationem, et defectum deordina- » tum de se, et defectum carentem debito fine, facere actio- » nem iniustam, hoc repugnat potentiae, sapientiae et boni- » tati. Est enim ibi privatio utilitatis, et ordinis et entitatis; » et quia nihil est attribuendum Deo, nisi quod decet poten- » tiam suam, sapientiam et bonitatem; ideo actionem malam » Deo tribuere, non solum falsitatis est, sed etiam blasphemiae » et impietatis. Concedendum est igitur, quod actio mala et » iniusta, secundum quod huiusmodi, non est a Deo. Non est » a Deo, quia quicumque facit iniustitiam, iniustus est: sed » Deus non potest esse iniustus; ergo non potest facere iniu- » stitiam: ergo etc. Non est a Deo, quia iniustitia defectus » est; ergo facere iniustitiam est deficere; sed divinum posse » non potest deficere; ergo nec iniustiam facere, ergo etc. Non » est a Deo, quia quidquid est a Deo, laudat Deum: sed iniu- » stitia nullo modo laudat Deum, nec operatio iniusta, se- » cundum quod huiusmodi; nullo igitur modo, secundum quod » iniusta, vel mala est, Deo est attribuenda » (2).

382. *Q.* An operatio fortuita secundum quod fortuita sit a Deo?

R. « Etsi casuale et fortuitum, secundum id quod est, sit » a Deo; in quantum tamen casuale vel fortuitum, a Deo non » est. Et ratio huius est, quia casuale, et fortuitum aliquid po- » nunt, utpote effectum, qui est ex concursu causarum ob

(1) II Sent., dist. 37, art. 1, q. 1.

(2) Loc. cit. art. 2, q. 1 in conclus.

» aliud inceptarum. Aliquid etiam privant; dicit enim casus, » et fortuna defectum intentionis et praecognitionis; et quo- » niam operatio causarum, et concursus ad producendum ta- » les effectus aliquid ponit, ideo a Deo est: quia vero priva- » tio intentionis defectus est, ideo a Deo non est; et quoniam » casuale, et fortuitum, ut sic nominantur, imposita sunt a tali » defectu, hinc est quod non sunt concedenda a Deo esse. Non » sunt a Deo, quia quidquid casu fit, temere fit; quidquid te- » mere fit, fit sine providentia; si ergo omne quod fit a Deo, » fit per providentiam, quia Deus nihil agit sine providen- » tia, videtur quod casuale et fortuitum, in quantum huius- » modi, non sint a Deo. Non sunt a Deo, quia casus et fortuna » accidit per defectum praecognitionis; sed Deus nihil potest » facere nisi praecognoscens, et praesciens; ergo nihil casuale » est a Deo. Non sunt a Deo, quia sicut bonum repugnat malo, » ita fortuna repugnat providentiae; sed a Deo, qui summe » bonus est, non potest egredi aliqua operatio iniusta; ergo » pari ratione, cum sit summe prudens, non potest exire ab » eo aliqua operatio fortuita. Non sunt a Deo, quia fortuitum, » secundum quod fortuitum, ortum habet a causa per acci- » dens; ergo si Deus esset causa fortuiti, secundum quod huius- » modi, Deus esset causa alicuius rei per accidens; sed causa » per accidens, reduci habet ad causam nobiliorem; ergo aliqua » causa esset nobilior Deo, quod est absurdum; ergo etc. Deni- » que casuale et fortuitum non sunt a Deo, quia sicut iniustitia » se habet ad suam causam, sic casuale et fortuitum ad suam; » sed iniustitia non potest esse ab aliquo, nisi operante iniuste; » ergo casuale et fortuitum non potest esse nisi ab eo, qui » operatur casualiter et fortuite; sed Deus nullo modo operatur » casualiter, nec fortuite; ergo casualis, sive fortuita operatio, » secundum quod huiusmodi, non est a Deo » (1).

383. *Q.* An omnis compositio sit a Deo?

(1) II Sent., dist. 37, art. 2, q. 2 in conclus. et fund.

R. Compositionis nomen tripliciter accipitur a Magistro; » dicitur enim compositio, componentis actio; dicitur etiam » compositio, componibilis passio; dicitur tertio modo compo- » sitio, rei compositae dispositio. Et quoniam tam actio, quam » passio, quam etiam dispositio rei compositae, secundum quod » composita est, aliquid dicit: et omne quod dicit aliquam po- » sitionem, a Deo est, concedendum est simpliciter, quod omnis » compositio sit a Deo, secundum quod compositio, sicut et » omnis actio, et conservatio. Et ratio est, quia ubicumque est » aliqua compositio, ibi est aliqua componentis actio; sed o- » mnis actio est a Deo; ergo omnis compositio est a Deo. Se- « cunda ratio est, quia sicut potentiae et virtutis est distin- » guere, et separare, sic potentiae, et virtutis, est res unire » et componere; sed omne quod est potentiae, est ab omnipo- » tentia Creatoris: ergo etc. Tertia ratio est, quia ubicumque » est compositio ibi est aliqua unio: et ubicumque est unio » ibi est aliqua unitas; sed omnis unitas est a prima unitate; » prima autem et summa unitas Deus est; ergo omnis com- » positio est a Deo. Ultima ratio est, quia omnis res habet » haec tria, scilicet quod unum aliquid sit, et specie propria » discernatur, et rerum ordinem non excedat; sed a Deo est » omnis modus, et omnis species, et omnis ordo, sine quibus » nihil esse, nec cogitari potest; ergo si omne compositum, et » omnis compositio aliquo modo est, videtur igitur omnis com- » positio a Deo esse. Attendendum est tamen, quod quemad- » modum quaedam actiones sunt, quae mox nominatae, co- » niunctae sunt malo, sicut mendacium et adulterium, sic quae- » dam quarumdam rerum compositiones sunt, quas insepara- » biliter concomitatur aliqua deformitas, et inordinatio. Unde » quemadmodum actio, quae coniuncta defectui malitiae in- » separabiliter, dicitur a Deo esse: ita tamen quod defectus » malitiae non est a Deo, sed a defectu creaturae, utpote » liberae voluntatis; sic compositio cui iuncta est deformitas, » et inordinatio, sic est a Deo, quod illa deformitas, quae vere

» defectus est, est a defectu alicuius causae componentis crea-» tae, vel a defectu ipsorum componibilium » (1).

384. *Q.* Utrum conservatio omnis rei sit a Deo?

R. Quaelibet res a Deo conservatur, tamquam ab immediato principio, non tamen sicut a tota causa; et ratio Magistri est « necessitas, et indigentia ex parte creaturae. Omnis enim crea-» tura ex nihilo est, et aliunde habet esse. Quia ex nihilo est, » ideo quodam modo vana est, et vanitati subiecta est. Quia » vero aliunde habet esse; ideo esse est sibi quodam modo » accidentale. Contrario modo est in Deo.... Esse, enim, non » est accidens Deo: sed subsistens veritas et manens causa, et » naturalis generis proprietas. Sicut igitur vanum non potest » fulciri nisi per verum et stabile, et accidens non potest ful-» ciri nisi per subiectum, sic esse creaturae non potest con-» servari absque munificentia creatricis essentiae. Unde sicut » creatura habet essentiam et actionem, ita etiam habet et » durationem: et propter hoc, quamvis creatura non possit » esse actu infinita, nihilominus tamen ponitur duratione in-» finita. Infinitas enim durationis non ponit in creatura ali-» quam actualem infinitatem, et ratio huius est, quia potentia » per quam durat creatura, non tantum est ipsius creaturae, » imo etiam creatricis essentiae. Verum est etiam quod in » creatura est aliqua potentia ad durandum: sed illa non est » omnino in actu; imo est in potentia quodam modo respectu » illius virtutis, quae est actu infinita. Et hoc est quod vult » dicere Philosophus in Libro de Causis: quod omnes virtutes » infinitae, pendentes sunt per unum infinitum principium, quod » est virtus virtutum. Concedendum est ergo, quod omnis rei » conservatio est a Deo, tamquam ab immediato principio; non » tamen est ab ipso, sicut a tota causa. Sicut enim in creatura » est aliqua virtus operativa creata, sic etiam aliqua virtus » conservativa ». Coeterum quod conservatio omnis rei sit a

(1) Loc. cit. art. 1, q. 3.

Deo claret propter tria. Primo, quia « esse est actus entis, et » vivere viventis: sed nullus actus est, qui non sit a Deo im- » mediate: ergo nullum esse et nullum vivere; si ergo crea- » tura continue est, et continuatio in esse, non est aliud quam » duratio, cum esse eius non possit esse nisi a Deo, omnis rei » conservatio est a Deo. Secundo, quia nihil mutabile subsi- » stit, nec salvatur in esse, nisi per immutabile, et fixum; sed » omne esse creatum mutabile est, et variabile, saltem a prae- » terito in futurum: sicut enim dicit Hieromynus: solus Deus » est, qui non notat praeteritum, vel futurum; ergo nihil po- » test subsistere, nisi Deo conservante. Tertio, quia quanto ef- » fectus magis percipit a causa, tanto magis pendet ab ipsa, » et quanto magis pendet ab ipsa, tanto minus potest durare » vel subsistere sine ipsa; sed omne creatum totum quod est, » et quod habet, a Deo habet; ergo impossibile est aliquid » nec ad momentum conservari in esse, nisi Deo conservante ». Quod si repones, artificem creatum posse facere per se opus stabile, dicam tibi cum Duce nostro « quod non est simile, » pro eo quod artifex creatus, sic facit rem, quod non facit » principia eius intrinseca: non enim potest in totam rei sub- » stantiam. Et propterea res facta conservari potest in primis, » et propriis principiis, quae non dependent a potestate ar- » tificis; non sic autem est in opere Dei. Omne enim opus, » quod Deus facit, secundum totum sui facit; et ideo totaliter » ab ipso dependet, et sine eius adiutorio, conservari non po- » test ». Sed res corrumpuntur, ergo non conservantur? Ad hoc respondet Doctor « quod argumentum deficit dupliciter. » Primum quidem, quia Deus conservat voluntarie, et ideo » tantum conservat, quantum placet sibi, et secundum dispo- » sitionem sapientiae suae. Praeterea conservatio rei non est » a Deo, tamquam a tota causa, sed requiritur ex parte crea- » turae idoneitas ad conservationem, et virtus, quodam modo, » conservativa, ad cuius defectum velociorem, vel tardiorem » sequitur diuturnior, vel minus diuturna duratio creaturae:

» et cum est idoneitas creaturae ad durandum in perpetuum, » utpote simplicitas, Deus esse eius aeternaliter continuat. » Denique si quaeris, utrum si creatura sibi relinqueretur, cor- » rumperetur? Dico quod sic. Et si quaeratur, utrum aliquo » agente, vel non? Dico quod nullo agente, sed propter defe- » ctum in se ipsa. Talis enim corruptio, quae est adnihila- » tio, dicit purum defectum: et ideo non requirit causam ef- » ficientem, sed deficientem: Haec autem in creatura est ex » hoc, quod ex nihilo est. Et si obiiciatur quod naturalis in- » clinatio cuiuslibet rei, est ad durandum in esse, et quod mo- » tus sequitur inclinationem, dicendum quod verum est, de » inclinatione motus dicente positionem. Verum est etiam de » principiis rei salvatis in esse, super quae fundatur illa in- » clinatio. Si autem creatura sibi relinqueretur, principia rei » in esse non conservarentur, imo in se ipsis deficerent: et » ideo inclinatio ad esse periret. Posset etiam dici, quod cum » ponitur, quod creatura sibi relinquatur: ponitur quod divina » virtus se subtrahat: et cum ponitur, quod divina virtus se » subtrahat, per consequens ponitur creaturae adnihilatio. Si- » cut enim per operationem virtutis infinitae potest fieri e- » ductio de nihilo in esse, ita etiam per subtractionem po- » test fieri adnihilatio; et pro tanto dicit Hugo: quod soli di- » vinae virtuti, possibilis est adnihilatio creaturae. Verum ta- » men illud verbum intelligendum est sane, quia multum ca- » lumniabile est » (1).

385. *Q.* Quid, et utrum in Deo sit providentia?

R. Providentia, quae difinitur a Magistro, « temporalis ordinis explicatio in divinae mentis adunata prospectu; vel a Nemesio, ut voluntas Dei, per quam, omnia quae fiunt, apte gubernantur, in Deo est; quia ille est provvidus qui est summe bonus, summe potens, summe sapiens; summe bonus, vult rebus providere; summe potens, potest de omnibus curam ha-

(1) II Sent., dist. 37, art. 1, q. 2.

bere; summe sapiens, cognoscit quidquid est omnibus necessarium. Sed Deus est summe bonus, summe potens, summe sapiens; ergo providus est Deus. Haec veritas patet etiam, ex admirabili rerum ordine, et harmonia. Omne enim quod est bene ordinatum dicit bonum ordinatorem: sed omnia sunt bene ordinata; quia ut canit Poeta divinus:

La Provvidenza, che cotanto assetta,
Del suo lume fa il Ciel sempre quieto,
Nel qual si volge quel che ha maggior fretta.
Ed ora lì, come a sito decreto
Cen porta la virtù di quella corda
Che ciò, che scocca, drizza in segno lieto (1).

Ergo dicunt bonum ordinatorem: sed bonus ordinator est providus: ergo Deus est providus. Unde Grysostomus: Si navigium sine gubernante non persisteret, sed facile submergeretur, quomodo subsisteret mundus tantum temporis, gubernante nemine? (2). Tertia ratio divinae providentiae desumitur ex communi omnium gentium consensu. Homines enim necessitate aliqua compulsi, Deum vocant, ad Deum confugiunt, preces effundunt, et in omni perturbatione, in omni timore, et sine electione, et sine deliberatione. Quidquid autem ab omnibus fit, fit vi naturae, in qua tanta est vis ad demonstrandum, ut contradici non possit. Quarta ratio ab absurdis accipienda est. Nam si Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum, aiebat Augustinus, et omnis religio est reiicienda. Si enim negligit Deus, in hoc saeculo, genus humanum, cur ad coelum quotidie manus tendimus? Cur ante altaria supplicamus? (3) Quis honos deberi potest, nihil curanti et ingrato? An aliqua ratione ob-

(1) Parad. c. 1.
(2) Homil. ad pop. Antioch.
(3) Salvianus, de gubernat Dei, lib. 1.

stricti esse possumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? (1) Nec solum reiicienda est religio, sed nulla est virtus, nulla honestas, nulla societas, nullus Deus. Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat, et destituat, quod ipse condendum putavit? Si iniuria est regere, non est maior iniuria fecisse? Cum aliquid non fecisse nulla iniustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia (2). Nulla virtus ex alia parte; quid erit homine truculentius, quid immitius, si dempto metu superiori, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere? Multum raefraenat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere, si non tantum quae gerimus videri desuper, sed etiam quae cogitamus aut loquimur, audiri a Deo putamus. Concludamus igitur cum eodem Lactantio: Si Deus est, utique providus est, ut Deus; nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi et praeterita teneat, et praesentia sciat, et futura prospiciat. Cum igitur providentiam sustulit (Epicurus) etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum professus est esse, et Providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest (3).

386. *Q.* Utrum Deus etiam vilissimis rebus in particulare provideat?

R. Deus etiam rebus vilissimis providet; quia est Creator omnium, et Conservator. Hinc omnibus finem proprium assignavit. Ergo tam eius providentia, quam eius efficientia patescere debet. Si dedeceret minima gubernare, multo magis creare dedecuisset.

387. *Q.* Utrum Deus omnibus eodem modo provideat?

R. Non eodem modo omnibus providet Deus; res enim non ordinantur ad finem aequalem, et media debent esse diversa, pro diversitate finis. Ergo nobiliores nobiliori modo, inferio-

(1) Lactantius, *de ira Dei,* c. 8.

(2) S. Ambrosius, de officiis, lib. 1.

(3) De ira Dei, cap. 9.

res inferiori, sed omnes a Deo. Quod si aliquando per aliud, inferiores creaturas gubernat, ideo facit, non per defectum virtutis; sed propter defectum creaturae, ut probat doctor noster Alexander Alensis, cui administratur vel propter utilitatem illius, per quem alii administratur, vel providetur (1).

388. *Q.* Utrum permissio malorum divinae officiat providentiae?

R. Malorum permissio, divinam providentiam non tollit, imo quam maxime exaltat. Deus enim debet conservare ordinem institutum; sed in ordine a Deo instituto, est peccandi potestas; ergo cum non debeat homini auferre potentiam, quam dedit, debet ipsum permittere peccare. Ad rem Magister: « Deus permittit mala fieri, et hoc ordinatissime. Duplex est » enim ordo rerum. Unus in universo, alter in finem, et uterque exigit, quod Deus permittat mala fieri. Ordo quippe in » universo exigit; quia ad perfectionem universitatis necesse » fuit, fieri creaturam arbitrio liberam, et peccare potentem; » sed administratio universitatis est, ut Deus sic res conditas » administret, ut eas agere proprios motus sinat; ergo etc. Ordo » ad finem hoc exigit: quia duplicem finem contingit reperiri in » universo: unus est salus electorum, alius divina laus. Quoniam ergo permissio malorum reddit electos gloriosiores per » occasionem, et Deus non curat utrum per causam, vel per » occasionem, electorum gloria augeatur, ideo Deus permittit » recte. Unde Augustinus dicit, quod nullum faceret, quem malum praesciret, nisi pariter nosset, quibus bonorum usibus » accomodaret. Prosunt autem eis exercitando. Et ideo dicit » de lapsu mundi, quod permisit plures esse malos; quia si » pauci essent; non auderent exercere bonos. Divina etiam » laus hoc exigit: quia occasione mali, summe manifestatur divina misericordia in electis..... Summe etiam manifestatur » Dei iustitia, in aeterna punitione reproborum. Unde Augu-

(1) Q. 26, art. 2, ad 2.

» stinus: Si omnes remanerent in poena, in nullo appareret » misericordis gratia redimentis. Rursus: si omnes transfe- » rentur ad lucem, in nullo appareret severitas ultionis » (1). Coeterum providentiam negantibus, propter nonnulla quae accidunt supra mentem nostram in hoc mundo, quaeque limitatis intellectibus sunt incomprehensibilia, illi versus Alighierii sunt repetendi, qui sic canit:

Or tu chi se', che vuoi sedere a scranna
Per giudicar da lungi mille miglia
Con la veduta corta d'una spanna?
Certo a colui che meco s'assotiglia,
Se la scrittura sopra voi non fosse,
Da dubitar sarebbe a maraviglia.
O terreni animali, o menti grosse!
La prima volontà, ch'è per se buona,
Da sè, ch'è sommo ben, mai non si mosse.
Cotanto è giusto, quanto a Lei consuona;
Nullo crëato bene a se la tira,
Ma essa, radiando, lui cagiona.
Quale sovresso il nido si rigira,
Poichè ha pasciuto la cicogna i figli,
E come quei che è pasto la rimira;
Cotal si fece, e si levai li cigli,
La benedetta imagine, che l'ali
Movea sospinta da tanti consigli.
Roteando cantava, e dicea: Quali
Son le mie note a te che non le intendi,
Tal è il Giudicio eterno a voi mortali (2).

389. *Q.* Utrum impiorum prosperitas providentiam destruat?

R. Impiorum felicitas non destruit, sed servit, et amplificat Dei providentiam. Exinde enim fulgescit, divinam providentiam ultra temporis ambitum protendi, ita ut Deus, et bo-

(1) I Sent. dist. 47, art. 1, q. 3 in conclus.

(2) Parad. c. 19.

nis praemia, et malis poenas impertiatur. Cum autem nullus sit tam bonus, ut aliquando non deficiat, neque tam malus, qui aliquid boni non agat, iustum est, ut bonus, aliquam poenam, et impius, aliquod praemium recipiat temporale. Denique florent impii? En providentia, quae eos bonis vocat ad meliorem frugem. Dolent boni? En providentia, quae eos vexationibus in exercitio virtutis confirmat. Bona igitur et mala sunt media ad finem; non tollunt, sed providentiam illustrant.

390. *Q.* An providentia hominum libertati officiat?

R. Decreta Dei nullo modo libertati officiunt, sed iuvant. Deus enim, qui hominem creavit liberum, disponit suaviter, ut quae agimus, per nos libere fiant. Concurrere enim, non est necessitare, adiuvare non est, destruere entis naturam; et si Deus providit hoc futurum, hoc erit; sed sic erit, sicut Deus providit illud esse futurum. Providit autem, illud esse liberum futurum, et contingens; sequitur quod erit, sed libere et contingenter, non necessarie.

391. *Q.* Utrum solicita humanorum cura sit divinae providentiae iniuriosa?

R. Sollicitudo, circa humana, moderata, prudens, et christiana, Deum laudat, et divinae bonitati servit. Bonitas enim, in causae secundae activitate, collucet. Omni enim actione propria posthabita, omne expectare a Deo subsidium, insipientis est, et Deum tentantis, imo negantis divinam ordinationem. Non esse sollicitos de operibus nostris, nonne est dicere aperte, Deum ad inertiam nos creavisse? Quod, permaxime providentiam, offuscat.

FINIS THEOLOGIAE NATURALIS.

TERTIA PARS PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE

DE VERITATE MORUM.

ETHICA.

392. *Q.* Quid sit, et quomodo distribuatur ethica?

R. Quod Logica, et Metaphysica exequitur in intellectu, id ethica exequi studet in voluntate. Illa, veritatis principiis a tenebris ignorantiae, et erroris nos liberat, intellectum nostrum participem facit superni luminis, quo Deus se nobis demonstrat; ista eo unice spectat, ut voluntatem nostram, ab inordinatis affectibus, expeditam, divinae ordinationi conformet. Unde constat, normam agendorum, nullo modo, dividi posse a veritatis principio, scilicet a Deo, in quantum est principium, finis, rerumque omnium exemplar. Haec autem arctissima affinitas, et connexio Ethicae cum Logica, et Metaphysica diligentissime servata fuit a seraphico Duce nostro. Nam sicut in summo Deo, ut ipse scripsit, est considerare rationem causae efficientis, formalis, et exemplaris: quia est causa subsistendi, ratio intelligendi, et ordo vivendi; sic in ipsa illuminatione philosophiae, aut illuminat ad cognoscendas causas essendi, et sic est physica; aut rationes intelligendi, et sic est logica; aut ordinem vivendi, et sic est moralis (1). Ethica igitur, definiente Magistro, nihil est aliud, quam veritas morum, sive scientia, quae regit virtutem motivam. Quod regi-

(1) Confer. De reduct. art. ad Theolog. in princ.

men virtutis motivae, cum tripliciter habeat attendi, scilicet, respectu multitudinis subiectae; ideo moralis philosophia a nostro Doctore triplicatur, videlicet in monasticam, oeconomicam, et politicam. Huic triplici divisioni, ut cognitio nostra sit scientifica, sive per causas, aliquid est addendum de actibus humanis in genere. Tota igitur tractatio, in quatuor capita, distribuenda venit.

Agemus in primo: De actibus humanis.

In secundo: De iure monastico.

In tertio: De oeconomico.

In quarto: De politico.

CAPUT I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

393. *Q.* Utrum omne agens agat propter finem?

R. Omne agens agit propter finem, quia in iis, quae manifeste agunt propter finem, hoc dicimus esse finem, in quod tendit impetus agentis; hoc enim adipiscens, dicitur adipisci finem, deficiens autem ab hoc, a fine deficere dicitur. Nec differt quantum ad hoc, utrum quod tendit in finem, sit cognoscens, vel non; sicut enim signum est finis sagittantis, ita est finis motus sagittae. Omne autem agens, ad aliquid certum tendit; sed hoc certum, est, vel factum, vel actio; si factum, est finis actionis, si actio, est aut ad intelligendum aut sentiendum; ergo in utroque casu, agens, agit propter finem. Altera ratio est, quia qui agit quaerit aliquid. Hoc aliquid est finis; ergo omne agens, agit propter finem. Ultima ratio est, si agens non tenderet ad aliquid, esset indifferens; sed indifferens non agit; ergo qui agit, ad aliquid agit: ergo ad finem: ergo omne agens, agit propter finem.

394. *Q.* Utrum omne agens agat propter bonum?

R. Omne agens propter bonum agit, quia qui agit, tendit ad determinatum; si est determinatum convenit ei; quod est

conveniens alicui, est illi bonum; ergo etc. Insuper finis est in quo quiescit agens; sed quo quiescit, est appetitus quietatio; quietatio appetitus, est bonum; ergo etc. Denique, omne agens agit secundum quod est in actu: sed actus habet rationem boni, nam malum est in deficiente ab actu; ergo etc.

395. *Q.* Utrum homo sit ad bonum?

R. Homo est ad bonum; quia voluntas est ad id, quod monstrat ratio, sine enim apprehensione indeterminatus esset homo sed ratio monstrat bonum in genere: quia obiectum rationis est ens, et ens ut obiectum voluntatis est bonum, quia finis operationis et facultatis operativae; ergo voluntas hominis est ad bonum. Praeterea, omnis homo beatitudinem desiderat; sed beatitudo est possessio boni; ergo voluntas ad bonum tendit. Denique, omnia bonum exoptant; aut ergo bonum quodcumque, aut bonum quod sufficit. Non quodcumque, quia si quodcumque, tunc processus esset in infinitum. Constat ergo quod bonum quod sufficit; sed nullum bonum est sufficiens implere animam, nisi bonum in genere, sive felicitas; ergo omnes homines felicitatem appetunt. Ex hoc facile fluit; cum voluntatis motus sit progressivus, bonum triplicari; scilicet, utile, honestum, et delectabile. Utile est medium ad finem, delectabile est ut causae effectus, honestum autem est verum bonum hominis: quia intelligens ordinem cognoscit, quem habent media ad finem. Falsa igitur est illorum philosophorum doctrina, qui hominis finem in utilitate ponunt, quia medium in finem convertunt.

396. *Q.* Utrum humanae felicitatis obiectum sit Deus?

R. Deus est finis ultimus hominis. Quia solum Deus est bonum realissimum et universale; et ad hoc est humana voluntas. Quia haec tendit ad infinitum, et ad immensum, nullumque est bonum infinitum et immensum, nisi Deus. Quia, si homo quiescere posset in se, ut in fine ultimo, esset bonum absolutum, et ens in actu perfectissimum. Quia finis creationis est Deus, et homo a Deo fuit conditus. Quia finis operis, causae

et origini est proportionatus; ergo si origo divina, divinus est finis. Ergo obiectum felicitatis humanae est Deus. Hic tamen notandum est, quod homo in hoc mundo, Deum non intuetur. Felicitas ergo perfecta non est homini, super terram; restat igitur, quod eius felicitas sit in hoc, ut recte tendat ad Deum.

397. *Q.* Quid sit actus humanus, quibusque principiis potissimum constet?

R. Illi actus proprie dicuntur humani, quorum homo est dominus; est autem homo dominus suorum actuum, per rationem, et voluntatem. Unde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis, et rationis. Actus igitur humanus est ille, qui ex voluntate deliberata procedit. Si qui autem alius actus homini conveniat, potest dici actus hominis, sed non humanus, cum non sit hominis, in quantum est homo. Actus autem humanus tribus principiis constat, nempe; efficientibus, ut sunt intellectus, voluntas, et libertas: dirigentibus, ut conscientia, et lex; allicientibus, ut vitia, et virtutes.

398. *Q.* Utrum sint actus intrinsece boni aut mali?

R. Docuit Okamus noster, eam esse boni, et mali moralis naturam, ut, cum a liberrima Dei voluntate sancita sit et definita, ab eadem facile possit emoveri, et refigi; adeo ut, mutata ea voluntate, quod sanctum et iustum est, iniustum evadere possit. Sed haec doctrina, a veteribus explosa, falsa est, et absurda. Moralitas enim humanorum actuum immutabilis est, utpote in essentia rerum radicata. Radicata in essentia Dei, qui in infinitum excedit naturas creatas, nec istas creare potest, quin eas ad se ordinet, sibique assimilet. Radicata in essentia intellectus, cuius est agnoscere verum, idest percipere rerum existentiam, ordinationum mutuas relationes, atque perfectiora, ab imperfectioribus discernere. Radicata in essentia voluntatis, cuius est, verum, bonum, et pulchrum, appetere, qualia proponuntur ab intellectu. Huic doctrinae consentit genus humanum. Undique enim bonum a malo secrevit. Consen-

tiunt et adversarii ipsi; si enim habent pro bono, illud quod legi se conformat, quod ab illa disentit, malum; iam supponunt obedire bonum, malum esse, dissentire.

399. *Q.* An moralitatis cognitio sit ab intellectu et ratione?

R. Cognitio moralitatis ad intellectum et rationem pertinet: quia discretio inter bonos et malos actus, nequit haberi, sine aliqua cognitione; sed cognitio est rationalis, et intellectiva. Intellectiva, si per se illico patet; rationalis, si ad invicem refert terminos valde dissitos, quorum proinde habitudo, per ratiocinium detegi potest. Gustus igitur moralis, et instinctus corporeus scholae Scoticae, utpote coecus et irrationalis, omnino reiiciendus est. Coeterum, iudicium moralitatis, vel est subiectivum, vel obiectivum, prout respicit rationem iudicantem, vel rem iudicatam. In primo casu, iudicium aut est certum, aut incertum. In secundo, si res est necessaria ad finem, iudicium est obligatorium: si contingens, est licitum: si mala, prohibitorium, reputatur.

400. *Q.* An actus humanus sit ab intellectu, vel a voluntate.

R. Actus humanus est a voluntate. Etenim actus dicitur humanus, in quantum procedit ab homine, et ab irrationabilibus differt; sed ab irrationabilibus non differt homo, nisi in quantum est dominus suorum actuum: actuum autem suorum est dominus principaliter per voluntatem; ergo praecipue a voluntate, est actus humanus. Dixi a voluntate praecipue; quicumque enim intimum animi sui sensum attente considerat, facile percipit, ad actum humanum concurrere voluntatem, per quinque veluti gradus transcurrendo. Indiget enim cognitione, quia non fertur in incognitum. Indiget simplici volitione in bonum. Indiget deliberatione efficaci. Indiget mentis conversione ad media pro fine. Indiget fruitione, qua quiescit in bono.

401. *Q.* Quot sint fontes moralitatis?

R. Tres praecipue recensentur moralitatis fontes, scilicet obiectum, finis, et circumstantiae. Obiectum, quia ex obiecto

sumit actio, ut sit bona vel mala, iuxta illud: talis quisque est, qualis est eius dilectio. Terram diligis? terra es. Deum diligis, quid dicam? quasi Deus es. Finis, quia finis actum humanum efficit ex indifferente, bonum, vel malum; ex bono, efficit meliorem: ex bono, efficit malum: ex malo, efficit peiorem: ex malo efficit bonum, quoad agentem. Circumstantiae, quia ex circum actum stantibus, saepius actus evadit peior, vel melior. « Hae autem circumstantiae hoc versiculo continentur, » videlicet:

» Quo, quis, ubi, cum quo, quoties, cur, quomodo, quando. » *Quo*, motu supple; utrum ex tentatione gravi, vel levi, vel » nulla, si malitia, vel infirmitate, vel ignorantia. *Quis*, per» sona, praelatus, vel ordinatus, clericus, vel alius, vel alii in » exemplum positus religiosus, vel huiusmodi, in quibus pec» catum aggravari potest, ratione personae. *Ubi*, si in loco » sacro, vel communi, ita quod malum possit esse aliis in e» xemplum. *Cum quo*, si multos ad simile malum traxit, et » coet. *Quoties*, si habuit in consuetudine. *Cur*, scilicet quo » fine vel intentione; licet enim malum facere, bona intentione, » non excuset a toto, tamen excusat a tanto. Similiter autem » et, perversa intentione, aggravat peccatum. *Quomodo*, si forte, » modum, novum, modum effraenatum peccati, invenit. *Quando* » ut si forte tempus sacrum, vel orationi deputatum, in pec» cato expendit » (1).

402. *Q.* Utrum qualitas operum correspondeat qualitati intentionis?

R. Circa hoc, dictante Magistro, « ab antiquo duplex fuit » opinio. Quidam enim dixerunt, quod generaliter verum est, » quod opera, bona vel mala pensantur ex intentione. Alii vero » dixerunt, quod opera non pensantur generaliter bona, vel » mala, sed solum illa, quae indifferentia sunt ad hoc quod » fiant bene vel male: illa autem opera, quae sunt mala se-

(1) In opusc. cui titulus *Speculum animae* in praef.

» cundum se, ex intentione pensari non possunt; quia qua-
» cumque intentione fiant, semper mala sunt. Quaelibet au-
» tem harum opinionum verum dicit, si recte intelligatur.
» Intentionis enim qualitas dupliciter potest accipi, secundum
» quod intentio dupliciter dicitur. Uno enim modo intentio di-
» cit bonitatem finis. Alio vero modo, non tantum dicit boni-
» tatem finis, sed etiam ordinationem eius, quod est ad finem,
» quem appetit. Et secundum hoc dupliciter potest dici in-
» tentio bona, vel mala. Uno modo dicitur intentio bona, in
» qua est perfecta, et bona ordinatio operis ad finem intentum:
» et e contra dicitur mala, in qua est ordinatio indirecta; et
» hoc modo bonitas intentionis, non tantummodo respicit bo-
» nitatem finis, sed etiam rectum ordinem eius, quod est ad
» ipsum finem; haec enim duo necessario requiruntur ad hoc,
» videlicet quod veritas sit in electione, et charitas in inten-
» tione... Alio modo dicitur intentio bona, quia illud quod fi-
» naliter intendit est bonum: et mala, quia illud quod finali-
» ter intendit, est malum. Et hoc modo non est generaliter
» verum quod qualitas operis causetur a qualitate intentio-
» nis; et hoc dico quantum ad qualitatem, quae est bonitas.
» Si quis enim mentitur, utpote ad liberationem innocentis,
» vel furatur ut pascat pauperem, non dicitur benefacere;
» non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Quantum
» autem ad qualitatem malitiae, non habet instantiam; imo
» necessario malitia operis correspondet intentioni malae in-
» tendenti. Qualecumque enim sit opus, dum facit illud homo
» mala intentione, Deus qui scrutatur corda, malum reputat.
» Cum enim ad bonitatem operis necessario requiratur inten-
» tio boni finis, sola illa desistente, opus iudicatur esse malum;
» non tamen illa sola assistente, iudicatur esse bonum; quia
» plura exiguntur ad costruendum, quam ad destruendum » (1).

403. *Q.* An quantum quis intendit, tantum faciat?

(1) II. Sent., dist. 40, art. 1, q. 1 in concl.

R. Quantitas intentionis dupliciter cum Magistro potest intelligi, « videlicet, aut ratione actus intendendi, aut ratione » ipsius intenti. Et secundum hoc, distinguitur ista locutio du- » pliciter: quantum intendis, tantum facis. Quia *tantum* et » *quantum* possunt esse nomina, vel adverbia. Si *quantum* et » *tantum* sint adverbia, tunc dicunt quantitatem actus inten- » dendi; et tunc est locutio vera generaliter, sive respectu » bonorum, sive respectu malorum; quia quantum actus in- » tendendi est intensus in bonitate, et malitia, tantum opera- » tio exterior est bona, vel mala. Omne enim meritum, et de- » meritum ad actum voluntatis reducitur; licet circumstan- » tiae exteriores, aliquo modo, faciant ad maiorem voluntatis » depravationem. Si autem *tantum* et *quantum* sint nomina: » tunc dicunt quantitatem ex parte intenti; et sic non est » generaliter verus ille sermo, quia opus exterius factum, non » semper commensuratur ei, quod intentio intendit. Frequen- » ter enim intendit homo facere magnum bonum, et facit par- » vum, quia modicam habet charitatem. Habet tamen aliquo » modo veritatem in malis, videlicet intendendo, licet non di- » minuendo; et prout *tantum* et *quantum* dicunt quamdam » comparationem proportionis, non tamen commensurationem » aequalitatis. Unde qui intendit peccare multum, multum pec- » cat, qualecumque opus faciat. Non tamen qui intendit pa- » rum peccare, parum peccat, maxime si opus facit, quod » multum habet de deformitate » (1).

404. *Q.* Utrum intentio et voluntas interior sufficiat ad meritum absque opere exteriori?

R. Circa hanc quaestionem distinguendum est cum Doctore seraphico. « Aut enim ille, qui habet intentionem, habet fa- » cultatem bene operandi, aut non. Si non habet facultatem, » cum nemo obligetur ad impossibile, si bonam habet volun- » tatem, et directam intentionem, tunc sola plenitudo volun-

(1) Loc. cit. q. 2.

» tatis internae sufficit ei ad meritum vitae aeternae, absque » exteriori operatione. Si autem adsit facultas, et se offert » opportunitas, intentio non potest ad meritum sufficere ab- » sque opere. Ratio autem huius est divini mandati obligatio, » et virtutis perfectio, et voluntatis plenitudo. Divini mandati » obligatio facit, ut intentio sine operibus non sufficiat, cum » se offert opportunitas, et facultas. Mandata enim Dei non » solum obligant ad volendum, sed etiam ad faciendum; ideo » qui non implet divina mandata cum possit, potius meretur » iram, quam mereatur gloriam. Virtutis etiam perfectio est » ratio, quare non sufficit sola intentio, quoniam virtus est » ultimum potentiae; et ideo elevat potentiam ad aliquod ma- » gnum, et arduum; potentiae autem animae non habent suam » virtutem, sive perfectionem completam, nisi exeant in opera » sibi debita, quando adest facultas, et opportunitas; et ideo » illa intentio, qua quis vult, et intendit bonum, et tamen non » facit, cum possit, non est intentio virtuosa, ac per hoc, nec me- » ritoria. Voluntatis etiam plenitudo, ratio est, quare non suf- » ficit sola intentio: quoniam plena voluntas ponit effectum, » si adsit facultas, alioquin non dicitur plene homo aliquid » velle, si non facit, cum possit facere, sed semiplene, et pi- » gre vult, sicut piger, qui vult, et non vult. Et propterea di- » cit Gregorius: Quod nemo debet sibi blandiri de bona vo- » luntate, imo ad dilectionem Conditoris, lingua, mens et manus » requiritur, et sicut hortatur nos: diligere debemus non so- « lum verbo, et lingua, sed opere, et veritate; quoniam igitur » cum adest facultas, et se offert opportunitas, absque operi- » bus, nec est mandatorum Dei impletio, nec virtutis perfe- » ctio, nec voluntatis plenitudo, et absque his non est suffi- » centia meriti. Hinc est quod ad meritum non sufficit bonitas » intentionis, absque bonitate operis exterioris » (1).

405. *Q.* Quid, et quotuplex sit lex?

(1) Loc. cit. q. 3.

R. Lex, quae definitur, ut regula agendorum, vel omittendorum, aut est a Deo, et dicitur divina; aut ab homine, et humana vocatur. Lex divina duplex est, aeterna scilicet, et temporalis. Prior est ipsa rectitudo Dei, ut prima veritas omnia regens, et omnia ligans; posterior est illa, quam Deus in tempore praescripsit. Lex autem temporalis, in naturalem, et positivam distinguitur, prout est rationali creaturae dirigendae applicata, et indita, ut lumen quoddam naturae, vel aliquo signo, voce nimirum aut scripto, promulgata. Et id fieri potest duplici modo, vel immediate. vel mediate. Ad primum pertinet Evangelium, ad secundum, lex, per homines divina virtute missos, publicata. Lex humana esse potest, ecclesiastica, vel civilis, vel scripta, vel non scripta. Si a potestate ecclesiastica ad regimen animarum spirituale, dicitur ecclesiastica. Si a potestate civili ad regimen temporale, est civilis. Quae scriptis commendatur, scripta; quae moribus populi introducitur, et a legislatore ut rata habetur, lex consuetudinaria appellatur.

406. *Q.* Utrum existat lex naturalis?

R. Lex naturalis, quae est participatio legis aeternae, hominibus facta per donum rationis et conscientiae, secundum quam discernunt bonum et malum, in universis hominibus usu rationis valentibus, existit. Nam Deus est creator et ordinator omnium ad finem; sed ordinatio entis, ratione et libertate praediti, non fit, nisi per legem; homo enim non tam ducitur, quam se ducit; ergo necesse est, ut sit lex naturalis. Altera ratio est; quia, cum omnis vis sit principium actionis, secundum suum operandi modum procedere debet, scilicet per propriam legem; sed voluntas humana est vis libera, movens et potens; ergo habere debet propriam legem: sed haec ei debet esse naturalis; ergo existit lex naturalis. Tertia ratio est, quia homo conscientiae morsibus ob culpam laceratur; conscientiae morsus, culpam supponunt; culpa est obligationis violatio; obligationis violatio dicit legem ligantem; haec lex ligans, est lex naturalis; ergo etc. Nec aliter de existentia legis naturalis sen-

serunt tum veteres tum recentes, tum privata tum publica conscientia, tum legislatores, tum nobilissimi ex philosophis gentilibus, teste Tullio, pluribus in locis, maxime in Libr. *de Legibus*. In primo enim, capit. 15, eos confutans, qui volunt humanis legibus iura omnia constitui ait: « Quod si populorum » iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum, iura » constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius te- » stamenta falsa supponere, si haec, suffragiis, aut scitis mul- » titudinis probarentur. Quae si tanta potestas est stultorum » sententiis, atque iussis, ut eorum suffragiis, rerum natura » vertatur; cur non sanciunt. ut quae mala et perniciosa sunt, » habeantur pro bonis et salutaribus? Aut cur, cum ius ex » iniuria facere possit, bonum eadem facere non possit ex » malo? Atqui nos legem bonam a mala, nulla alia, nisi natu- » rae norma, dividere possumus... Nam et communis intelligentia » nobis notas res efficit eas, quas in animis nostris inchoavit, » ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. Hoc autem » in opinione existimare, non in natura posita, dementis est. » Et libro 2, cap. 4, de scelere Tarquinii, haec habet: « Nec si, » regnante Tarquinio, nulla erat Romae lex scripta de stu- » pris, idcirco, non contra illam legem sempiternam, Sextus » Tarquinius vim Lucretiae Tricipitini filiae, attulit? Erat enim » ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum im- » pellens, et a delicto avoncas, quae non tantum denique in- » cipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est: orta » autem simul est cum mente divina. Quamobrem lex vera, » atque princeps apta ad iubendum et vetandum, ratio est » recta summi Iovis. » Dixi legem naturalem esse in omnibus hominibus ratione valentibus: est quippe ipsum rationis lumen demonstrans, existere in natura rerum ordinem necessarium et optimum; cuius observatione res sunt bonae, cuius perturbatione depravantur, cui propterea homo debet obedire, si bonus esse velit, laude praemioque dignus, quemque qui scienter violat, furiosus est, pugnans cum natura, ipsoque rerum

omnium ordinatore. Tolle huius legis iustitiam, nullus erit rationis usus, nulla veri a falso discretio, nullum, iusti ab iniusto, boni a malo, discrimen. Unde omnes conveniunt sane philosophantes, in adultis ratione utentibus, nullam dari ignorantiam invincibilem, circa legis naturalis prima praecepta. Tam clare enim erumpunt, tum ex lumine rationis, tum ex sensu morali, ut per se sint nota, nulloque sophismate obscurari possint. Quaenam enim unquam extitit gens tam fera, quae non habuerit pro sacrosanctis, praecepta de Deo adorando, de parentibus honorandis, de principibus obediendis, de caedibus, stupris, et furtis vitandis, de servanda, erga similes, iustitia et humanitate?

407. *Q.* Quomodo lex naturalis hominibus innotescat?

R. Circa hanc rem non levis exurgit quaestio inter recentes philosophantes. Alii enim, qui ab adversariis dici solent semirationalistae, opinantur primas veritates contineri in lumine rationis, ita ut infans, etiam in sylvis enutritus, eas assequi possit, absque documento, ubi pervenit ad annos discretionis. Alii vero, qui traditionalistae dicuntur, donum rationis videntur constituere in mera facultate intelligendi documenta extrinseca; unde infantis mens, verbis et signis magistri destituta, non modo non assequeretur plenum rationis usum, sed perpetuo esset tabula rasa, ipso vitae rationalis initio carens. Inter huiusmodi opiniones, vera est sententia media Doctoris nostri, qui propositam quaestionem perbelle solvit, in modum tum philosophiae tunc theologiae optime consentaneum, hisce verbis: « Est tertius modus dicendi, quod habitus cognitivi » quodam modo sunt nobis innati, quodammodo acquisiti: non » tantum loquendo de cognitione in particulari, et de cognitione conclusionum; sed etiam de cognitione principiorum.... » Omnes enim in hoc concordant, quod potentiae cognitivae » sit lumen inditum, quod vocatur naturale iudicatorium. Species autem et similitudines rerum acquiruntur nobis mediante sensu, sicut expresse dicit Philosophus in multis locis; » et hoc etiam experientia docet. Nemo enim unquam cogno-

» sceret totum, aut partem; aut patrem, aut matrem, nisi sensu
» aliquo exteriori, speciem eius acciperet: et hinc est, quod
» amittentes unum sensum, necesse habemus unam scientiam
» amittere. Illud autem lumen, sive naturale iudicatorium, di-
» rigit ipsam animam in iudicando, tam de cognoscibilibus, quam
» de operabilibus. Sed hoc attendendum est praecipue; quia
» sicut inter cognoscibilia, quaedam sunt valde evidentia, si-
» cut dignitates, et prima principia; quaedam sunt minus evi-
» dentia, sicut conclusiones particulares: sic et in operabilibus,
» quaedam sunt maxime evidentia, utpote illud; quod tibi non
» vis fieri, alteri ne feceris; et quod Deo obtemperandum est,
» et consimilia. Quemadmodum igitur, cognitio principiorum
» primorum, ratione illius luminis, dicitur esse nobis innata,
» quia lumen illud sufficit ad illa cognoscenda, post receptio-
» nem specierum, sine aliqua persuasione superaddita, propter
» sui evidentiam; sic et primorum principiorum moralium co-
» gnitio nobis innata est, pro eo quod iudicatorium illud suf-
» ficit ad illa cognoscenda. Rursus, quemadmodum cognitio
» particularium conclusionum scientiarum acquisita est, pro
» eo quod lumen nobis innatum non plene sufficit ad illa co-
» gnoscenda, sed indiget aliqua persuasione, et habilitatione
» nova; sic etiam intelligendum est, ex parte operabilium, quod
» quaedam sunt agenda, ad quae tenemur, quae non cogno-
» scimus, nisi per instructionem superadditam. Quoniam igitur
» conscientia nominat habitum directivum nostri iudicii, re-
» spectu operabilium, hinc est quod, quodam modo, habitum
» nominat innatum, et quodammodo nominat acquisitum. Ha-
» bitum, inquam, innatum nominat, respectu eorum, quae sunt
» de primo dictamine naturae; habitum vero acquisitum, re-
» spectu eorum, quae sunt instructionis superadditae. Habi-
» tum etiam innatum dicit, respectu luminis directivi. Habi-
» tum nihilominus acquisitum, respectu speciei ipsius cogno-
» scibilis. Naturale enim habeo lumen, quod sufficit ad cogno-
» scendum quod parentes sunt honorandi, et quod proximi non

» sunt laedendi; non tamen habeo naturaliter mihi impres-
» sam speciem patris, vel speciem proximi. His visis, plana
» est responsio ad quaestionem propositam.... Concedo enim,
» quod conscientia dicit habitum quodam modo innatum, vi-
» delicet ratione illius luminis super nos signati, quod quidem
» ostendit nobis bona, et quod est seminarium aliorum habi-
» tuum acquirendorum, et sic currunt sex rationes sequentes:
» Prima est divina auctoritas D. Pauli, qui sic ait: cum gen-
» tes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt fa-
» ciunt; ipsi sibi sunt lex, quia ostendunt opus legis scriptum,
» in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia. Se-
» cunda est Augustini, qui scripsit: Ante omne meritum boni
» operis, non est parum accepisse naturale iudicatorium, quo
» sapientiam quis praeponat errori, et quietem difficultati. Si
» ergo conscientia est huiusmodi iudicatorium, est igitur ha-
» bitus homini innatus. Tertia ratio est Isidori, qui sic argu-
» mentatus est: ius naturale est quod natura docuit omnia
» animalia; ergo si natura docuit animalia, illud quod est iuris
» naturalis, multo fortius docuit hominem, qui excellit omnia
» animalia; sed cognitio iuris naturalis non est aliud, quam
» conscientia; ergo etc. Quarta ratio est, quia naturaliter ha-
» bemus instinctum ad appetendam beatitudinem, et ad ho-
» norandum parentes; sed hoc non potest esse, sine aliqua prae-
» cognitione; ergo videtur, quod ad huiusmodi facienda, habea-
» mus aliquam cognitionem, naturaliter nobis impressam; sed
» cognitio inclinans ad hoc, est conscientia; ergo etc. Quinta
» ratio est, quia lex naturalis cognoscitur ab homine, aliquo
» modo; aut ergo per acquisitionem, aut per naturam. Si per
» acquisitionem, ergo dici non debet naturalis, sed acquisita;
» si vero per naturam, et cognitio legis naturalis non est a-
» liud quam conscientia; ergo etc. Sexta denique ratio est, quia
» ius naturale, naturaliter ligat voluntatem; sed ligationem
» voluntatis necessario praecedit actus cognitionis: affectum
» enim praecedit intellectus; ergo si voluntas naturaliter ad

» illud ius ligatur, videtur quod illud ius, naturaliter ab anima
» cognoscatur. Si ergo illius iuris cognitio est conscientia, pa-
» tet, conscientiam habere habitum innatum. Nihilominus fa-
» teor et ego, nonnullos habitus conscientiae esse acquisitos;
» sed hi habitus principia secundaria respiciunt, respiciunt et
» complexa; et in his potest esse error, incertitudo, ignorantia,
» passio effraenata, cupiditas, superstitio, praeiudicium, et con-
» similia. Haec tamen omnia, habitum naturalem non destruunt,
» sed confirmant. Etenim, cum error non sit nisi veritas *er-*
» *rans*, necessario notionem veri praedicat. Unde error locum
» obtinere non potest in primis principiis, sed solum in con-
» clusionibus, et in mente iam ratiocinio idonea, et consequenter
» primis veri notionibus imbuta. Non enim est facilius magistris,
» mentem prorsus inintelligentem reddere intelligentem, quam
» nutrici infantem non vivum lactare (1). Si qua autem sunt,
» cognoscibilia, quae quidem cognoscantur per sui essentiam,
» non per speciem, respectu talium poterit dici conscientia
» esse habitus simpliciter innatus, utpote respectu huius, quod
» est, Deum amare, et Deum timere. Deus enim non cogno-
» scitur per similitudinem a sensu acceptam; imo Dei notitia
» naturaliter est nobis inserta, sicut dicit Augustinus. Quid
» autem sit amor, et timor, non cognoscit homo per similitu-
» dinem exterius acceptam, sed per essentiam; huiusmodi enim
» affectus essentialiter sunt in anima » (2).

Doctrinae seraphicae suffragatur Rousseau his verbis: Gettate gli occhi sulle nazioni tutte del mondo, percorrete tutte le storie; e fra tanti culti inumani e stravaganti, fra quella prodigiosa diversità di costumi, voi troverete ovunque le stesse idee di giustizia, e di onestà, ovunque gli stessi principii di morale, ovunque le stesse nozioni del bene e del male. Il paganesimo antico produsse degli dei abbominevoli, che quag-

(1) Vid. Martinet *Theol. mor.* lib. I, art. 2. § 5, pag. 58.
(2) II Sent., dist. 39, art. 3, in tot. questio. 2.

giù sarebbersi puniti come scellerati, e che non offrivano per modello della felicità suprema, che misfatti a commettere, e passioni a contentare. Ma il vizio, armato d'una sacra autorità, scendeva indarno dall'eterno soggiorno, l'istinto morale lo respingeva dal cuore dei mortali. Celebrando le dissolutezze di Giove, ammiravasi la continenza di Senocrate; la casta Lucrezia adorava l'impudica Venere; l'intrepido Romano sacrificava allo spavento; egli invocava il dio che mutilò suo padre, e moriva senza mormorare per la mano del suo: le più spregievoli divinità furon servite dagli uomini più grandi. La santa voce della natura, più forte di quella degli dei, facevasi rispettare sulla terra, e sembrava rilegare in cielo il delitto coi colpevoli.... Ma odo sorgere d'ogni intorno i clamori dei pretesi saggi.... Eglino osan di rigettare questo accordo evidente ed universale di tutte le nazioni, e contro la sonora uniformità del giudizio degli uomini, vanno a cercare nelle tenebre qualche esempio oscuro, e da essi solo conosciuto, come se tutte le inclinazioni della natura fossero annichilate dalla depravazione di un popolo, e che tosto essendovi dei mostri, la specie non fosse più nulla. Ma che servono allo scettico Montaigne, i travagli che si dà, per disotterrare in un angolo del mondo, un costume opposto alle nozioni della giustizia? Che gli vale il concedere ai più sospetti viaggiatori l'autorità che ricusa ai più celebri scrittori? Alcuni usi incerti e stravaganti, fondati sopra cause locali, che ci sono sconosciute, distruggerebbero eglino l'induzion generale tratta dal concorso di tutti i popoli?.... O Montaigne, tu che ti vanti di franchezza e di verità, sii leale, e sincero, se un filosofo può esserlo, e dimmi se esista qualche paese sulla terra, ove sia un delitto custodire la propria fede, l'esser clemente, benefico, e generoso; ove l'uom dabbene sia dispregevole ed il perverso onorato (1). Nec diversimode sentit ipse

(1) Emil. lib. IV, tom. II, p. 349 352. Parigi 1793.

Voltaire, qui sic scripsit: « Io ho veduto dappertutto, che si rispettava suo padre e sua madre, che si credeva tenuto a mantener la sua promessa, che si aveva della commiserazione per gli innocenti oppressi..... Coloro che pensan diversamente mi sono sembrate creature mal organizzate, mostri come quelli, che son nati senz' occhi e senza mani (1). I riti variano presso tutti i popoli; la morale sola non varia (2) ».

408. *Q.* An lex naturalis sit omnium legum princeps?

R. Lex naturalis, cum sit ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo promulgata, qui habet curam communitatis, omnibus legibus praeit duplici modo; promulgatione, et praestantia praeceptorum. Promulgatione; quia fit ab ipso Deo, in foro mentis, et antequam ulla lex, forinsecus promulgata, mentem obligare possit. Praeceptorum praestantia; lex enim naturalis ea praecipit, quae pertinent ad substantiam ordinis, sive aeterni, et immutabilis, qui est ipsa Dei essentia: sive contingentis et positivi, qui pendet a libera Dei voluntate, et consequenter necessario conservanda sunt ab eo, qui non vult cum voluntate divina pugnare, et sic fieri absolute malus et miser. Hinc tantum abest, ut lex naturalis libertatem hominum impediat, eosque sub dura potestate incurvet, ut contra, eos liberet a turpi vitiorum servitute, ut tyramnos destruat, iniustas leges disrumpat, et sentire, diligere, operari, more Dei, faciat, atque erigat ad omnimodam perfectionem et felicitatem. Desinant ergo eam fastidire parvi et magni increduli, et eam agnoscere incipiant, et diligere, ut nobile et unicum ad beatitatem medium, atque tandem aliquando abstineant a stultis illis sciscitationibus: cur Deo placuerit tam gravia praecipere, et violatores suppliciis adiicere sempiternis?

409. *Q.* Utrum lex naturalis possit mutari?

R. Lex naturalis per se, in praeceptis primariis, intrinsece

(1) Dizion. filosof. art. necessario.
(2) Osservaz. sulla Storia univers.

mutari nequit; quia nihil aliud est, quam dictamen rationis rectae, quod ubique, et semper idem est. Mutari nequit, quia obligatio legis naturae, ex ipsa rerum natura fluit, quae per se immutabilis est. Mutari denique nequit, quia quod praecipit lex naturae, est per se bonum; quod prohibet, malum; malum autem, et bonum non mutantur. Sed Marci Tullii verba pulchrum est referre: « Est quidem vera lex recta ratio naturae » congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet » ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat: quae tamen neque probos frustra iubet, aut vetat, nec improbos iubendo, aut vetando movet. Huic legi, nec abrogari fas est, » neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum, solvi hac » lege possumus. Neque est quaerendus explanator, aut interpres eius alius. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia » nunc, alia posthac; sed et omnes gentes, et omni tempore, » una lex, et sempiterna, et immutabilis continebit: unusque » erit communis quasi magister, et imperator omnium Deus; » ille, huius legis inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus, hoc » ipso luet maximas paenas, etiam si caetera supplicia, quae » putantur, effugerit » (1). Diximus, per se in praeceptis primariis: nam praecepta secundaria legis naturae, ad ordinis perfectionem tantum spectantia, aliquando relaxantur, seu ad tempus dispensantur, et reapse dispensatum fuit in veteri Testamento, cuius erat nihil ad perfectum adducere, sed homines comparare ad promulgationem perfectae legis Christi. Exemplum est, indultum polygamiae et repudii, quo, apud Iudaeos, divinitus relaxatur praeceptum positivum simul et naturale, de unitate, et indissolubilitate matrimonii.

410. *Q.* Utrum lex naturalis sanciri debeat?

R. Lex naturalis sanctionem habere debet. Primo, quia lex

(1) Apud Lactant. Divin. instit. lib. VI, cap. VIII.

est ad aliquid, aliquid est ad finem; ergo qui observat, finem invenit, qui non, a fine deficit; qui finem, habet bonum, qui deficit, habet malum. Ergo bonum et malum est inditum legi: ergo sanctionem habet. Secundo, quia cum lex sit ad finem obligandi, si lex non haberet sanctionem, lex esset, et non lex. Tertio, quia lex debet movere; sed motus in rationali homine, non est nisi per praemium, vel per poenam; ergo lex habere debet praemium, vel poenam; sed praemio et poena sancitur lex; ergo lex habet sanctionem. Quarto, quia si lex non sanciretur, inter virtutem et vitium non esset discrimen; sed hoc est absurdum; maximum enim intercedit discrimen inter vitium et virtutem; ergo legi naturali sanctio concedenda est. Quinto, quia lex est ad ordinem; sed ordo non esset, si finis legis, tum observatori, cum violatori, esset aequalis; ergo lex ordinata habet sanctionem. Sexto denique, quia absque sanctione, subditi non obedirent; ergo lex sanctionem habere debet.

411. *Q.* Quid sit praeceptum, et de praeceptis decalogi, quid praecipue advertendum?

R. « Praeceptum, ex Doctore nostro, est imperium faciendi » aliquid, vel non faciendi. Praeceptorum alia sunt affirma- » tiva, ut: honora patrem: alia negativa, ut: non occides. Prae- » cepta affirmativa, stricte sumendo, dicuntur praecepta, sed » negativa dicuntur prohibitiones. Praecepta affirmativa obli- » gant semper, sed non ad semper. Negativa vero obligant » semper, et ad semper. Praecepta decalogi possunt dici data, » vel innata. Primo modo tantum pertinent ad populum Israe- » liticum: secundo modo, omnes obligant; quia quidquid con- » tinet decalogus explicite, hoc continet lex naturae, quae » scripta est in corde cuiuslibet, implicite. Istud enim prae- » ceptum legis naturae: quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris, » includit haec praecepta: non occides, non furtum facies, et » huiusmodi, quae decalogus explicite ponit. Quaedam prae- » cepta ponuntur imperative, illa scilicet quae sunt affirma- » tiva; quaedam indicative, scilicet negativa; et hoc ideo quia

» difficilius est facere bonum, quam declinare malum. Plures
» enim, in faciendo bonum, requiruntur circumstantiae. In qui-
» busdam praeceptis prohibentur actus, habitus et affectus,
» ut patet in his: non moechaberis, non concupisces uxorem
» proximi tui, quia appetitus est nimis inordinatus ad illa. In
» quibusdam, solummodo prohibentur actus, ut cum dicitur:
» non occides. Hoc dico, secundum formam tradendi, non se-
» cundum veritatem intelligendi, quia omnia praecepta ne-
» gativa, manum et animum ligant. Multis modis ligamur: sci-
» licet, lege naturae, ut est diligere Deum super omnia, et
» nulli facere, quod nobis fieri nolumus; praeceptis divinis, ut
» ligabatur Adam praeceptis sibi datis, et Iudaei, suis; voto,
» quia secundum Augustinum, vovere est voluntatis, sed red-
» dere est necessitatis. Unde, quibusdam, etiam consilia sunt
» praecepta, sicut religiosis qui voverunt talia: decretis pa-
» trum, ut est ieiunare aliquas vigilias, et huiusmodi: consue-
» tudine, secundum quod in Francia primogenitus succedit in
» regno: mandatis praelatorum, unde; super cathedram Moysi
» etc.: conscientia, quia secundum Augustinum, quidquid fit
» contra conscientiam, aedificat ad gehennam. Numerus prae-
» ceptorum sumitur sic: quia quaedam ordinant nos ad Deum,
» quaedam ad proximum; quod Deus insinuare voluit, quan-
» do in duabus tabulis legem dedit. In prima tabula sunt tria
» praecepta, quae pertinent ad Deum, quorum primum per-
» tinet ad Patrem, quia est de divina unitate. Secundum ad
» Dei Filium, quia est de iuramenti veritate. Tertium ad Spi-
» ritum Sanctum, quia est de spirituali vacatione. In secun-
» da tabula sunt septem praecepta ad proximum spectantia.
» Quorum primum, est de exhibendis bonis, ut est illud ho-
» nora patrem tuum etc. Reliqua sex sunt de cavendis malis;
» quae inferri possunt corde, vel opere, vel ore. Opere laedi-
» mus proximum tripliciter; propter quod dantur tria prae-
» cepta. Primum est: non occides; secundum, non moecha-
» beris; tertium: non furtum facies. Ore quoque laedimus pro-

» ximum: et est contra illud: non dices contra proximum tuum » falsum testimonium. Corde laedimus proximum dupliciter; » quandoque respectu rei irrationalis, de hoc dicitur: non con- » cupisces rem proximi tui; quandoque respectu rei rationalis, » et de hoc dicitur: non concupisces uxorem proximi tui (1). » Decem praecepta, per ordinem, his versibus, continentur:

Sperne Deos, fugito periuria, sabbata serva;
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Non sis occisor, moechus, fur, testis iniquus.
Vicinique torum, resque caveto suas (2).

413. *Q.* Quid sit consilium evangelicum, et in quo differat a praecepto?

R. Consilium, ex Doctore nostro, est persuasio melioris boni, » ad quod non tenemur. Consilia, in multis, differunt a prae- » ceptis. Primo, quia ad praecepta tenemur, ad consilia vero » non; quia praecepta servare, est necessitatis, consilia vero » voluntatis. Item, lex vetus dat praecepta, Evangelium vero » superaddit consilia. Item consilium pertinet ad perfectos, » praeceptum ad perficiendos; sed permissio ad imperfectos, » prohibitio ad perversos. Item, praecepta separant nos ab » illicitis, consilia vero a concessis. Item, per praecepta de- » clinamus peccata: sed per consilia, occasiones peccati. Item, » per praecepta, maxime negativa, poenam fugimus: sed per » consilia, praemium cumulamus. Item, consilia servata affe- » runt praemium, non servata, non adducunt supplicium. Item, » ad praecepta constringimur ex debito: sed ad consilia non » nisi ex voto. Item, consilium per votum fit praeceptum, si- » cut ait Augustinus: vovere est voluntatis, sed reddere est » necessitatis. Item, melius est, esse devotum in minoribus, » quam in maioribus, indevotum promissionibus inveniri. Unde » melius est, nuda praecepta servare cum devotione, quam se

(1) In *Comp. theol. verit.* lib. 5, cap. 59.
(2) *In Centil.* p. 3, sect. 33.

» ad consilia obligare, et in his negligentem esse. Nota quod » in lege Mosaica, fuerunt iudicia coerimonialia, et moralia. » Lex autem Evangelica iudicia temperat, partem auferen- » do: figuras evacuat, rerum veritatem exhibendo: praecepta » consumat, adiiciendo: adiicit autem tria, scilicet: instructio- » nem documentorum, promissionem praemiorum, et perfe- » ctionem consiliorum. Et ideo dicitur lex Mosaica, ab Evan- » gelica differre; quia illa figurarum est, haec veritatis: illa » poenae, haec gratiae: illa litteralis, haec spiritualis; illa » occidens, haec vivificans: illa timoris, haec amoris: illa ser- » vitutis, haec libertatis; illa oneris, haec honoris » (1).

413. *Q.* Quot sint consilia Evangelica?

R Sunt duodecim ex Doctore nostro:

« 1. Est paupertatis, quae consistit in abdicatione proprie- » tatis. Unde Lucas: Qui non renuntiaverit omnibus, quae pos- » sidet etc.

» 2. Est obedientia, unde illud: Super cathedram Moysi » sederunt etc....

» 3. Est castitas, de qua Dominus dicit: Sunt eunuchi, qui » se castraverunt etc.....

» 4. Consilium est charitatis: Diligite inimicos vestros. Istud » autem, quantum ad dilectionem affectus est praeceptum, sed » quantum ad dilectionem effectus, est consilium....

» 5. Est mansuetudinis: Si quis te percusserit in unam » maxillam etc....

» 6. Est misericordiae, et supererogationis, ut illud: Si vis » perfectus esse, vade etc....

» 7. Consilium est de simplicitate verborum ut ibi: Sit ser- » mo vester: est est, non non.....

» 8. Est de vitanda occasione peccati. Unde dicitur: Si o- » culus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te.

» 9. Consilium est de rectitudine intentionis ac finis. Unde

(1) Loc. cit. cap. 69.

» dicitur: Attendite, ne iustitiam vestram faciatis, coram ho-
» minibus, etc.....

» 10. Consilium est de conformitate operis ad doctrinam,
» ut ibi: Hypocrita eiice prius trabem de oculo tuo, etc....

» 11. Consilium est de evitanda sollicitudine, ut ibi: Nolite
» soliciti esse, etc.....

» 12. Est fraternae correctionis, ut in Matthaeo: Si pecca-
» verit in te frater tuus, vade et corripe eum, etc.... » (1).

414. *Q.* Quot sint dona Spiritus Sancti, et quid, circa ipsa, videndum?

R. « Licet omnes habitus, dati divinitus, possint dici gene-
» raliter dona Dei: specialiter tamen et appropriate, septem
» sunt dona Spiritus Sancti, quae per ordinem enumerat
» Isaias, a summo incipiens, usque ad ultimum descendendo. Se-
» ptem igitur sunt dona multiplici ratione. Primo scilicet, ut,
» per haec septem, expellantur vitia septem, ita scilicet ut
» timor expellat superbiam, pietas invidiam, scientia iram,
» quae est quasi quaedam insania, fortitudo accidiam, con-
» silium avaritiam, intellectus gulam, sapientia luxuriam. Se-
» cundo, dicuntur esse septem, propter expediendas vires na-
» turales. Nam irascibilis indiget expediri, tam in prosperis
» quam in adversis; in prosperis quidem, per timorem; in ad-
» versis autem, per fortitudinem. Concupiscibilis indiget expe-
» diri, quantum ad affectum, respectu proximi, quod fit per
» pietatem, et quantum ad affectum, respectu Dei, quod fit
» per gustum sapientiae. Rationalis quoque indiget expediri
» in veritatis speculatione, quod fit per donum intellectus; et
» in veri electione, quod fit per consilium; atque in electi exe-
» cutione, quod fit per donum scientiae. Per hoc enim donum,
» recte conversamur in medio nationis pravae, et perversae.
» Tertio, dicuntur esse septem dona, propter regimen activae,
» et contemplativae vitae. Contemplativa siquidem, tria dona

(1) Loc. cit. cap. 70.

» debet habere, scilicet, timorem ad reverentiam maiestatis, » intellectum ad intelligentiam veritatis, sapientiam ad gu- » stum bonitatis. Activa vero vita debet habere pietatem ad » agendum, fortitudinem ad sustinendum, scientiam ad dire- » ctionem pietatis, consilium ad directionem fortitudinis. Plu- » rima ergo dona sunt ad intellectum spectantia, quia lux co- » gnitionis multum expedit, ad dirigendos pedes nostros in » viam rectam. Propter eamdem causam, fit donorum combi- » natio: ubi, quasi semper, adiungitur unum directivum cum » alio, quod spectat ad actionem et passionem. Unde Grego- » rius super Ezechielem dicit, quod sumus per sapientiam ma- » turi, per intellectum provvidi, per consilium cauti, per for- » titudinem animosi, per scientiam discreti, per pietatem mi- » sericordes, per timorem humiles. » (1).

415. *Q.* Quot sint beatitudines Evangelicae, et, de ipsis quid tenendum?

R. « Beatitudines sunt septem, secundum distinctionem gra- » duum, quamvis sint octo, secundum essentiam, quas Salvator » enumerat, in sermone de Monte, scilicet, paupertas spiritus, » mititas, luctus, esuries iustitiae, misericordia, munditia cor- » dis, pax. Quarum beatitudinum numerus accipitur secundum « integritatem perfectionis. Requiruntur ad integritatem per- » fectionis tria, scilicet, recessus a malo, processus in bono, » et perfectus status in optimo. Sane, malum omne procedit » ex tumore superbiae, aut ex rancore malitiae, aut ex lan- » guore concupiscentiae. Contra haec tria sunt tres beatitu- » dines, scilicet, paupertas spiritu contra superbiae malum, » mititas contra malum rancoris, luctus contra malum libi- » dinis. Item, processus in bono attenditur secundum divinam » imitationem, quae est secundum duas vias Domini, scilicet » misericordiam, et veritatem, de quibus in Psalmis: Universae » viae Domini misericordiae, et veritas. Item, secundum has

(1) Loc. cit. cap. 38.

» duas vias, sumuntur duae beatitudines, scilicet esuries iu- » stitiae, et affectus misericordiae. Praeterea, status in optimo » attenditur in duobus; scilicet in limpida cognitione, et tran- » quilla affectione; et secundum hoc, sumuntur duae ultimae » beatitudines, scilicet munditia cordis, ad Deum videndum, » et pax mentis, ad perfecte fruendum. Per has septem bea- » titudines, excluduntur septem vitia capitalia; paupertas spi- » ritus excludit superbiam; mititas iram, luctus invidiam, (quo- » niam, qui luget pro peccatis aliorum, non invidet illis), esu- » ries iustitiae accidiam, misericordia avaritiam, munditia » cordis gulam; quia cordis munditia non servit ventri, ad mo- » dum bruti animalis; pax excludit luxuriam, quia gustato » spiritu, desipit omnis caro. Et sicut in enumeratione dono- » rum est ordo artificialis, quo primo ponuntur digniora; ita » in beatitudinibus est ordo naturalis, quia digniores ponuntur » ultimo » (1).

416. *Q.* Quid sit, et an conscientia se teneat ex parte intellectus, vel ex parte affectus?

R. Conscientia, quae est sicut praeco Dei, et nuntius legis naturalis, se tenet ex parte cognitivae potentiae, licet non speculativam, sed practicam respiciat cognitionem. Et rationes ad hoc plures sunt. Prima ratio est, quia conscientia dicit scire: sed scire est actus potentiae cognitivae: ergo ex parte intellectus, conscientia se tenet. Secunda ratio est, quia conscientia est lex intellectus nostri: sed lex intellectus non dicitur, nisi in lumine, in scriptura, quae directe respicit intellectum; ergo etc. Tertia ratio Doctoris nostri est « quia omnis » scientia est ex parte intellectus; omnis conscientia est scien- » tia; ergo omnis conscientia est ex parte intellectus. Maior » propositio per se manifesta est. Minor probatur; quia omnis » conscius alicuius rei, est sciens illam rem; ergo a coniugatis, » omnis conscientia est scientia. Quarta ratio est quia con-

(1) Loc. cit. cap. 47.

» scientia dividitur per rectam, et erroneam; sed erroneum » respicit actum vel habitum intellectivum; si ergo divisum » et dividentia spectant ad eamdem potentiam animae, vide- » tur, quod conscientia teneat se ex parte potentiae cogni- » tivae. Ultimo, hoc ipsum attenditur per actum; legere enim, » et iudicare, et dirigere, et testificari, et arguere, omnes sunt » actus spectantes ad cognitionem; sed omnes hi tales actus » attribuuntur conscientiae; nam conscientia est liber, in quo » legimus; conscientia etiam interius iudicat, conscientia te- » statur, conscientia arguit, conscientia etiam regit, et diri- » git; ergo videtur, quod conscientia totaliter se teneat ex » parte cognitivae, cum actus et habitus sint eiusdem po- « tentiae » (1).

417. *Q.* An teneamur ad omne, quod conscientia dictat esse necessarium ad salutem?

R. « Conscientia ligat semper ad faciendum quod dictat, » praeterquam in his, quae sunt contra legem Dei; tunc enim » ligat ad deponendum eam; quia ex Doctore nostro, con- » scientia aliquando dictat aliquid, quod est secundum legem » Dei, aliquando aliquid quod est praeter legem Dei, aliquando » aliquid quod est contra legem Dei, et loquimur hic de di- » ctamine, per modum praeceptionis, vel prohibitionis, non per » modum consilii, sive persuasionis. In primis quidem, conscien- » tia simpliciter ligat et universaliter, pro eo quod ad illa, » homo ligatus est per legem divinam, et conscientia, quae » illi concordat, ligatum ostendit. In secundis vero, conscientia » ligat quamdiu manet. Unde vel tenetur homo conscientiam » deponere, vel tenetur illud, quod dictat conscientia adim- » plere, utpote si dictat, quod necessarium est ad salutem, » festucam de terra levare. In tertiis vero, conscientia non » ligat ad faciendum, vel non faciendum, sed ligat ad se de- » ponendum; pro eo quod, cum talis conscientia sit erronea,

(1) Sent., 2, dist. 39, art. 1, q. 1, in fund.

» errore repugnante legi divinae, necessario quamdiu manet, » ponit hominem extra statum salutis; et ideo necesse est » ipsam deponere; quia sive homo faciat quod dictat, sive eius » oppositum, mortaliter peccat. Si enim faciat, quod conscientia » dictat, et illud est contra legem Dei, et facere contra legem » Dei sit mortale peccatum, absque dubio mortaliter peccat. » Si vero facit oppositum eius, quod conscientia dictat, ipsa » manente, adhuc peccat mortaliter, non ratione operis, quod » facit, sed quia, malo modo, facit. Facit enim in contemptum » Dei, dum credit, sibi, dictante conscientia, hoc Deo displicere, » quamvis Deo placeat..... Quamvis enim fiat etiam quod bo» num est, si non faciendum credatur, peccatum est. Et ratio » huius est: quia non tantum attendit Deus, quid homo faciat, » sed, quo animo, faciat: et iste qui facit quod Deus iubet, cre» dens facere contra ipsius Dei voluntatem, non facit bono a» nimo, sed malo; et ideo peccat mortaliter. Sic igitur patet » quod omnis conscientia, aut ligat ad faciendum quod dictat, » aut ligat ad se deponendum » (1).

418. *Q.* Quid sit synderesis, et an sit in genere cognitionis, vel affectionis?

R. Synderesis definitur a nostro Doctore, ut conscientiae scintilla, et est in genere affectionis. Nam « quemadmodum » ab ipsa creatione animae, intellectus habet lumen, quod est » sibi naturale iudicatorium, dirigens ipsum intellectum in » cognoscendis, sic affectus habet naturale quoddam pondus, » dirigens ipsum affectum in appetendis. Appetenda autem sunt » in duplici genere: quaedam enim sunt in genere honesti; » quaedam in genere commodi: sicut et cognoscibilia sunt in » duplici genere. Quaedam in genere speculabilium, quaedam » ex parte moralium. Et quemadmodum conscientia non nomi» nat illud iudicatorium, nisi in quantum dirigit ad opera » moralia; sic synderesis non nominat illud pondus volunta-

(1) Loc. cit. q. 3 in conclus.

» tis, nisi in quantum illam habet inclinare ad bonum hone- » stum. Et quemadmodum nomen conscientiae potest accipi » pro potentia cum tali habitu, vel pro habitu talis poten- » tiae, sic etiam synderesis. Usitatiori tamen modo loquendi, » synderesis potius nominat potentiam habitualem, quam no- » minet habitum. Et quia illa potentia nunquam separatur » ab illo habitu, hinc est quod habitus, et potentia uno no- » mine comprehenduntur, et potentia illa, ut sic habilitata, » nomen sui habitus sortitur.... Synderesis igitur dicit illud » quod stimulat ad bonum, et ideo ex parte affectionis se » tenet » (1).

419. *Q.* Utrum synderesis per peccatum extingui possit?

R. « Synderesis, quantum ad actum, impediri potest, sed » extingui non potest. Ideo autem non potest extingui, quia, » cum dicat quid naturale, non potest a nobis omnino auferri... » Nam, quae naturaliter insunt, sunt inseparabilia; sed synde- » resis inest nobis naturaliter: ergo videtur quod actum eius » non possumus omnino per peccatum amittere; cum vitium, » sicut dicit Augustinus, non deleat extrema naturae vesti- » gia. Sed est, et alia ratio; nam, si in aliquibus deberet ex- » tingui, maxime esset exstincta in damnatis; sed in dam- » natis synderesis non extinguitur, quia remorsus conscientiae » est ex actu synderesis, et hic remorsus maxime viget in » eis, quia nec ignis eorum exstinguetur, nec vermis morie- » tur; ergo synderesis extingui non potest. Attamen, potest ad » tempus impediri, sive propter tenebram obcaecationis, sive » propter lasciviam delectationis, sive propter duritiam obsti- » nationis. Propter tenebram obcaecationis impeditur synde- » resis, ne malo remurmuret, pro eo quod malum creditur esse » bonum: sicut est in haereticis, qui morientes pro impietate » erroris, credunt se mori pro pietate religionis et fidei, et » ideo remorsum non sentiunt, sed magis quoddam gaudium

(1) Loc. cit. q. 1, art. 2 in conclus.

» siccum, et vanum. Propter lasciviam delectationis similiter
» impeditur; aliquando enim in peccatis carnalibus, ita ab-
» sorbetur homo ab actu carnis, ut remorsus locum non ha-
» beat; quia, carnales homines, tanto impetu delectationis fe-
» runtur, ut ratio tunc non habeat locum. Propter duritiam
» obstinationis etiam impeditur synderesis, ne ad bonum sti-
» mulet, sicut in damnatis, qui adeo sunt in malo confirmati,
» ut nunquam possint ad bonum inclinari; et ideo synderesis,
» quantum ad instigationem ad bonum sempiternum, habet im-
» pedimentum: et propterea, quantum ad istum actum, potest
» dici extincta: non tamen extincta simpliciter, quia habet
» alium usum, videlicet remurmurationis » (1).

420. *Q.* An synderesis per peccatum possit depravari?

R. « Cum synderesis nominet ipsam voluntatem, secundum
» quod habet naturaliter moveri; et quoniam peccatum, non
» habet esse, circa actum voluntatis, ut est natura, vel ut mo-
» vetur naturaliter, sed solum ut movetur deliberative; hinc
» est, quod synderesis, per peccatum non habet depravari.
» Non habet depravari, quia vis illa quae secundum motum
» suum directe repugnat peccato, non depravatur peccato;
» sed actus synderesis semper contra culpam remurmurat,
» etiam in pessimis peccatoribus; ergo videtur, quod non ha-
» beat depravari, et deordinari per culpam ». Altera eiusdem
Doctoris ratio est « quia, quando tota natura, per morbum cor-
» rumpitur, non est ulterius possibilitas ad sanitatem; ergo,
» si tota rectitudo animae aufertur per culpam, iam non es-
» set ultra spes redeundi ad gratiam. Sed constat quod spes
» est redeundi; quia de nemine desperandum est, dum est in
» via; ergo videtur quod aliqua rectitudo remaneat; sed re-
» ctitudo quae maxime est adhaerentiae, est rectitudo volun-
» tatis per modum naturae, et haec est synderesis; ergo non
» videtur, quod depravari possit per culpam. Attamen quia

(1) Loc. cit. q. 2 in concl. et fund.

» ipsa habet alias (vires) regere, et dirigere, et dominium re- » gendi potest perdere: hinc est, quod contingit, eam per cul- » pam praecipitari. Praesidentia enim dominii a duobus pendet, » videlicet a rectitudine praesidentis, et ab obtemperantia » famulantis; et quamvis synderesis, quantum est de se, sem- » per sit recta; quia tamen ratio et voluntas frequenter ei » obviat, ratio per erroris excaecationem, et voluntas per im- » pietatis obstinationem; hinc est quod synderesis praecipitari » dicitur, pro eo quod effectus eius et praesidentia in vires » alias deliberativas, propter earum repugnantiam, repellitur, » et cassatur. Et ponitur exemplum in milite, qui quantum » est de se, semper bene sedet super equum, equo tamen ruente » praecipitari dicitur; sic et in proposito intelligendum est » (1).

421. *Q.* Quid de virtutibus sit praecipue adnotandum?

R. De virtutibus tria sunt simpliciter referenda, ex Duce nostro, scilicet, difinitio, et distinctio, et connexio. Multiplex virtutis definitio invenitur. Nam virtus accipitur *communiter*, *proprie*, et *magis proprie*. « Communiter accepta virtus, com- » prehendit virtutem moralem, et naturalem. Et secundum hoc » comparata ad actum, definitur a Philosopho....: virtus est ul- » timum potentiae de re. Comparata ad actum, et finem ul- » timum, definitur ab eodem sic: virtus est dispositio perfecti » ad optimum. Accepta vero proprie, comprehendit moralem » tantum, ad politicam et gratuitam se extendens, et secun- » dum hoc, comparata ad actum, definitur a Philosopho in e- » thicis sic: virtus est habitus, qui perficit habentem, et opus » eius bonum reddit. Comparata ad principium directivum di- » finitur.... ab Augustino sic: virtus est aequalitas quaedam » vitae rationi undique consentientis. Accepta magis proprie, » comprehendit virtutem gratuitam. Et secundum hoc, com- » parata ad finem, definitur ab Augustino: virtus est habitus, » ratione recta, ad suum finem perveniens. Comparata ad suum

(1) Loc. cit. q. 3 in conclus. et in fund.

» subiectum, quod informat, difinitur: virtus est bona voluntas. » Ad actum proprium sive complementum, difinitur; virtus est » ordo amoris, sive amor ordinatus. Comparata ad suum prin- » cipium effectivum, difinitur ab eodem sic: virtus est bona » qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam » Deus in nobis, sine nobis, operatur. Sunt autem septem vir- » tutes, quibus vita regitur christiana; tres theologicae, scili- » cet, fides, spes, et charitas; quatuor cardinales, scilicet pru- » dentia, iustitia, temperantia, et fortitudo. Quarum sufficientia » sic accipitur. Duplex est facies animae, scilicet superior, quae » est respectu finis; et inferior, quae est respectu eorum, quae » sunt ad finem. Superior habet rectificari per theologicas, et » quantum ad triplex obiectum, quod est in divinis, et quantum » ad triplex subiectum, quod est in nobis. In divinis est summa » veritas, in quam nos dirigit fides in credendo, et assentiendo; » summa maiestas sive largitas, in quantum erigit spes in » laudando, et expectando; summa bonitas, cum qua unit cha- » ritas in complectendo et diligendo. Triplex etiam subiectum » in nobis est, scilicet potentia rationalis, quae ordinatur, sive » rectificatur per fidem; irascibilis, quae per spem, concupi- » scibilis, quae per charitatem. Inferior vero facies animae, » habet rectificari per quatuor cardinales. Nam prudentia re- » ctificat rationalem; fortitudo irascibilem; temperantia con- » cupiscibilem; iustitia rectificat omnes vires, sive virtutes, in » comparatione ad alterum. In comparatione, inquam, ad pro- » ximum, rectificans omnes vires, dicitur iustitia cardinalis. » In comparatione vero ad proximum, ad ipsum, et ad Deum, » non solum cardinalis dicitur, sed generalis iustitia, totius a- » nimae rectitudinem comprehendens. Potest et aliter suffi- » cientia cardinalium assignari per subiecta. Nam rationalis » rectificari habet respectu sui, et sic indiget prudentia, re- » spectu proximi, et sic indiget iustitia. Irascibilis habet re- » ctificari contra adversa, et sic indiget fortitudine: concupi- » scibilis contra prospera, et sic indiget temperantia; habent

» autem virtutes esse gratuitum a gratia, tamquam ab ori- » gine, et radice: et esse meritorium a charitate, tamquam a » motore, forma, et fine. Et ideo omnes virtutes, quoad habitus » sunt connexae, quoad habitus meritorios sunt aequales » (1).

422. *Q.* Quid sit peccatum actuale, et quotuplex?

R. « Cum peccatum dicat, ex Doctore nostro, recessum vo- » luntatis a primo principio, in quantum ipsa voluntas nata est » agi ab ipso, et secundum ipsum, et propter ipsum; omne pec- » catum est inordinatio mentis, sive voluntatis, circa quam nata » sunt esse virtus et vitium. Peccatum igitur actuale, est actua- » lis inordinatio voluntatis. Inordinatio autem ista, aut est » tanta, quod ordinem iustitiae exterminat, et hoc modo dicitur » mortale peccatum; quia natum est, vitam auferre separando » ipsam a Deo, per quem vivificatur anima iusta. Aut est tam » modica, quod ordinem illum non perimit, sed tantum in ali- » quo perturbat; et tunc dicitur veniale peccatum, quia de ipso » adipisci possumus cito veniam, pro eo quod gratia non tolli- » tur per ipsum, nec inimicitiam divinam incurrit homo » (2).

423. *Q.* Quid, circa peccata actualia, sit tenendum?

R. « Circa peccata actualia hoc est in summa, ex Doctore » nostro, tenendum, videlicet quod peccatorum actualium, u- » num est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme » caput..... Ratio ad intelligentiam horum est, quia, cum pec- » catum mortale sit, actualis a primo principio recessus; re- » cessus autem a primo principio, non potest esse, nisi per con- » temptum ipsius, vel in se ipso, vel in suo praecepto; con- » temptus autem primi principii, cum sit superbia; necesse est » quod omnis mortalis peccati culpa, sive offensa, initium su- » mat a superbia. Quia vero nullus contemnit primum et sum- » mum principium, vel eius praeceptum per se, nisi per hoc » quod aliquid aliud ab ipso vult acquirere, vel timet per-

(1) In *Centil.* p. 3, sect. 36.

(2) In *Brevil.* c. 8, p. 3.

» dere; hinc est, quod necesse est omne peccatum actuale o-
» riginem trahere a duplici radice, scilicet timore et amore....
» Amor autem inordinatus est respectu commutabilis boni. Et
» quoniam illud est triplex, scilicet interius excellentia, exte-
» rius pecunia, inferius carnalis lascivia; hinc est, quod ne-
» cesse est, esse tria peccatorum actualium fomenta.... ad quae
» dum anima inordinate fertur, omnia peccata actualia oriun-
» tur. Et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo
» septem sunt peccata capitalia, ex quibus generatur univer-
» sitas vitiorum. Voluntas enim nostra aut deordinatur, quia
» appetit, quod non est appetendum; aut quia refugit, quod
» non est refugiendum. Si quia appetit quod non est appeten-
» dum, utpote bonum ut nunc, sive commutabile, sive appa-
» rens bonum: aut est interius, et sic est privata excellentia,
» quam amat superbia; aut exterius, et sic est sufficientia,
» quam amat avaritia; aut inferius, et sic aut delectabile, quia
» ad conservationem individui, et sic alimentum, quod est de-
» lectabile secundum gustum et appetitur a gola; aut quia
» ad conservationem speciei, et sic coitus, qui est delectabilis
» secundum tactum, et appetitur a luxuria. Si autem voluntas
» deordinatur, quia refugit quod non est refugiendum; hoc po-
» test esse tripliciter, secundum triplicem modum refugiendi,
» aut enim refugit, secundum perversum instinctum ipsius ra-
» tionalis, et sic est invidia; aut secundum instinctum irascibi-
» lis, et sic ira; aut secundum instinctum concupiscibilis, et sic
» est accidia. Unde, quia quatuor sunt principalia appetibilia,
» et tres vires, secundum quarum instinctum est fuga; ideo
» septem sunt capitalia peccata. Rursus, quia sensus appeti-
» bilis est cum delectatione, sensus autem rei fugiendae est
» cum dolore: hinc est, quod quatuor habent coniunctam lae-
» titiam, tria vero alia habent adiunctam tristitiam et poenam;
» omnia tamen dicuntur capitalia, quia deordinationes sunt
» principales, et multarum aliarum deordinationum sunt prin-
» cipia, suo modo, influentia. Unde, licet quaedam ex his, prin-

» cipaliter fugam respiciant, habent tamen et ipsa delecta-
» bilia sua. Nam invidia, vult privatum bonum possidere, sine
» socio, et ita integraliter. Ira sine contrario, et ita imper-
» turbabiliter. Accidia sine labore aliquo, et ita infatigabiliter.
» Et quia haec non de facile obtinentur, ideo magnum exer-
» citium vitiorum secum trahunt ad huiusmodi, quae appe-
» tunt exequenda, vel ad ea quae respuunt declinanda, re-
» spectu quorum, dicuntur capitalia peccata, quasi capita, ex
» quibus manant alia quam plurima » (1).

424. *Q.* Utrum vitia capitalia sint ita connexa, ut unum ex altero proferatur?

R. « Vitia capitalia, secundum connexionem ordinantur, qua
» fit, ut unum ex altero proferatur. Nam superbus non vult
» subesse maioribus, vult praeferri aequalibus, vult concul-
» care minores. Et si non potest, invidet maioribus, quia prin-
» cipantur; aequalibus, quia prosperantur; minoribus, quia exal-
» tantur. Et cum sic, nihil proficiat, concipit iram de facili ad
» maiores, mediocres, et minores. Deinde decidit in accidiam,
» qua mentis tranquillitas perturbatur. Et tunc, cum interio-
» rem consolationem amiserit, ad exteriorem per avaritiam
» se convertit, et sic factus opulentus, immoderate per inglu-
» viem farcit ventrem, et postremo ad luxuriam resolvit car-
» nem, a summo rationis vertice, usque ad carnis infimum, de-
» pravatus. Sic patet, quod quinque prima, sunt spiritualia, duo
» vero ultima sunt carnalia » (2).

425. *Q.* Utrum vitium et peccatum distinguantur?

R: Distinguuntur in hoc, quod vitium dicit habitum et consuetudinem committendi peccatum; peccatum autem, est simpliciter malus actus, quo, quis legem violat.

426. *Q.* Utrum virtus teneat medium vitiorum?

R. « Virtus, ex Duce nostro, tenet medium vitiorum, et in

(1) In *Brevil.* p. 3, c. 9.

(2) In *Centil.* p. 1, sect. 15.

» utroque latere, tum a dextris, quam a sinistris, vitiis est ob-
» sessa : ita ut, si modice a discretionis tramite deviaverit,
» iam virtus non sit. Verbi gratia: parsimonia, vel abstinentia,
» si metas suas excedit in superfluitate alimenti, declinat in
» vitium gulae. Si nimis modicum admittat de necessario ali-
» mento, vitium indiscretionis incurrit, per quam, vires cor-
» poris destruat, vigorem mentis extinguat, naturam debilitet,
» et bona quae promereri potuit negligat, et vitam citius pe-
» rimat, vel sensum perdat; vel si vires recuperare debeat,
» tanta postmodum studeat cura corpus suum reficere, com-
» modis, et fomentis, quanta prius indiscrete eadem subtraxe-
» rat ei. Similiter contemptus divitiarum, si ultra quam iu-
» stum est, congreget temporalem substantiam, in avaritiae
» vitium cadet. Si nihil temporale velit ad usum admittere,
» ex tali indiscretione necabit naturam, fame, frigore, et ae-
» gritudine. Patientia, si nimis declinet in impatientiae vitium,
» incidet in torporem, ut zelum iustitiae perdat, et dissimulet
» tam in se, quam in aliis vitia crescere, quae deberet per-
» sequi et ulcisci. Humilitas, dum in se nimis timet extolli, ex
» indiscreta abiectione sui, perdit confidentiam salutis, vel pro-
» fectus spiritualis. Charitas proximi, si indiscrete teneatur,
» facit proximo favere vel cooperari, in detrimentum salutis
» propriae vel illius; ut qui periurat amore proximi et multis
» aliis modis. Castitatis amor, aliquos membra virilia sibimet
» amputare fecit, et dum voluerunt tentationis ardorem tem-
» perare, se periculo propriae interfectionis exposuerunt. A-
» gilitas boni operis quandoque sic fugat pigritiam, ut quie-
» tem devotionis extinguat. Spiritualis laetitia, sic accidiam
» vel tristitiam declinat, ut quandoque in dissolutionem inci-
» dat, et vanam laetitiam. Taciturnitas verba otiosa decli-
» nans, quandoque utilia, et necessaria reticet, in detrimen-
» tum proximi, et sui. Obedientia, si indiscreta sit, ita fugit
» propriae voluntatis vitium, ut obediat superiori etiam ad
» peccatum; cum tamen obedire magis Deo oporteat pro-

» hibenti omne peccatum. Et sic de aliis virtutibus sentien-
» dum » (1).

427. *Q.* Utrum vitia, aliquando virtutis velamen assumant?

R. « Quia virtus tam nobilis, et venerabilis omnibus, et
» prae omnibus est, quod etiam vitiosi, eam super omnia ve-
» nerantur; ideo et vitia quandoque, se virtutes esse, mentiun-
» tur, et velamen virtutis assumunt; ut, aut securius dissi-
» mulentur, et non arguantur; aut etiam laudem virtutis as-
» sequantur. Unde videmus, ea quandoque etiam a quibusdam
» religiosis, et studiose exerceri, et ex auctoritate, quasi pro
» virtute, defendi; ita ut vera virtus eis, in aliis quandoque
» displiceat, et eam pro vitio despiciant, et impugnent, et in-
» terpretentur esse vitium, quod virtus pura est; et e contrario
» virtutem esse asserant, quod est vere vitium, sed virtutis
» colore velatum. Verbi gratia: Paupertas spiritus, idest volun-
» taria pro Christo paupertas, magna, et vera virtus est, quam
» multi religiosi profitentur; et tamen videmus plures sub
» praetextu necessitatis, pietatis, et honestatis, divitias desi-
» derare in pecunia, in praediis, in aedificiis, vestitu, et victu,
» et libris, et aliis, quae verae divitiae reputantur; ita ut sa-
» tiari nequeant; quia, etiamsi, quod cupiunt, haberent, si quis
» plus offerret, acciperent plus, usque ad magnam quantitatem,
» quia non dicerent: sufficit, nolumus plus habere. E contra
» parce vivere, et paucis esse contentum, tenacitas, et ava-
» ritia appellatur, quasi non audeant uti his, quae habent.
» Silentium tristitia appellatur, maturitas amaritudo, zelus
» iustitiae, temerarium iudicium dicitur. Quies devotionis, pi-
» gritia vocatur. Corporis castigatio, indiscretio censetur. Sim-
» plicitas stultitia creditur. Timor Dei, litigiosa conscientia
» aestimatur. Fugere publicum, singularitas vocatur. Cavere
» scandalum, hypocrisis iudicatur. Ecce quomodo virtus pro-
» scribitur, et perverse vitium interpretatur. E converso au-

(1) De profectu religios. lib. 2, c. 50.

» tem plerumque dissolutio, socialis iucunditas putatur. Curiositas aedificiorum, et librorum, et aliorum, honestas habetur. Laxa conscientia, libertas reputatur. Corpus delicate fovere, discretio reputatur. Garrulitas, affabilitas dicitur. Invidia fraterna, zelus iustitiae dicitur. Duritia, et inclementia, rigor ordinis putatur. Avaritia acquirendi, provvisio fidelis nuncupatur. Astutia, prudentia nominatur. Elatio, auctoritatis ostensio monstratur: zelus et contentio, ordinis defensio appellatur. Iactantia de bonis, aedificatio proximi vult videri. Detractio, detestatio vitii alterius vult putari. Conformitas vitiosa, vult credi fuga singularitatis; torpor negligentiae, vult humilitas videri: et pusillanimitas, altiora se non quaerere. Inquietudo evagandi, et negotiandi, vult agilitas dici bene operandi. Prodigalitas, largitas vult videri. Et sic de aliis. Sciendum itaque est, quod discretio spiritus medium virtutis iter elegit; non declinans ad dexteram, vel ad sinistram, regia gradiens via, ne dicat bonum malum, vel malum bonum, ponendo lucem tenebras, et tenebras lucem; dividens diem virtutis a nocte vitiorum; ne Angelum satanae, pro Angelo lucis recipiat, verum a falso distinguens, et quod bonum est tenens » (1).

428. *Q.* Quid sit passio, quotuplex et utrum passiones sint bonae vel malae?

R. Passio, est motus appetitus sensitivi, ex boni et mali imaginatione procedens, cum corporali aliqua transmutatione. Passio, vel est cognoscitiva, vel appetitiva, prout intellectum respicit, vel voluntatem. Appetitiva, vel est concupiscibilis, vel irascibilis. Si tendit in bonum, et refugit a malo, pertinet ad primam, si pugnat contra difficultates boni assequendi, vel mali vitandi, ad secundam revocatur. Passiones concupiscibiles sunt sex: Amor, Odium, Desiderium, Fuga, Gaudium, Tristitia. Passiones irascibiles sunt quinque: Spes, Desperatio, Audacia,

(1) Loc. cit. cap. 51.

Timor, Ira. Hae passiones, per se, sunt bonae, cum bene et recte ad virtutem adhibeantur. Sunt bonae, quia omnis motus naturalis est ex apprehensione, quae est ad finem a Creatore volitum; sed hoc est bonum, quia finis creationis; ergo motus ad bonum est bonus; ergo passiones per se sunt bonae. Homini enim sunt quasi instrumenta ad facilius et fortius agendum; sed medium est bonum hominis; ergo passiones, homini sunt per se bonae et convenientes. Dixi, cum adhibeantur ad virtutem. Passiones enim tendunt ad bonum proprium; bonum proprium est secundarium: si secundarium, primario subiiciatur oportet. Primarium est finis creationis; ergo tunc sunt bonae, cum sunt ad honesta, cum bonum creationis respiciunt. Ex his, quae diximus, evincitur ut falsa et absurda, tum Stoicorum sententia, qui passiones omnes ut malas, tum Fourrieristarum, qui ut bonas omnes, etiam male adhibitas, existimarunt.

429. *Q.* Quid, circa meritum vel demeritum, sit observandum?

R. Si actio hominis alteri prosit, aequalitas generica, quae intercedit inter homines, ideam meriti, et retributionis suscitat: quia, si naturaliter homines sunt aequales, ut sint aequales natura desiderat; nunc qui dat, et non accipit, non est ei aequalis, qui accipit, et non dat. Eodem modo in sensu contrario, demeriti idea exurgit; quia qui nimium crescit, vult natura, ut proportionaliter minuat. Meritum igitur et demeritum, relationem dicunt intercedentem inter operantem, et operationis effectum recipientem. Retributio autem est quantitas necessaria, ad aequitatem inter homines servandam, et dicitur praemium, aut poena, prout merito, aut demerito respondet. Hinc apparet, meritum proprie non pendere ab obligatione, sed a ratione bonum operanti, et a voluntate, ad legem observandam, disposita. Non erit ergo ratio meriti apud Deum? Absit. Imo erit summa, ex praesuppositione ordinationis divinae. Deus enim non nobis, sed sibi ipsi est debitor, in quantum debitum est, ut sua ordinatio, recte et accurate, impleatur. Idem dic

de demerito, sensu inverso. Nam qui violat legem, a legislatore necessum est ut deprimatur; et haec depressio est poena. Omnis actio meritoria, vel demeritoria, est illius ordinis in quo exeritur, et sicut homo pertinet, vel ad ordinem monasticum, vel civilem, vel politicum; ita vitae monasticae ordinatrix est ratio, vitae civilis est auctoritas, politicae sive universalis est Deus Creator. Ratio autem, aut pace conscientiae, aut morsu: auctoritas vel laude, vel infamia: denique Deus, aut praemio aeterno, aut aeterno dolore, actiones hominum omnes, vel remunerantur, vel puniunt.

CAPUT II.

DE VERITATE MORUM MONASTICA SIVE DE IURE PRIVATO.

430. *Q.* Quid sit ius, eius origo, et quotuplex?

R. Deus est summum ius, quia omnium Creator est, et ex ipso omnia hominum officia derivant; atque ex officiis hominibus a Deo impositis, omnia hominum insurgunt iura. Ex Deo igitur omnia fluunt officia, quae homines ligant; et ex officiis, iura totius mundi, quae rite et ordinate sunt instituta, sive canonica, sive civilia, sive pubblica, sive privata. Ius definitur, ut potestas legittima aliquid agendi, vel obtinendi. Nomine autem officii, sive obligationis, vinculum iuris intelligitur, quo tenemur aliquid facere, vel omittere. Ex his, clarissime cernis, ius et officium esse duo correlativa, quorum neutrum esse potest sine alio. Colligis etiam, cum ius absolutum sit Deus, cum ex Deo oriantur obligationes, cum ex obligationibus, hominum iura, non posse dari ius contra officium. Officium enim Deo obtemperandi, ius omne antecedit. Patet tertio, solum entia intellectu praedita, esse iuris et officii proprie dicti capacia. Ius enim dicit legem, lex implicat intelligentiam et voluntatem. Belluae igitur, nec ius, nec officium habere possunt. Ius autem triplex est, prout consideratur vel in se, vel in subiecto, vel in obiecto. In se, dividitur in strictum et latum, prout stri-

ctum, vel latum officium, erga alios importat. Ratione subiecti, dividitur in ius Dei, ius Angeli, ius hominis. Ratione obiecti, ius, vel est ierarchicum, vel personale, vel reale. Ius ierarchicum dicitur illud, sine quo societas ulla consistere nequit, ut est familia, vel civitas, vel Ecclesia, vel regnum. Ius personale est illud, quod ita personae proprium, ut sine illo non existat, aut non sit talis, qualis esse debet. Ius denique reale dicitur illud, cuius obiectum est res necessaria, vel utilis vitae naturali, aut supernaturali, aut sociali.

431. *Q.* Quaenam sint officia, quibus homo Deo obligatur?

R. Tria sunt officia, ex Doctore nostro, quibus homo ad Deum ordinatur, « quorum sufficientia potest sumi penes subiectum, quod est triplex in nobis; scilicet, potentia irascibilis, quae ordinatur per praeceptum de protestatione veritatis; potentia concupiscibilis, quae ordinatur per praeceptum de sabbatizatione mentis; potentia rationalis, quae ordinatur per praeceptum de ordinatione maiestatis. Potest etiam sumi penes obiectum, quod est triplex in divinis; scilicet, summa maiestas reverenda, respectu cuius est primum (praeceptum Decalogi); summa veritas profitenda, respectu cuius est secundum; summa bonitas diligenda, respectu cuius est tertium. Potest sumi nihilominus penes actum intermedium, qui est triplex, scilicet actus operis, qui exercetur in primo mandato, per actualem adorationem; actus oris, qui exercetur in secundo, per sermocinalem prolationem; actus cordis, qui exercetur in tertio, per affectualem dilectionem. Non potest bene sabbatum, idest quietem mentis, celebrare, qui, per quietem continuam, non studet omne peccatum mortale declinare » (1). Ex hac lucidissima Ducis nostri doctrina liquet, omnia religionis officia erga Deum, esse, ipsum adorare fide, spe, et charitate. Adorare, nempe illum agnoscere, revereri, diligere, non solum foris, verbo, et opere: sed maxime in-

(1) In *Centil.* p. 3, sect. 33.

tus toto mentis sensu et affectu, ut principium, et finem, auctorem, et consummatorem hominis, et universorum. Fide, quia cum Deus sit prima Veritas, ipsi est credendum. Spe, quia cum Deus sit summa Bonitas, ad ipsum est anelandum. Charitate, quia cum Deus sit omnium bonorum Fons, et Origo, ipsi est dulciter adhaerendum.

432. *Q.* Utrum Deo cultus internus debeatur?

R. Cultus internus, qui consistit in amore, in adoratione, in oratione, in gratiarum actione, Deo debetur. Haec enim Deo vindicat divinarum perfectionum excellentia, et ipsa hominis natura. Cum enim facultatem amandi habeant homines a Deo acceptam, haec illud obiectum versus, se se ferre debet, quod magis perfectum est, et amore dignum; sed nullum obiectum fingi potest, quod Deo sit perfectius, et amore dignius; ergo Deus est amandus. Item, immutabilis rerum ordo exigit, ut homo eam, qua pollet, amandi facultatem ad illud bonum convertat, quo solo expleri potest voluntatis nostrae capacitas; sed huiusmodi bonum, solum in Deo esse demonstravimus; ergo Deus est amandus. Sed et etiam est adorandus. Hoc enim exigit, tum divinae, tum humanae naturae ratio. Etenim Deum adorare nihil aliud est, quam summum illius, in nos omnesque creaturas, dominium confiteri, ipsique se se omnino subiicere; atqui naturae divinae excellentia, simul et hominis conditio postulant, ut supremum illud Dei dominium agnoscamus, et revereamur, ipsius libenter subiecti simus, cum e nihilo nos eduxerit; ergo est adorandus. Nec minus necesse est, ut Deo preces nostras offerramus. Nam Deus est summe potens, et beneficus: homines vero Dei ope indigent, ut ipsius praecepta exequantur, et quae sunt necessaria, obtineant; atqui praecipit ratio naturalis, ut creatura ex se indigens, suum auctorem potentissimum, et beneficum suppliciter deprecetur, ad illud, quo caret, impetrandum; ergo Deo preces sunt offerendae. Precibus sunt adnectendae gratiarum actiones. Ea enim est naturae lex, ut ei, a quo beneficium acceperis, memorem

animum, et grates rependere debeas; sed nulla sunt beneficia, quae cum iis comparari possint, quae in homines effudit summa Dei liberalitas; nobis enim concessit vitam, datamque conservat, et quidquid facultatis, quidquid boni nobis est, a Deo defluxit; tenemur ergo Deo agere gratias; et cultus internus necessarius est. Adde, quod nunquam fuit gens tam rudis, et fera, quae Deum non coluerit. Nam sua, ut scripsit Cicero, (pro Flacco), cuique civitati religio est. Deum quippe natura venerari novit, nec quisquam est homo, qui lege, quae, hoc praecipiat, careat. Sed unanimis gentium consensus, naturae vox est, quae nec ex cupiditatibus, nec ex praeiudiciis oriri potest; omnes enim cupiditates, et praeiudicia avellit et damnat, et semper, et ubique; restat igitur, ut Deo cultus internus sit exhibendus. Denique, quo consilio Deus mundum creavit? Quo consilio rationem, et intelligentiam naturaliter religiosam, Deus homini indidit? Nonne Creatori ea fuit mens, ut ipsum colerent homines, intimisque animi sensibus prosequerentur? Cultus igitur internus, Deo absolutissime, est tribuendus.

433. *Q.* Utrum Deus cultu externo sit colendus?

R. Cultus externus est ille, qui ministerio corporis exercetur, quo, homo religionis sensus erga Deum manifestat. Ast huiusmodi cultu, Deus est colendus: a cultu enim interiori necessario fluit; et ita a natura sumus comparati, ut aliquem diligere nequeamus, quin in signa externa prosiliamus. Insuper, cur Deo cultum debemus internum? Nonne quia nostram creavit animam, pluribusque muneribus cumulavit? Sed Deus non solum creavit animam, sed etiam corpus; ergo utriusque famulatum debemus: ergo anima, et corpore eum honorare: ergo cultus externus Deo est exhibendus. Sed est et tertia ratio maximi momenti. Tanta enim est hominis infirmitas, tamque pendet a sensibus, ut externis signis indigeat, quae foveant in Deum affectus, et suscitent. Sed haec indigentia est a natura; ergo a natura est cultus externus, sine quo affectus omnes languescerent, et extinguerentur. Denique, in orbe ter-

rarum, omnia creata Dei maiestatem annuntiant; annuntiat coelum, annuntiat terra, annuntiant maria, montes, nemora, flumina annuntiat. Gloria enim Dei plena est terra. Numquid homo, ratione praeditus, et omnibus cumulatus beneficiis, solus, in rerum natura, sui Auctoris laudes celebrare abnueret? Concludamus igitur cum De-Lamennais: « L'uomo composto di due sostanze, deve a Dio l'omaggio intiero dell'esser suo; o, per parlare il linguaggio profondamente filosofico del catechismo, egli dee conoscere Dio, amarlo e servirlo; conoscerlo col suo pensiero, amarlo col suo cuore, e servirlo coi suoi sensi. La necessità di un culto esteriore deriva adunque dalla natura dell'uomo, essere intelligente, e fisico. Un culto puramente spirituale è il culto degli spiriti puri; questo è il culto degli Angeli; ma non è quello dell'uomo, che per un effetto dell'intima unione dell'anima col corpo, non può entrare in società nè con Dio, né coi suoi simili, che coll'aiuto degli organi. « Il culto, dicesi, che Dio domanda è quello del cuore » (1). Chi impedisce che non si dica del pari: « Le virtù che Dio esige sono quelle del cuore »; e di concluderne, che amando il prossimo si compie ogni giustizia? Quale pietà! Come se l'amore non si manifestasse necessariamente con atti esteriori! Chi ama l'uomo, serve l'uomo; chi ama Dio, lo serve egualmente: Il culto è azione come la virtù; e del pari che ciascuno dee concorrere colla sua azione, nelle società politiche, al mantenimento dell'ordine, da cui risulta la felicità dell'uomo, ciascuno dee altresì concorrere colla sua azione, nella società religiosa, al mantenimento dell'ordine, da cui risulta la gloria di Dio; e siccome il culto esteriore è una relazione che deriva dalla natura dell'uomo, il culto pubblico è una relazione che deriva dalla natura della società. Frattanto l'ignoranza sorriderà di disprezzo al solo nome di culto; essa non vede, che egli è che conserva le credenze, e nutrisce

(1) Emil. tom. 3.

l' amore. Pratiche tormentose e puerili, bizzarre cerimonie, ecco tutto ciò ch' essa discopre in questa sublime manifestazione della fede. Filosofo, ridi se tu vuoi, delle *nostre genuflessioni e dei nostri gesti* (1); ma, dopo aver riso dinne ciò che sarebbe divenuto il genere umano, se non si fosse inginocchiato davanti alla croce? Al tuo culto interno, che consiste *in esercitarsi in sublimi contemplazioni* (2) paragona il culto cristiano, che consiste in esercitarsi in sublimi sacrifizii; enumera le virtù, che hanno fatto nascere i tuoi solitarii colloqui coll' Eterno (3), e quelle che produce ogni giorno un solo sguardo gettato sull' imagine del Figlio suo » (4).

434. *Q.* Quaenam sint officia hominis circa se ipsum?

R. Primum hominis officium, circa se ipsum, est dilectio animae propriae, quae talis esse debet, ut sola dilectione Dei minor sit. Secundum officium hominis, est dilectio corporis sui, aliorumque bonorum. Sed haec dilectio, ad animae bonum, et ad finem aeternum, ordinata esse debet. Hinc, inflexibili disciplina, pravae eius concupiscentiae sunt infraenandae. Subacta carne, homo debet habere, de bono nomine curam. Denique si bona fortunae habes, sic posside, et cura, ut te non possideant, nec nimia distendant sollicitudine. Si desint, noli eorum desiderio laborare.

435. *Q.* Utrum iure naturae prohibitum sit suicidium?

R. Triplici ratione suicidium directe prohibitum est: tum ex parte Dei, tum ex parte societatis, tum ex parte sui ipsius. Ex parte Dei, quia ipsi est actus summe iniuriosus; nam arripit eius dominium, et corpus soli Deo subiectum, absque auctoritate, perimit. Laedit etiam Deum, quia se interimendo, officia negligit religionis, et amplius praestare nequit. Ex parte

(1) Emil. tom. 3.
(2) Ibidem.
(3) Ibidem.
(4) *Saggio sull' indifferenza in materia di relig.* tom. I, c. 12.

societatis prohibitum est; quia, qui sibi infert mortem, membrum utile, magno bonorum scandalo societati eripit, quam bonis operibus, et constanti animo debebat aedificare. Ex parte sui; quia se privat magno ordinis naturalis bono, nempe vita, quae est futurorum fundamentum, obnoxiumque se reddit divinae iustitiae, quae poenis acerbissimis afficit facinorosos. Diximus *directe* prohibitum esse suicidium; nam qui vult bonum, ad cuius consecutionem sit necessarium vitae sacrificium, tum, non suicidium, sed opus satis laudabile, operatur. Hoc enim modo, diligitur plus anima, quam corpus.

436. *Q.* Utrum liceat perimere iniustum aggressorem?

R. Si quis non habeat tutam viam se expediendi ab aggressore iniusto, vel fugiendo, vel eum terendo clamoribus, prosternendo, exarmando, ligando, vulnerando, potest licite eum occidere. Enim vero, casu proposito, ambo pugnatores habent ius conservandi vitam; sed aggressus habet etiam ius vim hostilem destruere, ius, quo non gaudet aggressor, quia actio iniusta non dat ius, sed officium illud tollendi. Ius ergo aggressi praevalet iuri aggressoris; sed a maiori iure colliditur minus; ergo in aggressore suspensum est incolumitatis ius: ergo aggresso licet eum interimere. Falsa igitur doctrina Aharens, qui veram negans, facinorosos defendit, et innocentes inermes sceleratis relinquit. Licitum num ergo erit duellum? Imo ex dictis summe prohibitum, tum quia non est defensio, qui enim quaerit arma aequalia, non media defensionis, sed superbiae quaerit. Tum quia ibi non est necessitas, sed voluntas; constituunt enim concorditer locum pugnae. Detestabilis ergo duellorum usus, ut synodus Tridentina loquitur, fabricante diabulo, ut cruenta hominum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex christiano orbe est omnino exterminandus.

437. *Q.* Utrum homo teneatur diligere inimicum?

R. Homo tenetur diligere inimicum, multiplici ex ratione Magistri. Tenetur primo, quia « non est charitas vera, nisi di-
» ligat omne diligibile; diligibile autem a charitate, est omne

» illud, quod est possibile ad beatitudinem pervenire. Ideo » non habet aliquis charitatem, nisi diligat omnes illos, qui » sunt in statu viae, sive sint amici, sive inimici. Unde in » Psalmis dicitur: Latum mandatum tuum nimis; quia manda- » tum charitatis ad omnes se extendit. Et sicut longitudo » mandati se extendit ad omnem differentiam temporis, sic » latitudo ad omnem personam hominis viatoris. Unde sicut » aliquis non haberet charitatem, si proponeret etiam in uno » solo die peccare, et in aliis benefacere, quia deficit sibi » longitudo mandati: sic esto, quod aliquis, omnes homines » diligat, praeter unum solum, quem a dilectione excludit, » charitatem non habet, quia deficit sibi latitudo illius man- » dati. Tenetur secundo, quia nulli Deus dimittit peccatum, » nisi ipse dimittat proximo.... Sed nemo dimittit proximo ex » corde, nisi ipsum diligat affectu; ergo nemo potest apud » Deum veniam mereri, nisi offendentes se diligat ex corde. » Tenetur tertio, quia plus diligendus est proximus, quam » corpus proprium; nec aliquid magis adversatur, et inimi- » catur spiritui, quam ipsa caro: cum ergo quilibet teneatur » naturam carnis suae diligere, videtur quod teneatur ini- » micum suum affectu diligere. Tenetur quarto, quia sicut » culpa est detestabilis, sic imago Dei est diligibilis; sed quan- » tumcumque homo diligatur, semper tenetur homo detestari » eius culpam; ergo quantumcumque per culpam adversetur, » semper tenetur diligere eius naturam: ...... Diligere ergo ini- » micos ad bona aeterna, hoc necessitatis est, et praeceptionis, » et ad hoc omnes generaliter sunt obligati, tam perfecti, quam » imperfecti ». Dico esse obligatos « non tantum affectu, sed » etiam effectu. Dilectio enim affectus, sine dilectione effectus, » non est vera ». Nota tamen quod diligere in effectu exteriori, ex Magistro, potest esse dupliciter. « Aut quandocumque » se offert temporis opportunitas, aut quando incumbit neces- » sitas. Si loquamur de exhibitione operis exterioris genera- » liter, quando se offert temporis opportunitas, sic diligere

» inimicos effectu, et affectu, cumulus est perfectionis. Si au- » tem loquamur de exhibitione operis, quando incumbit neces- » sitas, sic diligere inimicos effectu, est generalis, et necessa- » riae obligationis; quia, si quis videt proximum suum, sive » amicum, sive inimicum, habere necessitatem; et claudit vi- » scera sua ab eo, iuxta sententiam beati Ioannis, iam am- » plius non est charitas Dei in eo. Sic ergo patet, quod sicut » diligere affectu, uno modo necessitatis est, alio modo per- » fectionis; sic diligere effectu uno modo necessitatis est, alio » modo perfectionis, et supererogationis » (1).

438. *Q.* Quot sint hominum officia erga proximum?

R. « Officia hominum erga proximum sunt septem, ex Duce » nostro, nec plura, nec pauciora. Et huius positionis ratio » sumitur, tum ex parte obiecti, tum subiecti, tum actus me- » dii. Ex parte obiecti sic probat. In proximo enim, ad quem » ordinant mandata secundae tabulae, relucet proprietas Pa- » tris, et Filii, et Spiritus Sancli. Relucet proprietas Patris; » sic debemus ei honorem et reverentiam, et penes hoc at- » tenditur illud mandatum. Honora patrem tuum etc...... In » quibus relucet proprietas summi Patris in hoc, quod habet » rationem principii.... Relucet proprietas Filii, sic debemus ei » veritatem, et sic est illud mandatum: Non loqueris contra » proximum tuum falsum testimonium.... Relucet proprietas » Spiritus Sancti: sic debemus ei (proximo) dilectionem, et in- » nocentiae puritatem. Et quoniam possumus nocere proximo, » sive damnificare eum, multipliciter, in persona propria, et » persona coniuncta, et in rebus suis; et hoc modo dupliciter, » vel in actu interiori, vel exteriori, ideo sunt ulterius quin- » que mandata. Contra nocumentum enim, quod habet fieri in » persona proximi, est illud praeceptum: Non occides. Contra » nocumentum vero quod habet fieri in persona coniuncta, est » illud praeceptum: Non moechaberis: secundum quod exer-

(1) III Sent., dist. 30, art. 5, q. 3, 4, 5, passim.

» cetur in opere. Contra nocumentum quod fit in rebus, est
» illud: Non furtum facies. Et quia nocumentum illud duplex
» videlicet, in persona coniuncta, et in rebus frequentius, fit
» in voluntate per concupiscentiam, quam fiat in opere; ideo
» sunt alia duo mandata, in quorum uno prohibetur concu-
» piscentia uxoris, in hoc quod dicitur: Non concupisces uxo-
» rem. In alio prohibetur concupiscentia rerum in hoc quod
» dicitur: Non concupisces rem proximi tui. Sic igitur patet
» sufficientia ex parte conditionum obiecti. Ex parte vero su-
» biecti, secundum triplicem potentiam animae, contingit etiam
» sufficientiam assignare hoc modo: triplex enim est potentia
» animae, secundum quam contingit ad proximum ordinari,
» videlicet, rationalis, concupiscibilis, et irascibilis. Quantum
» autem ad potentiam irascibilem, habet homo convenienter
» ordinari ad superiorem, per reverentiam et honorem; et sic
» est illud: Honora patrem tuum etc. Ad proximum vero per
» pacem, et odii declinationem. Secundum autem rationalem vir-
» tutem, ordinamur ad proximum, per veritatis loquelam, et
» testificationem; et sic est illud mandatum: Non loqueris con-
» tra proximum tuum falsum testimonium. Secundum vero
» concupiscibilem potentiam, habet homo ordinari ad proxi-
» mum per ipsius refraenationem. Et quoniam illa est mul-
» tipliciter corrupta per cupiditatem, et concupiscentiam; ideo
» prohibetur cupiditas, et concupiscentia in actu exteriori per
» duo mandata, per hoc videlicet: Non moechaberis, et per
» hoc: Non furtum facies. Prohibetur etiam in actu interiori
» per alia duo, videlicet per hoc: Non concupisces uxorem, et
» per hoc: Non concupisces rem proximi tui. Et sic potest sumi
» sufficientia, ex parte virium animae, in mandatis secundae
» tabulae. Ex parte autem actus, potest sumi sic: ordinari
» enim habemus ad proximum, secundum innocentiam, et se-
» cundum beneficentiam. Si secundum beneficentiam, sic est
» illud mandatum: Honora patrem tuum etc.... Si secundum
» innocentiam, hoc est tripliciter; aut secundum actum cor-

» dis, aut oris, aut operis. Si secundum actum operis, aut hoc » est in prohibenda deordinatione, quae est contra ipsius esse » individui: et sic est illud: Non occides. Aut contra debitam » conservationem speciei: et sic est illud: Non moechaberis. » Aut contra possessionem temporalis subsidii; et sic est illud: » Non furtum facies. Si autem ordinemur ad proximum secun- » dum actum oris, sic est illud mandatum: Non falsum testi- » monium dices. Si vero secundum actum cordis, qui quidem » consistit in affectu; hoc contingit dupliciter, aut liberaliter » contra cupiditatem, aut honeste contra voluptatem, et secun- » dum hoc, sunt duo mandata. Unum contra voluptatis concu- » piscentiam, et sic est illud: Non concupisces uxorem. Aliud » vero contra cupiditatem, et avaritiam: et sic est illud: Non » concupisces rem » (1). Et sic per omnem modum patet, esse septem officia hominis, erga proximum, nec plura nec pauciora.

439. *Q.* Quot sint opera misericordiae?

R. « Opera misericordiae sunt quatuordecim, alia corpo- » ralia, spiritualia altera. Corporalia sunt septem, hoc versi- » culo comprehensa:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

» Quorum sufficientia sic accipitur. Homo est substantia ani- » mata; per hoc tangitur vegetabilis, quae indiget restaura- » tione calidi et sicci, et hoc per cibum; frigidi et humidi, et » hoc per potum. Sensibilis, et huic est necessarium duplex » operimentum, propter exteriora nociva, remotum, et est ho- » spitium; propinquum, et hoc est vestimentum. Rationalis; et » sic est substantia libera, nata habere libertatem a carcere, » vel ab infirmitate: et sic est contra intrusionem in carcere, » vel in lecto visitatio; et a servitute, et contra hanc est re- » demptio. Mortalis; et sic inest ei mors: propter quam, sive » postquam, indiget sepultura. Spiritualia quoque sunt septem, » hoc versiculo comprehensa:

(1) III Sent. dist. 37, art. 2, q. 1.

Instrue, consule, castiga, solare, remitte,
Ora, fer,

» quorum sufficientia sic accipitur. Defectus spiritualis in pro-
» ximo, si non potest relevari, nisi per Deum, tunc adhibenda
» est oratio; si potest relevari per hominem, et est cognitivae,
» ut ignorantia cognoscendorum, tunc est instructio; si est
» ignorantia agendorum, tunc est consilium. Si vero est af-
» fectivae, aut est culpa commissa in te, et sic est remissio;
» aut in alios, et sic est correctio. Si est poena, aut est rele-
» vandus verbo, et sic est consolatio; aut facto, et sic est sup-
» portatio » (1).

440. *Q.* Utrum homo gaudeat naturaliter iure proprietatis?

R. Hac nostra aetate omnigenarum absurditatum feracissima, non defuerunt, qui communismum ab ipsa personarum communitate derivantes, docerent homines non esse naturaliter arbitros sui, suarumque animae et corporis virium: sed omnes, et singulos, absque proprietatis iure, nasci membra familiae humanitariae. Hic error, a Saint-Simon, Enfantin, Owen, Fourier, Cabet inductus, non indiget confutatione: sed cura medicorum, et custodia, in dementium valetudinario. Fuit et altera opinio Montesquieu, et ipsius Suarez, quae ius proprietatis, vel a solo iure civili, ut primus, vel ab iure gentium, ut secundus, derivavit. Sed tam primi, quam secundi opinio, a veritate aberrat. Homo enim gaudet iure naturali proprietatis. Nam debet sustentare et se, et suos; ad hunc finem necessarium est medium: medium est proprietas, quae est ius ad rem, cum exclusione alterius; ergo proprietas est homini naturalis. Gaudet secundo, quia homo naturaliter providus est, quoad futurum; quia naturaliter intelligens, praeteritum cum futuro comparat; et, ex elapsis indigentiis, indigentiae superventurae possibilitatem arguit. Sed, ut futuris provideat necessitatibus, indiget proprietate; anni enim abundantiae, penuriosis annis

(1) In *Centil.* part. III, sect. 46.

compensari debent; ergo proprietas radicitus natura fundatur. Gaudet tertio, quia temporis progressu, et multitudine crescente, terra indiget cultura, ut foecunda, et fertilis sit; sed iustum non est, quod cultor suis privetur sudoribus, aliisque sacrificetur, quod eveniret si alter suam possessionem invaderet; ergo est illi ius alios excludere: sed hoc est proprietatis: ergo homo naturaliter gaudet proprietate. Gaudet quarto, quia familia naturaliter est durabilis, et constans; sed haec indiget proprietate durabili, et constanti, tum habitationis, tum provvisionis: ergo homini proprietas est naturalis. Gaudet quinto; quia homo ad pacem, et ordinem natus est; sed nec pax, nec ordo haberetur sine proprietate; ergo proprietas est iuris naturalis. Gaudet sexto, quia instinctus et communis populorum sensus, est manifestatio legis naturae; sed haec manifestatio dicit proprietatem: ergo proprietas est homini naturalis. Denique, haec veritas, ex absurdis comprobatur. Sublato enim iure dominii, idest iure cuique dato ad proprios usos retinendi, quidquid sua, vel maiorum suorum industria acquisiverit, nullus iam est labori industriaeque stimulus, nullus consequenter locus familiae, quae in solo inculto fundari nequit, et substentari sine proprietate quarumdam rerum, et facultate rem familiarem augendi. Remota autem familia, cum suis iuribus, et officiis, quid iam sunt homines nisi, pecudum genus se invicem laniantium, quousque a feris extinguantur?

441. *Q.* Utrum iuri civili attribui possit possessionum distinctio?

R. Iuri civili, nulla possessionum distinctio attribui potest: duo enim obstant ex theologo Martinet argumenta vere ineluctabilia. « Obstat primo necessitas evidens, quam natura » primis hominibus imposuit *appropriandi* sibi sedes, fundos » frugiferos, resque domesticas indispensabiles, multo prius » quam cogitarent de constituendis iuribus civilibus. Unde tan- » tum abest, ut primi conditores civitatum, iuriumque civi- » lium, habendi sint pro institutoribus iuris dominii, ut con-

» tra suadeat sana ratio, familias in civitatem convenisse, iu-
» raque sibi constituisse, aut accepisse a rectoribus suis, maxime
» ad tutelam rei familiaris, et patrimonialis, quam proprio,
» vel maiorum suorum labore, acquisierant. Obstant pessima
» consectaria, quae socialismus recens derivat a praedicta
» opinione, hac argumentatione: quod olim unaquaeque gens
» libera deliberatione instituit, hodie potest, pari deliberatione,
» dissolvi. Si qua ergo gens conveniat per se, aut per dele-
» gatos ad deliberandum de iure proprietatis, atque iudicet
» proprietates quorumdam ordinum, verbi gratia, cleri sae-
» cularis, et regularis, vel nobilitatis, inutiles esse, aut etiam
» noxias communitati, pleno iure valet eas abolendi, etiam sine
» idennitate; quinimmo potest universas proprietates pri-
» vatas revocare ad pristinam communitatem, vel aequiorem
» distributionem. Nec dicant theologi, quos refellimus, id ve-
» tari divino praecepto: non furtum facies; namque ipsi fa-
« tentur, praecepto illo, non fuisse constitutum ius dominii
» privati, sed confirmatam tantummodo eius institutionem, li-
» bero civium consensu, factam. Unde si civibus placuisset
» servare communitatem bonorum, abstinuisset Deus a dicto
» praecepto, aut aliud dedisset in hunc modum: noli tuum
» dicere, et facere quod omnium est. Multa sunt de iure na-
» turali, ait Suarez, quae non obligant, nec locum habent, nisi
» aliqua suppositione facta, ut praeceptum non furandi non
» habet locum, nisi facta divisione bonorum, et dominiorum (1).
» Liquet inde praeceptum positum fuisse solis privatis, post
» liberam proprietatis privatae institutionem, non ipsi insti-
» tutori, scilicet populo, qui, si libere revocet quod libere
» instituit, eo ipso tollit suppositionem olim factam, quae fuit
» materia, et ratio praecepti. Haec satis superque monent ho-
» diernos theologiae, et iuris magistros, non solum vitandas
» esse concessiones factas a decessoribus suis scholae Iusti-

(1) *De Legibus*, c. 17, n. 9.

» nianeae, sed viriliter profligandas esse, ut apprime caras » osoribus iuris divini, qui, animo omnia iura convellendi, o- » mnium institutionem derivant a libera hominum voluntate. » Quod enim de iure dominii tenent, id pariter affirmant de » iuribus coniugii, familiae, civitatis, religionis. Ex eorum de- » creto, haec omnia informavit humana voluntas, et conse- » quenter reformare potest » (1). Et sic, omnia officia, omnia iura funditus pessumdant, et destruunt.

442. *Q.* Quid sit, et an homo habeat ius ineundi contractus?

R. Contractus est duorum, vel plurium in idem consensus, obligationem utrinque pariens. Hinc colligere est, quatuor esse conditiones contractus validi. Prima est cognitio, circa id de quo initur contractus; secus non esset duarum voluntatum consensus. Ignoti enim nulla cupido. Secunda est contrahentium libertas; aliter non esset voluntatum expressio. Tertia, mutuus partium consensus; secus enim non essent duae, sed una voluntas. Quarta est possibilitas rei stipulatae, et promissae: quia ad impossibile nemo tenetur. Rationes, per quas contractus solvitur, similiter quatuor sunt: oneris satisfactio, unius contrahentis remissio, impossibilitas contractus; et unius ex contrahentibus partibus defectio. Contractus autem, vel est unilateralis, si una tantum pars, vel bilateralis, si utraque obligatur. Est perfectus, si utrinque parem: vel imperfectus, si imparem obligationem inducit. Est absolutus, vel conditionalis, formalis, vel tacitus: prout absolute, vel conditionate, prout verbis expressis, vel tacita consentione, convenitur. Est commutativus, cum materia utrinque certa est, et aequivalens; est aleatorius, si beneficium et onus, a consentientibus, fortunae committitur. Denique, eo modo, quo homo iure proprietatis gaudet, gaudet et etiam iure eam translatandi. Illud enim, quod est necessarium ad vitam socialem, et continetur in iure dominii privati, est de iure naturali: sed talis

(1) *In theol. mor.* lib. 1, art. 3, § 5,

est contractus; ergo est de iure naturali. Quid enim proficerent possessiones sine cultoribus, et cultoribus, quid valida brachia sine possessionibus? Quid frumenta carenti tecto, et veste? Quid tectum, et vestes, terra carenti? Tolle facultatem omnibus concessam illis verbis: do, ut des; facio, ut facias; facio, ut des; do, ut facias; et vitam socialem extinguis: potestas igitur contrahendi, est de iure naturali. « Fabulis itaque, ut verbis utamur citati theologi Martinet, sine ullo dubio adnumeranda sunt, quae in fronte iuris Iustinianaei legimus de iure gentium, ex quo, inter caetera introducta fuissent: dominia distincta; agris termini positi; commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutae, exceptis quibusdam, quae iure civili introductae sunt. Nec otiosam putes hanc disquisitionem de origine juris possidendi, disponendi, contrahendi. Si enim ius illud acceptum referre debeas iuri gentium Tribonianaeo aut iuri civili, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, auctoritate prudentium venit, quid iam tibi necesse est, inquirere de conditionibus absolute necessariis ex lege Dei naturali, et positiva, ad intrinsecam iustitiam contractuum, cui quidquid repugnat furtum est, resarciendum in hoc saeculo, aut in futuro sine fine luendum? Interroga conditores huiusmodi iuris; confer primum omnium gentium leges, ut scias quid concorditer statuerint circa contractus; pondera dein quidquid ea de re in lucem prodierit, ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum, auctoritate prudentium, ut sic certo tibi constet, quid in hac materia praecipiat, permittat, aut prohibeat communis iustitia gentium, aut saltem gentis tuae. Si vero agnoscas, cum omnibus iurisperitis sensu christiano non carentibus, universis legibus, statutis, et iudiciis hominum, supereminere immotam iusti, et iniusti normam, cui legislatores, et iudices aeque ac subditi, obsequi tenentur, sub poena mortis aeternae, et Ministros Christi positos fuisse

» ad procurandam apud omnes cognitionem, et observatio-
» nem huius legis legum, inde colliges, theologis in cathedra,
» et pastoribus in sacro tribunali, multo magis spectandas esse,
» in negotiis huius saeculi, regulas legis divinae quam legum
» humanarum, istarumque obligationi generatim sufficere re-
» verentiam in foro externo, quoties non continent proximam
» applicationem legis divinae » (1).

443. *Q.* Quid, circa mutui naturam, et gratuitatem, sit a christiano philosopho advertendum?

R. Contractus mutui, quo mutuans rem fungibilem mutuatario tradit in usum consumptionis, cum onere post certum tempus rem aequivalentem retribuendi, tria dicit, rem fungibilem natura sua pereuntem, in usum consumptionis, et cum onere rem aequivalentem reddendi. Ex hac trina conditione claret, mutuum a comodato substantialiter distingui. In re enim commodata, commodans, solo usu concesso, rei proprietatem sibi retinet, ipsique accrescit et perit, tempore concessionis, quo finito, commodatarius eam talem, qualem accepit restituere debet. Sed id non accidit in mutuo, cuius materia adhiberi nequit, absque mutatione vel alienatione; unde mutuans a mutuatario non aliud exigere potest, quam retributionem rei substantialiter aequivalentis. Commodatum et mutuum, etiam ratione beneficii, differunt. Commodans enim, quamvis videatur dare minus, quam mutuans, tamen reipsa liberalior est; dat enim rei usum, et sibi pericula fortuita retinet, seque obligat ad rem recipiendam, tempore statuto, cum illa pretii imminutione, quae iix ab usu saltem diutino, separari potest. Unde minus recipit, quam dedit. Mutuans vero tantum accipit quantum dedit, et in mutuatarium omnia rei pericula confert. Hinc, si commodatum, ex se gratuitum est, ut omnes fatentur, eodem et potiori iure, gratuitum esse debet mutuum. Attamen cum commodatum in locationem mutari possit, et

(1) In *Theol. mor.* lib. 6, art. 9, § 1.

pretium moderatum, pro concessione usus rei ad tempus, careat usura, potest ne idem dici de mutuo? seu, res fungibilis mutuo data, est ne locationis capax? En quaestio disputatissima, circa quam, prodiit et adhuc vivissima superest duplex opinio. Prima distinguit mutuum pauperi datum, a mutuo illi dato, qui vult lucrari ex eo,et ditescere. Illud gratuitum esse debet, quia est in usum consumptionis, aliquidque exigere, praeter sortem, esset inhumanum. Sed cum agitur de divite, qui petit ditescendi gratia, quid obstat, quominus paciscar de aliqua lucri parte, ipsi ex meis numnis subventuri? Scio et ego numnos per se esse steriles, et solum ex industria accipientis fructificaturos: sed quis ignorat, in commercio esse sterilem industriam sine nummis? Usus itaque nummorum in divitibus est aliquid praetio aestimabile, quod gratis, nulla lege, concedere teneor. Hinc patet, iustum esse pretium, de usu pecuniae per totum mutui tempus. Sed Sacra Scriptura, perpetua Ecclesiae Dei viventis doctrina, nec non sani philosophi, contra usuram conclamant? Conclamant quidem, respondent defensores huius sententiae, sed tantum contra enormes usuras, vel pauperibus impositas, sed intelligi non debent de usuris moderatis divitibus impositis. Sed est et altera opinio, quae concessa intrinseca mutui gratuitate, ius aliquid accipiendi a divitibus, derivat a legis civilis dispositione, ubique aliquid praeter sortem, concedentis. Huius autem concessionis ratio desumitur, tum ex necessitate foenoris ad frequentationem mutui, sine qua nullum est commercium et prosperitas; tum ex communi utilitate dantium mutuo, et accipientium; tum ex universali acceptatione taxationis legalis; tum ex tacita Sanctae Sedis approbatione, quae saepe de hoc negotio quaesita, respondit eos non esse inquietandos, quousque aliquid fuerit difinitum. Inter duas sententias, quid concludendum? Concludendum est contra primos defensores, titulum derivatum a venditione usus rei mutuatae, plane distincta a contractu mutui, omnino esse fictitium. Quidquid enim excogitaverit claris-

simus Mastrofini, ut suaderet suam thesim, apud animos studio partium vacuos, immota mansit contraria, scilicet, nummos per se esse steriles, et solum fructificaturos ex industria accipientis; ac proinde illicitum esse pretium, quod dicitur usura pro usu mutuatae pecuniae. Unde Doctor noster in Pharetrae libro I cap. 38: « Quid durius, quam ut des pecuniam » tuam, et ipse duplum exigas? Qui simplum non habuit, quemadmodum duplum solvet? Et Seneca: quid foenus et usura, » nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina? » O miserum! si quem haec delectant. » Concludendum contra defensores tituli legalis; huius aequitatem non a voluntate principis, qui nihil omnino potest contra naturalem usurae prohibitionem, sed a necessitate sociali, cui Ecclesia columna et fundamentum veritatis, indulgendum esse censuit. Concludendum est etiam quaestionem a christianis philosophis moveri tantum de recepta taxatione annui foenoris quinque pro 100 extra commercium, et sex pro 100 in re commerciali. Hanc enim solam spectant Apostolicae decisiones. Concludendum est insuper, inquietandos non esse nec fideles, nec presbyteros, quibus sufficere videtur titulus legis civilis, modo sint parati S. Sedis stare mandatis; et sint in bona fide, ita tamen, ut qui dubia et mala fide percipit auctarium, peccet quidem, nec tamen ad restitutionem teneatur. Concludendum ultimo est, temerarios esse presbyteros, qui docent absolute in sacris concionibus, licitum esse lucrum ex mutuo percipere, titulo legis civilis, reticitis conditionibus debitis; nam partes iudicis temere assumunt, privataque auctoritate difiniunt quaestionem, quam S. Sedes difinire nondum voluit.

444. *Q.* Quot sint tituli, qui a philosopho ut legittimi haberi possunt, ad aliquid praeter sortem accipiendum?

R. Sunt communiter quinque; damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, poena conventionalis, et donatio. Damnum emergens, quando scilicet mutuans, mutui causa, vere patitur. Lucrum cessans non iam possibile, sed probabiliter

speratum, cui mutuans renuntiat causa mutui. Periculum sortis, quod potest esse, vel iuris vel facti; et si facti, vel periculum est commune, vel insolitum; quod periculum, aliqua proportionali, ac debita compensatione, retribui potest. Poena conventionalis, quando mutuatarius, ad aliquid solvendum, se obligat, si tempore statuto, restituere quod accepit, negligat. Denique donatio, dummodo sit gratuita, et libera a parte mutuatarii, et eam acceptet mutuans, non quasi debitam, sed ut signum gratitudinis.

CAPUT III.

DE VERITATE MORUM OECONOMICA, SIVE DE IURE CIVILI.

445. *Q.* Quid sit matrimonium, et utrum sit naturale?

R. « Matrimonium, docente Magistro, dicitur a matre; unde » matrona dicitur, quae iam nupsit, et est dicta matrona, quasi » mater nati. Unde..... hoc sacramentum appellatur coniugium, » appellatur et nuptiae, appellatur et matrimonium. Et hanc » triplicem denominationem habet, secundum triplicem com- » parationem, sive considerationem. Potest enim considerari » secundum illud quod est; et sic dicitur coniugium, quasi » commune iugum: quia mutuum est vinculum, et mutua po- » testas..... Aut secundum signum, in quo apparet; et sic di- » cuntur nuptiae, quasi a nubibus: quia nubentes operiri so- » lebant, et eorum capita velabantur; unde et nomen transla- » tum est. Aut secundum fructum, ad quem perducit; et quo- » niam perducit ad bonum prolis, ideo matrimonium appellatur. » Magis autem bonum prolis, per matris nomen datur intel- » ligi: quia mulier, propter procreationem liberorum, facta est » in adiutorium viri; et quia in procreatione prolis, magis in- » cumbit sibi labor. Unde nota, quod matrimonium quatuor » habet ethimologias, secundum nomen matris. Uno modo di- » citur matrimonium, quia matris *monos*, idest lex.... Secundo » modo, quia matrem monet, ut servet foedus contra luxuriam...

» Tertio modo, quia matrem in vita defendit tum per virum, » tum per prolem, quia mulier indiget defensore: Defendite » viduam. Quarto, matrimonium dicitur matris munium, idest » matris officium, quo eo quod, prolis enutritio et acquisitio » maxime spectat ad mulierem, in concipiendo, in portando, » in pariendo, in nutriendo, et in compatiendo; unde sicut pos- » sessio dicitur patrimonium, quia paterna sollicitudine ac- » quiritur; sic prolis acquisitio matrimonium est (1). Matri- » monium autem est, eodem Duce dictante, coniunctio legit- » tima maris et foeminae, individuam vitae consuetudinem » retinens. Haec coniunctio non solum fuit post peccatum, ve- » rum etiam ante peccatum. Sed prius institutum fuit *coniu-* » *gium* in officium, nunc autem non solum in officium, verum » etiam in remedium contra libidinis morbum. Prius signifi- » cabat coniunctionem Dei et animae, nunc autem, praeter hoc, » significat coniunctionem Christi et Ecclesiae, et duarum na- » turarum in unitate personae. Introducitur haec coniunctio » in esse, per liberum consensum animorum ex parte utriusque » personae, exterius expressum in aliquo signo sensibili, con- » summari autem habet in copula carnali. Nam per verba de » futuro dicitur matrimonium initiari, per verba de praesenti » ratificari, sed per carnalem copulam habet consummari » (2).

Sed quamquam haec societas, temporis initio, in libera voluntate consistat, tamen vix inita, naturalis evadit. Procreationis enim factum, tum fine, tum medio, est naturale; naturalis hominis propagatio, naturalis organismus, naturalis tendentia. Sed societas maritalis est ex intentione procreandi; ergo est ex natura; sed quod est a natura, est naturale; ergo societas coniugalis maris et foeminae est naturalis. Hoc argumentum, ex communi omnium gentium consensu, confirmatur. Nullus enim populus, nulla aetas fuit, nullum oppidum, nulla civita-

(1) IV Sent., dist. 27, 29, art. 1.

(2) In Brevil. p. 6, cap. 13.

tula fuit, quae coniugia, aliqua accidentali diversitate varia, non habuerit, sine quibus nulla societas nec esse, nec vivere, nec durare potest.

446. *Q.* Utrum matrimonium sit necessario, et natura sua, religiosum ?

R. Cum societas coniugalis viri et mulieris preparata fuerit a Deo, ante ipsam utriusque existentiam, scilicet in formatione corporis humani; divinitus tamen ordinata fuit, et est natura sua religiosa. Quia illud est religiosum, quod ordinatur ad rem significandam supernaturalem: sed tale est matrimonium, quia Dei et animae, ut diximus, coniunctionem significat: ergo matrimonium est natura sua religiosum. Est etiam religiosum ; quia, quod est ad procreationem, et institutionem prolis aptae ad aeternum Patris caelestis consortium, est religiosum: sed talis est finis matrimonii; ergo matrimonium religionem dicit. Tertia ratio est, quia connubium, inspirante, sanciente, et benedicente Deo, celebratum fuit multis ante saeculis, quam, partitione generis humani, in gentes constituisset Deus societatem civilem, ut concors populorum narrat historia. Quare, nullus christianus philosophus inficiari potest, matrimonium, licet mutuo viri et mulieris libero consensu ineatur, nec unquam sine ipso valide iniri possit; ratione tamen divinae eius institutionis, ordinationisque ad fines sanctissimos, esse pactum, natura sua, divino-humanum, intrinsecus religiosum, antecedens omnia hominum pacta et statuta; antecedens societatem domesticam, cuius est fundamentum; antecedens a fortiori societatem civilem, quae, longa post saecula, ad tutelam societatis domesticae, eiusque perfectionem, fuit constituta. Liquet ergo, substantiam matrimonii, priusquam gratia Sacramenti perficeretur, omnino religiosam fuisse, omnibusque statutis civilibus maiorem; quanto magis post institutionem Sacramenti novae legis ! Maxime, cum contractus coniugalis a Sacramento dividi nequeat, ut demonstrant invictissime, omnes sana mente theologi.

447. *Q.* Utrum matrimonium sit de praecepto?

R. Circa hanc quaestionem respondet Magister his verbis: » Prima institutio matrimonii praeceptum habuit.... et prae- » ceptum illud fuit affirmativum, et fuit iuris naturalis. Sed » attendendum, quod ius naturale, quaedam dictat simpliciter, » ut Deum amandum. Secundum tempus, ut omnia esse com- » munia. Dico ergo, quod praeceptum de usu matrimonii, fuit » naturale secundo modo; quia quamdiu pauci erant, dictabat » ius naturale, quod multiplicanda esset proles ad cultum Dei. » Sed cessante isto statu, cessavit praeceptum » (1). Ex hoc Magistri principio fluit, quod caelibatus non sit prohibitus, imo est status, coniugali perfectior; tum quia bonum ordinis superioris diligit: tum quia ad maiora praedisponit: tum quia melius contemplationibus favet: mentem acuit: dat robur militi; et innumera praestat societati officia, sine quibus, nec civilitas, nec progressus vigeret. Unde Doctor: « Quod virgi- » nitas, sit melior et perfectior coniugio videtur, quia virtus » consistit circa difficile et arduum; ergo circa maius arduum, » maior virtus; sed magis arduum est, omnino abstinere a » coitu, quam aliquando tantum: ergo maioris virtutis. Vide- » tur, quia opera perfectionis sunt in consilio, imperfectionis » vero in indulgentia; ergo virginitas etc. Videtur, quia cui » debetur fructus maior, illud est maioris virtutis; sed conti- » nentiae virginali debetur fructus centesimus, sicut dicitur » in Glossa, coniugali vero trigesimus; ergo etc. Videtur de- » nique, quia quod similius est statui gloriae, est perfectius; » sed continentia virginalis est similior statui gloriae; quia » ibi est incorruptio, ibi non nubunt. Unde Hieronymus dicit, » quod Angelis est cognata virginitas; ergo etc. » (2).

448. *Q.* Utrum matrimonium fieri queat inter consanguineos et propinquos?

(1) IV Sent., dist. 26, art. 1, q. 3.

(2) IV Sent. dist. 33, art. 2, q. 2, in fund.

R. Matrimonium fieri nequit inter propinquos et consanguineos. « Quia, ex Doctore, vinculum consanguinitatis impe-
» dit matrimonium in aliquo sui gradu, propter dictamen le-
» gis naturae, in aliquo vero, propter prohibitionem legis di-
» vinae, in aliquo, propter statutum Ecclesiae. Vinculum con-
» sanguinitatis, quod est stipitis ad prolem, impedit propter
» dictamen naturae, unde naturale est apud omnes, quod fi-
» lius non coniungatur matri, et quod filia non coniungatur
» patri. Et si quaeratur ratio, quare hoc est, dicendum, quod
» hoc est, propter reverentiam et honorem, qui debet exhiberi
» patri et matri, et ideo non debent commisceri. Vel propter
» generationis successionem, quae debet procedere, non re-
» trocedere. Unde non debet proles genita coniungi suo prin-
» cipio, ut gignat. Et hinc est quod natura dictat, quod alio
» affectu tractandi sunt parentes, alio affectu tractari debent
» coniuges. » Sed est et altera ratio; matrimonium enim est coniunctio maritalis: sed in coniunctione maritali est aequalitas socialis: aequalitas socialis non est conveniens, quod sit inter subiectos et socios. Esset enim aequalitas socialis, et non; socialis, propter coniugium, non propter dependentiam. « Ideo propter dictamen naturae impeditur matrimo-
» nium, per consanguinitatis primum vinculum, quae est pro-
» lis genitae ad suum principium. Propter prohibitionem le-
» gis divinae, impeditur matrimonium per consanguinitatem,
» usque ad secundum gradum, sicut patet per Leviticum......
» Et si quaeratur ratio huius, dicendum: quod hoc est, propter
» honestatem.... Propter statutum Ecclesiae impeditur matri-
» monium a secundo gradu, et deinceps. Et si quaeratur ratio
» huius dicendum: quod hoc statutum fuit, propter dilectionem
» dilatandam, quia enim homo pronus est ad diligendum sibi
» propinquum, et matrimonium aggeneret propinquitatem, et
» dilectionis mutuae praestat fomentum; hinc est quod Ec-
» clesia statuit, ut amor ad extraneos extenderetur, quod ma-
» trimonia extra propriam parentelam contraherentur; et

» ita non solum in secundo, sed etiam deinceps, propter di- » latandam charitatem, et propter ampliandam honestatem; » et ita patet, quod consanguinitatis vinculum, ob diversas » causas, habet impedire matrimonium (1) per se ». Dico per se, quia accidere potest, ut sit dispensatio a legislatore, vel divino, vel humano; et sic servatur, per legem communem, bonum multorum, et producitur bonum unius, in casu particulari.

449. *Q.* Quot, et utrum sint rationabilia impedimenta, quae matrimonium impediunt contrahendum, et dirimunt iam contractum?

R. Tempore seraphici Doctoris, impedimenta erant duodecim, modo quindecim enumerari solent his versiculis contenta:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave si mulier, parti nec reddita tutae
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

Sed in illis duodecim, ista quindecim iam includebantur. Nam aetatis impedimentum, ingreditur in defectu erroris, idoneitatis; raptus, in impedimento violentiae; et clandestinitatis, ad impedimentum criminis, vel honestatis revocari potest. Eorum autem rationalis sufficientia, sic perbelle a Duce nostro, explicatur: « Ad matrimonialem consensum requiritur libertas in » consensu, et libertas in consentiente, et idoneitas ad con- » iunctionem. Sed libertas in consensu, tollitur per duo, se- » cundum duas partes involuntarii, scilicet per ignorantiam, » et per violentiam. Et sic sunt duo impedimenta, scilicet er- » ror, et violentia. Libertas autem in consentiente tollitur per » hoc, quod quis est alligatus alteri, et hoc, vel Deo, vel ho- » mini. Si Deo, hoc est, vel per votum expressum, vel per a- » liquid, quod habet votum annexum. Primum est in voto, se- » cundum in ordine. Si autem homini hoc est dupliciter: aut

(1) IV Sent., dist. 40, q. 2, art. 1.

» per ligamen existens, aut per ligamen praecedens. Primum » est in ligamine, quo quis ligatus est uxori: secundum est in » crimine, quando moechus vel moecha machinatus est in » morte coniugis, vel ipso vivente, fidem de contrahendo de- » dit. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet, ordo, votum, » ligamen, et crimen. Idoneitas autem ad unionem, est distan- » tia personarum conveniens, quae tollitur per nimiam pro- » ximitatem, vel per nimiam elongationem. Nimia autem pro - » ximitas venit, sive per generationem, sive per aliquid si- » mile generationi, ut est cognatio legalis, spiritualis; aut » venit per commixtionem sexuum, aut per contractationem » sponsalium, et sic sunt tria impedimenta, scilicet, cognatio, » affinitas, et publicae iustitiae honestas. Nimia autem di- » stantia aut attenditur quantum ad ea, quae sunt fortunae, » quae non sunt in nostra potestate, ut patet cum est unus » servus, et alter liber; aut quantum, ad ea, quae sunt reli- » gionis christianae, ut cum unus est baptizatus, alter vero » minime. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet, impotentia » coeundi, error conditionis, et disparitas religionis. Ac per » hoc, sunt in universo duodecim impedimenta, quae, Spiritu » Sancto dictante, introducta sunt in Ecclesia Dei, cui etsi o- » mnia Sacramenta sint commissa, potissime coniugii Sacra- » mentum commissum est regulandum propter varietates, » quae circa hoc incidere possunt, et propter morbum anne- » xum, qui est maxime infectivus, et minime tenens modum. » Et ideo ipsius Ecclesiae est, gradus cognationum limitare, » sicut pro tempore expedire videt, et personas legitimas, » vel illegitimas iudicare, et divortia facere. Sed nunquam » debet, nec potest matrimonium quod legitime introductum » est, annullare; quia quos Deus coniunxit, non potest homo, » quantumcumque sit magnae potentiae, separare, cum ipsius » Dei iudicio iudicandi remaneant universi » (1).

(1) In Brevil. p. 6, cap. 13.

450. *Q.* Utrum societas coniugalis sit indissolubilis?

R. Societas maritalis est indissolubilis, multiplici ratione. Prima est, quia pactio coniugalis est pactio amoris; sed amor est ad durationem; ergo est indissolubilis. Secunda est, quia finis matrimonii est procreatio prolis, et educatio; sed sine indissolubilitate maritali, nec proles curari, nec educari potest; ergo etc. Tertia ratio est, quia procreatio hominis est procreatio rationabilium: sed rationabilia indigent longa educatione; ergo etc. Quarta ratio est, quia cum causa efficiens debeat esse conservans, parentes patet debere substantias filiis conservare: sed haec conservatio exigit indissolubilitatem; ergo etc. Quinta ratio est, quia provectiores filii parentibus debent honorem, gloriam, gratitudinem: sed hoc exigit indissolubilitatem; ergo etc. Sexta ratio est, quia quo crescit corruptio, eo crescit divortium; sed corruptio, tum rationi, tum voluntati, tum familiae adversatur; ergo divortium malum est; bona igitur indissolubilitas; ergo etc. Septima ratio est, quia divortium est fons odii inter coniugum familias: sed Deus odium prohibet, et vult dilectionem; ergo non vult divortium: ergo vult indissolubilitatem. Octava ratio est, quia societas publica, sine unitate familiae nequit prosperari; sed societas publica est a natura: ergo a natura familiae unitas, sive indissolubilitas; ergo etc. Nona ratio est, quia hoc ipsi adversarii confirmant, ut enim habemus ex Bentham: coniugium perpetuum, esse magis naturale, magis utile, magis nobile, magis providum, tum filiis, tum coniugibus, tum societati, nullus est qui non videat (1).

451. Utrum poligamia, sive habere plures uxores simultaneas, et poliandria, sive habere plures viros simultaneos, sit contra rectam rationem, et naturale ius?

R. Ius naturale, ex Doctore nostro, tripliciter dicitur, scilicet communiter, proprie, et magis proprie. Uno modo difi-

(1) Operum. tom, I, pag. 116.

nitur sic: ius naturale est, quod in lege, et Evangelio continetur. Si sic accipitur, habere concubinam, est contra ius naturale, quia est contra legem, et Evangelium. Sed contra legem Moysi implicite, quia non praecipit expresse fornicatorem interfici, nisi in casu adulterii; tamen implicite clauditur ibi: non moechaberis, ubi prohibetur omnis coitus, nisi matrimonialis. Contra legem evangelicam est expresse, nam dicit, fornicarios non habere partem in regno Dei, et dicit quod habeat unusquisque suam, propter fornicationem vitandam. Secundo modo, ius definitur proprie: ius naturale est, quod est commune omnium nationum, et hoc ius est, quod dictat ratio recta. Contra illud adhuc est, habere plures mulieres; quia ius naturale dictat, quod conveniant vir et mulier in tali actu, ad generationem prolis, quae utrique succedat, et cui communiter praesint, et illa utrique aequaliter subsit; et quoniam actus ille est consimilis in specie, et ad generandum consimilem in specie, dictat natura, ut conveniant in quadam aequalitate; sed hoc est cum pater coniungitur illi, ut sit uxor et materfamilias, et ideo recta ratio dictat, quod non conveniant si coniungantur illi, ut concubinae. Sed ista in multis est obfuscata per libidinem; sed tamen salva manet in his, qui non depravant iudicium per mala opera. Tertio modo dicitur ius naturale proprissime, quod natura docuit omnia animalia; et hoc modo non est contra naturam, nec tamen omnino secundum naturam; et hoc, quia quaedam animalia bruta sunt, licet non omnia, quae coniunguntur per individuam copulam, ut sunt turtures; et quoniam sicut vult Philosophus, omnes virtutes, quae sunt in animalibus dispersae, in homine colliguntur, sicut arma omnium animalium in manu hominis; quamvis non omnia animalia habeant instinctum, tamen natura hominis habeat. Unde ad hoc inclinatur recta natura hominis, ut si adhaeret mulieri, sic adhaereat, ut pro ipsa patrem, et matrem deserat; et sic accipiat in copulam individuam. Habere igitur concubinam, non solum est malum, quia

prohibitum, sed prohibitum, quia malum. Sed non coniugata habet potestatem sui corporis, et nulli facit iniuriam, quia ipsa vult. — Ad hoc respondet Doctor, quod facit iniuriam Deo, quia contra ius statutum facit: facit etiam iniuriam sibi, pro eo quod, se deordinando, in corpus suum peccat; nam vir facit sibi iniuriam, quamvis ipsa velit, quia ut phraenetica vult malum suum, ut si aliqua vellet ut se occideret, vel ea abuteretur contra naturam, quis auderet dicere hoc non esse malum? Sed mulier habet potestatem corporis viri. — Ad hoc respondet Doctor, quod etsi caetera bona sint communia, hoc tamen bonum debet esse privatum. Unde nulli alii potest uxorem suam comunicare, nec potestatem exigere in alio, sed solum in corpore suo; sic nec mulier de viro. Sed natura dictat, prolem esse multiplicandum. — Dictat quidem, notat Doctor noster, sed debite, sed ordinate, et ita quod nulli fiat iniuria. Rectae enim rationis est, quod non faciat alii, quod sibi non vult fieri; sed vir non vult quod uxor habeat alium virum; igitur nec ipse debet velle habere aliam uxorem, cum in tali actu, ad paria iudicentur, et tamquam pares conveniant. Altera ratio est, quia secundum dictamen naturae, vir tenetur uxori debitum reddere; ergo cum impossibile sit simul pluribus reddere, non potest se simul pluribus obligare; sed, si plures posset simul habere, simul se pluribus obligaret; ergo, habere plures uxores, est contra legem naturae. Sed a Deo dispensatum fuit; et Abraham, et Iacob, et David, et Helchana plures habuere uxores. — Verissimum, respondet Doctor, sed ista quatuor fuerunt concurrentia, scilicet necessitas, congruitas, utilitas, et honestas. Primum quidem congruum fuit illud tempus dispensationi, quoniam tempus fuit figurae; et quoniam Christus generare debebat liberos, et filios per baptismum, et in Ecclesia catholica et in haereticis diverticulis, ideo in figura debuit praecedere matrimonium, sive generatio ex libera et ancilla. Fuit ergo temporis congruitas. Fuit etiam necessitas, quia pauci erant Deum colentes; et ut cultus di-

vinus non periret, necesse fuit, ut filios multiplicarent, et contingit quod uxores steriles haberent, ideo necessitatem habuerunt tunc plures habere. Fuit etiam utilitas, quia filii erudiebantur a parentibus, et mores patrum servabant: et ideo quanto plures, tanto cultus Dei erat cebebrior; et ideo erat tunc utile multos procreare. Fuit etiam honestas, quia non affectu libidinoso, sed casto: non affectu adulterii, sed mariti etiam concubinas cognoscebant. In cuius rei testimonium de Abraham dicitur; quod non ipse accepit ancillam, sed uxori obedivit, et ei in ea debitum reddidit, et affectu viri cognovit. Unde Augustinus vocat ipsum virum, semine viriliter utentem, uxore temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter. Ista autem dispensatio facta est divina ispiratione; unde omnibus quibus licuit, licuit ex dispensatione, quae fuit per ispirationem divinam. Sed Deus non facit contra ius naturae. — Et hoc est verum, respondet Doctor, quia verum est contra ius naturae, quod ordinat in ipsum; sed contra ius naturae, quod ordinat ad proximum, potest; non tamen facit contra, sed supra: quia ratio recta sic dictat hoc non esse faciendum, ut tamen dicat in eius opposito, Deo esse obediendum. Concludamus igitur polygamiam simpliciter esse contra ius naturae, et poliandriam absolute iuri naturae pugnare. Et ratio Doctoris concludens est, quia si una esset plurium, nulla esset utilitas, quia unus potest foecundare plures, sed non una a pluribus. Esset etiam damnum quia defectus tranquillitatis; non enim potest cum pace unus duobus dominis servire, sicut unus dominus duobus servis imperare, et vir caput est, et dominatur mulieri. Deesset etiam bonum Sacramenti, quia una anima non duobus viris, sed Christus multis copulatur animabus. Et amplius esset incertitudo prolis, et confusio haereditatis (1).

452. *Q.* An sit in viro, vel in uxore, societatis coniugalis auctoritas?

(1) Confer IV Sent. dist. 33, in tot. art. 1, q. 1, 2, 3.

R. Auctoritas societatis coniugalis in viro est collocanda. Et ratio est, quia vir generaliter potenti ratione pollet, et maiori animi vi, ad filiorum educationem. Quia necessitatibus temporalibus, se magis active, prudenter, sapienterque praestat. Quia iurium domesticorum defensionem, corporis vigore, magis adiuvat. Quia, propter foetum et natos, mulier plus quam regere, regi debet. In viro igitur est auctoritas coniugalis societatis. Sansimonismi ergo sententia, quae mulierem marito aequalem, tum familia, tum templo, tum civili gubernio, docebat, inter deliramenta nostrae aetatis, est amandanda.

453. *Q.* Quaenam sint iura, et officia parentum in filios, et filiorum in parentes?

R. En doctrina seraphica Ducis nostri. « Pater nominat per-
» sonam generantis, personam instruentis, personam educantis,
» quia pater habens filium, generat ipsum, instruit ipsum, et
» nutrit; ipsius igitur est, instruere filios, ipsos nutrire, ipsos
» ditare, et ligare bona sua. Parentibus autem a filiis debetur
» triplex honor. Ratione originis, debetur honor reverentiae;
» ratione regiminis, honor obedientiae: ratione benefactoris,
» honor beneficientiae. Triplex est igitur officium et ius filio-
» rum in parentes, reverentiae ut generantibus, obedientiae
» ut regentibus, beneficientiae ut benefactoribus » (2).

454. *Q.* Quaenam sint mutua officia inter dominos et famulos?

R. Hic non loquimur de servis proprie dictis; namque inter christianos servitus abolita fuit. Servitus enim dicit totalem hominis ordinationem ad hominem; sed haec servitus non debetur nisi Deo, quia omnium Creator est et Conditor; ergo hominis dignitati repugnat: ergo prohibita est servitus, quia crudelis et deordinata. Hic, loquendo de famulis, qui se se obligant, ad aliquid in familiis praestandum, et sui iure manent, et libere de se disponunt, dicimus officia dominorum

(2) De decem praecept. serm. 5.

praecipue esse quatuor. Primo: ut non exigant a famulis immoderatos labores ultra vires et pacta. Secundo: ne defraudent famulos debita mercede. Tertio: ne inhumaniter et superbe eos tractent. Quarto: ut proprio exemplo et auctoritate ad bonum dirigant honestum, et de malis actionibus charitative corripiant. Officia autem famulorum erga heros suos, tria adnumerantur. Primum est: humilis obedientia iustis dominorum imperiis. Secundum est: observantia et reverentia cordis, oris, et operis eorum auctoritati, quae tenet locum Dei, a quo omnis paternitas nominatur. Tertium officium est: in operibus praestandis fidelitas diligens et accurata; et haec nec venalis, nec propter timorem, sed propter ordinis amorem a Deo constitutum, esse debet.

455. *Q.* Utrum homo sit naturaliter socialis?

R. Homo natura sua socialis est; idque contra Rousseau, Hobbes, aliosque multos eiusdem furfuris asseclas, plurimis rationum momentis comprobatur. Prima ratio est, quia homo alteri debet bonum, quod sibi ipsi, et mediis uti ad hoc convenientibus; sed haec coniunctio, conspiratio et mediorum necessitas, societatem constituit; ergo homo naturaliter est socialis. Secunda ratio est, quia homo universaliter, tum quoad mentem, tum quoad voluntatem, tum quoad corpus, talibus, secundum naturae leges, indiget subsidiis, quae sola societas exibere potest. Sed homo his indigentiis, tum propter instinctum, tum propter officium satisfacere debet; ergo est naturaliter socialis. Socialis mente, quia haec, sine aliorum adiumento, et assiduo, et diurno, nec bene omnia cognoscit, nec recte ratiocinatur, nec facta praeterita habere potest. Socialis voluntate, quia haec propter passionum impetum, debet educari, tum private, tum publice. Socialis corpore, quia sine societate non oritur, non vivit, non perficitur. Socialis loquela, quia homo solus hac naturaliter utitur, et vinculum societatis loquela appellatur. Socialis instinctu, quia homo naturaliter proclivis est, ad aliis tum gaudia, tum poenas communicandum.

Socialis denique naturali inaequalitate, quae, eo magis societatem inducit, quo maior est diversitas. Sic iuvenis prudentia senis indiget, senes fortitudine iuvenis; doctus ignorantem, indoctus sapientem, dives pauperum brachia, pauperes divitum subsidia, expostulant. Et si aliquando indigentiae desunt, gratificatio, reverentia oris, operisque retributio, quae omnia societatem supponunt, augenda sunt. Omnia ergo quae nos circumstant, hominem esse naturaliter socialem, apertissime docent.

456. *Q.* Ubinam finis societatis civilis sit ponendus?

R. Finis, per quem societas civilis operari debet, immediatus, est bonum commune externum. Primo enim, natura non dictat officium, nisi in quantum nobis indicat media, ad implendum; sed societati civili, natura non indicat media, nec ad cognoscendum, nec ad operandum in internis, directa; ergo non obligat societatem civilem super interna, ergo nec ius essentiale: ergo solum bonum commune externum est finis societatis civilis. Secundo, quia auctoritas, ut videbimus infra, oritur ex necessitate vinculi, quod astringat ad unicam operationem individuos libertate praeditos, ut finem consequantur: sed ad hunc finem, sufficit bonum commune externum; internum enim per se nec impedit, nec adiuvat; ergo obiectum auctoritatis, sive finis societatis civilis, est bonum sociorum externum. Tertio, quia actio interna hominis regitur a ratione; sed ratio, secundum naturam, non regitur ab auctoritate, sed a vero suo obiecto; ergo auctoritas civilis directe rationem non movet, nec alias potentias interiores; ergo finis societatis civilis non est internum, sed bonum commune externum.

457. *Q.* Utrum bonum commune societatis externum, interno subordinari debeat?

R. Bonum commune externum societatis civilis, interno subordinari habet. Et ratio est, quia bonum externum non est bonum, nisi in quantum est medium ad honestum internum, et futurum adipiscendum. Ergo bonum externum non est bonum,

si non ducit ad internum; sed auctoritas est in bonum sociale, quia est ad finem, et finis omnium est bonum internum; ergo ita debet ordinare externa, ut sint media ad internum. Praeterea, societas est medium, quo socii, sibi invicem adiuvantes, beatitatem consequantur: ergo auctoritas quae movet socios, debet eos ad felicitatem conducere; sed felicitas non est, nisi in ordine interno; ergo finis societatis civilis externus, interno est subiiciendus. Ergo, uno verbo, finis societatis civilis debet esse bonum commune externum, ad ordinem omnium sociorum individualem internum, aeternaeque felicitati subordinatum. Salus igitur publica, bonum generale, securitas publica, tum interna, tum externa, progressus, civilitas, iurium tutela, et similia, quae ut finem societatis docuerunt tum veteres, tum recentes philosophi, sunt vel falsa, vel deficientia vel perniciosa: quia atheismo favent, totius moralitatis interitum adducunt; suicidium, blasphemias, poligamiam, poliandriam, incestum absolvunt, omniaque tum officia, tum iura, maximam in ruinam pessime trahunt.

458. *Q.* Quibus elementis coalescat societas civilis?

R. Societas civilis duobus elementis componitur, videlicet, auctoritate et multitudine. Auctoritate, quia societatis natura, unitatem voluntatum, operationumque harmoniam, ad finem exigit; sed voluntates et operationes nulla necessitate interna determinantur; necessum est igitur congrua potestate, quae ipsas determinet. Haec potestas, congrue sociosque iuridice determinans, auctoritas vocitatur. Sed si est determinans, quid determinabit? Patet, multitudinem. Ergo multitudo et auctoritas sunt prima et radicalia societatis civilis elementa. Hinc facile intelligitur, auctoritatem esse ius movendi, tum mentem, tum voluntatem, tum sociorum organismum, per quantum haec omnia, ad bonum commune, sunt convenientia. Ligat ergo tum voluntatem, tum corpora. Intelligitur etiam, auctoritatem per se esse in bonum, suaque natura beneficam: quia est ad finem, et finis per se est bonus. Intelligitur denique, regem,

imperatorem, superiorem, in philosophia christiana, non esse dominum, sed ministrum: nec auctoritatem dominium, sed ministerium; eodemque modo subditum non esse servum, nec obedientiam ad bonum, esse servitutem, sed libertatem.

459. *Q.* Utrum constitutio civilis debeat esse organica, vel mechanica?

R. Constitutio civilis nequit esse mechanica, quia haec ad se omnia accommodat, et iura inferiora invadit et pessumdat: sed organica esse debet. Agitur enim de hominibus ratione, et voluntate pollentibus; agitur de societatibus particularibus, iuribus fruentibus propriis; agitur de bonis particularibus, et de specialibus partium perfectionibus, quae si defendantur, et iuste dirigantur, societas civilis, amplissime et nobilissime perficitur. Si autem constitutio sit mechanica, et auctoritas, inferiorum iura invadat vel destruat, tum, cum subditorum ruina, propriam demolitionem adducit (1).

460. *Q.* Utrum potestas dominandi sit a Deo?

R. Dominandi potestas est a Deo, sed mediante facto humano. Est a Deo, quia potestas praesidendi, ut docet Magister « dicit potentiam in excellentia, et omne tale dicit positionem aliquam; sed omne quod positionem aliquam dicit, » a summa potentia est; ergo omnis potentia praesidendi a » Deo est, qualitercumque quis praesit. Item omnis poena a » Deo est, quae habet simpliciter rationem poenae: sed omnis » servitus est poena: ergo a Deo est; sed ab eodem, a quo » est servitus, ab eodem est dominandi potestas: igitur omnis » potestas dominandi a Deo est » (2). Sed est et tertia ratio a Vincentio Gioberti prolata, quae minus non urget. Scribit enim: « La sovranità ministeriale è da Dio, come la sovranità assoluta è in Dio, e colla di lui natura s' immedesima sostanzialmente. Ella trapassa da un uomo agli altri, da una

(1) G. Audisio della Società polit. e relig. c. 19.

(2) II Sent. dist. 44, art. 2, q. 1.

generazione alle succedenti. Si comunica, si moltiplica, si allarga, si perpetua, si trasforma, per via di tradizione. Che l' uomo faccia un sovrano è cosa assurda; e tanto assurda, quanto che il figlio generi il padre, e la causa nasca dall'effetto. A ciò l' uomo creasse il sovrano, dovrebbe essere già tale egli stesso, prima di farlo; niuno potendo dare ciò che non possiede. La sovranità può bensì travasarsi, di uomo in uomo, e così modificarsi in molte guise, ora riunendosi in pochi, ora dispergendosi in molti, e pigliando diverse forme; ma sotto queste varietà accidentali ed estrinseche si mantengono sempre immutabili i due caratteri essenziali di ogni signoria civile. I quali consistono; 1.° nell' essere la sovranità solamente tramandata, ma non creata dall'uomo, che non può possederla, senza riceverla da altri, e redarla da una società anteriore; 2.° nel venire essa conferita con un atto riflesso e libero, tacito o espresso, per cui il possessore la comunica a chi ne è privo, effettuandosi sempre la tramissione dall' alto al basso, e non viceversa. La collazione della sovranità è in ogni caso una investitura di tutta essa, o di alcuna sua parte, fatta dal sovrano nella persona del suddito. La sovranità si riceve, ma non si fa e non si piglia: il caso o la forza possono occasionarla, ma non causarla, propriamente parlando: è *a priori* e non *a posteriori:* e in ciò versa la forza morale, che la rende legittima e veneranda. Ella importa la sudditanza, come un necessario correlativo; e il dire che il sovrano possa essere creato dai suoi soggetti, e trarne i diritti che lo privilegiano, inchiude contraddizione. Insomma, il sovrano è autonomo rispetto ai sudditi, e se ricevesse da loro l'autorità sua, non sarebbe veramente sovrano, perchè i suoi titoli ripugnerebbero alla sua origine » (1). Auctoritas igitur est a Deo, sed mediante facto humano: quia omnis societas

(1) Introd. allo studio della filosofia, c. 5, ediz. Losanna, tom. 3, pag. 86.

realis oritur ex factis particularibus: sed societas realis est mediante auctoritate reali, et per eam subsistit; ergo eo modo, quo est societas, est auctoritas: ergo mediante homine. Secundo, quia inter unum et alium hominem, non est ordo essentialis: sed quod non est essentiale, est a facto particulari determinandum; ergo a facto particulari, est potestas praesidendi. Tertio, quia omne ius humanum oritur a facto, legibus ordinis subordinato: sed potestas dominandi est ius humanum; ergo ab homine determinatur. Quarto, quia homines propter naturam specificam sunt aequales, et inter se independentes; ergo si est in ipsis, qui imperat, est a facto particulari. Ergo auctoritas est a Deo, mediante facto humano. Quinto denique, quia homo, secundum naturam suam, est factus ad Dei imaginem; sed in quantum est imago Dei, ut sapienter scribit Seraphicus « natus » est immediate ferri in Deum, ergo si solus Deus eo maior est, » igitur secundum naturam nihil est supra hominem nisi Deus » ergo nullum dominium in homine nisi solum divinum » (1), ergo si est, est ab homine: ergo a facto particulari. Falsa igitur, tum sententia illorum, qui auctoritatem immediatam a Deo derivarunt, tum illorum, Deum excludentium, qui a populo voluerunt. Ordinem enim abstractum cum reali confuderunt, et sic utrumque destruxerunt.

461. *Q.* Utrum potestas dominandi sit in homine, secundum institutionem naturae, vel secundum punitionem culpae?

R. Potestas dominandi, ex Duce nostro, dicitur tripliciter, « scilicet largissime, communiter, et proprie. Largissime.... dicitur respectu omnis rei, qua homo potest ad libitum et » votum suum uti, et hoc modo, dicitur homo esse dominus » possessionum suarum, sive mobilium, sive immobilium. Alio » modo, potestas praesidendi sive dominandi, dicit excellentiam » potestatis in imperando ei, qui capax est rationis, et prae- » cepti. Tertio modo, potestas dominandi, sive praesidendi di-

(1) II Sent. dist. 44, art. 3, q. 2.

» citur potestas coercendi subditos: et haec potestas dicit » quamdam arctationem libertatis; et talis potestas dominandi » proprie dicitur dominium, cui respondet servitus. Primo » modo, potestas dominandi communis est omni statui, vide- » licet statui naturae institutae, et naturae lapsae, et naturae » glorificatae; et excellentiori modo fuit in statu naturae in- » stitutae, quam sit in statu naturae lapsae. Secundo modo, « competit statui viae, sive pro statu naturae institutae, sive » pro statu naturae lapsae. Si enim homo stetisset, et vir pos- » set imperare uxori, et pater potuisset imperare filio; et hoc » reperitur etiam in Angelis, quamdiu sunt administratorii » spiritus: quia ex illa parte aliquo modo sunt in statu viae.... » Tertio vero modo, potestas dominandi in homine, est solum » secundum naturae lapsae statum. Inest enim ei secundum » culpae punitionem, non secundum naturae institutionem; et » hoc quia servitus sibi correspondens.... est poena peccati.... » Sed dominium facit ad conservationem ordinis naturalis. — » Facit quidem, dicit Doctor, sed est ordo qui respicit natu- » ram secundum omnem statum; et est ordo qui respicit na- » turam secundum statum suae conditionis; et est ordo qui » respicit naturam secundum statum suae corruptionis; et se- » cundum hoc, quaedam sunt de dictamine naturae simplici- » ter; quaedam sunt de dictamine naturae, secundum statum » naturae institutae; quaedam de dictamine naturae, secundum » statum naturae lapsae. Deum esse honorandum, dictat na- » tura secundum omnem statum; omnia esse communia, dictat » secundum statum naturae institutae; aliquid proprium esse, » dictat, secundum statum naturae lapsae, ad removendas con- » tentiones et lites; sic omnes homines esse servos Dei, dictat » natura secundum omnem statum. Hominem vero adaequari » homini, dictat secundum statum suae primae conditionis. Ho- » minem autem homini subiici, et hominem homini famulari, di- » ctat secundum statum corruptionis, ut mali compescantur, » et boni defendantur. Nisi enim essent huiusmodi dominia

» coercentia malos, propter corruptionem quae, est in natura, » unus alterum oppimeret, et communiter homines vivere non » possent. Non sic autem esset, si homo mansisset in statu in- » nocentiae; quilibet enim, in gradu, et statu suo maneret. Et » sic patet quod illa ratio non concludit, quod dominium re- » spiciat naturam institutam, sed solum quod respicit natu- » ram lapsam, ubi ordo habet perturbari, et potest per do- » minium conservari » (1).

462. *Q.* Quidnam sit auctoritatis subiectum, et quotuplex esse possit?

R. Subiectum auctoritatis, vel est persona physica, ut homo individuus; vel est persona moralis, sive plurium coetus, qui in unum conveniant. Attamen, sive sit physica, sive sit persona moralis, auctoritatis subiectum semper est unum. A multis enim nulla oritur unitas. Hinc, formae regiminis civilis realiter distinctae, duae esse possunt, vel monarchiae, vel poliarchiae. Omne enim quod est in mundo, vel est unum, vel multiplex, vel simplex, vel compositum. Nec mihi quis dicat esse tertii gubernii formam, videlicet democraticam. Missa enim physica impossibilitate regiminis omnium, multi et omnes, ad poliarchiae formam, pertinerent. Hinc non esset distinctio essentialis, sed accidentalis. Diversitas autem inter duas gubernii formas assignata, est essentialis, tum quoad originem, cum poliarchia ex primitiva aequalitate, et ex disparitate exurgat monarchia; tum propter subiectum dirigens, quod in monarchia est physice unum, sive princeps, in poliarchia moraliter et artificialiter unum, sive plurium in unum consensus. Concedendum est igitur, duas esse formas civilis regiminis primitivas, nempe monarchiam, et poliarchiam. Caeterum autem, omnes aliae formae tum democratiae, tum aristocratiae, tum monarchiae purae, tum constitutionalis, ad duas primas revocantur.

(1) II Sent. dist. 44, art. 2, q. 2, in concl. ad 4.

463. *Q.* Quale sit, inter omnia regimina, optimum?

R. Inter omnia regimina optimum, est legitimum. Finis enim auctoritatis est sociorum unitas; unitas sociorum est a veritate; veritas, qua socii obligantur, est ratio ordinis, sive ius; ius autem movens voluntatem, est ipsa veritas in auctoritate; sed auctoritatis veritas est legitimitas: ergo legitimitas in regimine, est omnium optimum.

464. *Q.* Quot modis acquiratur, et amittatur auctoritas?

R. Auctoritas tribus praecipue modis, acquiritur; electione, haereditate, et iure victoriae. Si populus, aut concilium nationale, aut principis exteri ius, nominat regem, dicitur electio. Si alicui dinastae adnectitur politicae auctoritatis gradus, dicitur auctoritas haereditaria. Si denique ius praevaluit in bello iusto, et gentis victricis tranquillitas id expostulet, simul cum affinibus populis: tunc tertius acquisitionis modus habetur, qui dicitur auctoritas iure victoriae. Auctoritas autem amittitur abdicatione, dummodo sit ius alienabile; et alteri non officiat. Amittitur abusu, si potestas, quae esse debet in bonum, imponat res intrinsece malas. Malum enim, ius non imponit, sed destruit. Hinc, inter auctoritatem et societatem, exurgit iurium collisio; et ius auctoritatis suspenditur, illique non obtemperatur. Si autem princeps constanter auctoritate abutitur, aut est auctoritas conveniens, a qua dependeat, vel non. Si est, potest eum regno expoliare; ordo enim id requirit, et auctoritas, si est in malum, non est auctoritas. Si superior non est, populo nullum est ius eum expoliandi. Ageret enim contra ordinem societatis; et hanc exponeret revolutioni, quae est semper omnium malorum pessimum. Restat igitur, ut populus, orationibus ad aeternum regem, recurrat.

465. *Q.* Quid, circa potestatem legiferam, sit adnotandum?

R. Ius ferendi leges auctoritati competit; finis enim eius est movere subditos ad bonum commune; sed hic motus, nisi lege, non habetur; ergo auctoritati, ius leges ferendi, competit. Cum autem bona sit actio, qua, superior ad bonum commune

subditos movet, hinc est, quod perfectio legis, et ab actu, et a superiore, et a subditis repetenda est. Ex natura actus, lex honesta, utilis, et conveniens esse debet. Actus enim tum dicitur perfectus, cum efficaciter tendit ad suum finem; sed lex, actus principis, tum tendit efficaciter ad suum finem, si est honesta, utilis, et conveniens; finis enim legis est componere subditos ad bonum externum interno subordinatum. Sed, ad subditos bene componendos, debet esse conveniens, sive apta ad movendum socios secundum naturam: utilis, nempe talis ut bona externa largiat: honesta, ut bonum morale promoveat. Lex ergo, quoad actus naturam, debet esse conveniens, utilis, et honesta. Quoad superioris naturam, ex auctoritate suprema, et competenti, oritur lex perfecta. Ex auctoritate suprema; lex enim debet totam ordinare societatem: partium enim ordo, sensu absoluto, non esset ordo, si toto sociali non esset subordinatus; sed totum sociale nequit ordinari, nisi ab eo, qui totam habet ordinatricem facultatem: effectus enim non est sua causa maior. Ergo lex perfecta ex auctoritate suprema pendet. Hinc lex debet esse universalis, et haec universitas, etiam legislatorem, ut privatum civem, complectit. Deinde lex esse debet competens, sive ex auctoritate competenti. Namque auctoritas ordinans, quod ab ea non dependet iuridice, in hoc illi non est auctoritas vera, nec vim habet obligatoriam. Auctoritas enim est ius, et iuris vis est tota in ratione competenti, sive ordinanti, quod dependet secundum rationem. Hinc auctoritati civili nullum est ius, super actus internos, nec protarchia, deutarchiae iura interna invadere debet. Hinc confirmatur, ut maxime rationale, omnem deutarchiam legittimam, suo iure donari, subditos suos legem internam violantes, iudicare. Quoad subditos denique, legis perfectio expostulat, primo, ut lex sit clara; quia publicitas non urget subditos ad operandum, si claritate deficiat; etenim nuncium obscurum est indeterminatum, et indeterminatum nequit determinare; necessum est igitur, ut lex sit clara. Secundo, ut sit publica; o-

bligare enim debet omnium voluntates, praecipue per rationem iuridicam; sed ratio iuridica non movetur, nisi per imperantis notitiam: ergo omnibus debet notificari. Sed notitia omnis protarchiae communis est publica: ergo requiritur, ut lex sit publica. Tertio, ut debita sanctione fulciatur. Cum enim homo sit sensibilis naturaliter, et etiam sensibiliter debeat moveri, perspicuum est, praemium vel poenam esse necessariam, ad legis efficacitatem; sed praemium et poena, quae legi necessario connectitur, est sanctio; ergo sanctione lex efficitur perfecta, quia efficacior. Sed quoniam bene gerere negotia materialia, pertinet ad populum, politica, ad peritos gubernatores, moralia, ad sacerdotium; hinc est, quod ad bonas, et ex omni parte perfectas leges, legum propositio, democratica, deliberatio, aristocratica, adprobatio, ieratica, esse debet.

466. *Q.* Quid, de potestate executiva, sit observandum?

R. Auctoritas civilis, non tantum legislativa, sed etiam facultate executiva, pollere debet. Lex enim est universalis: universale indiget applicatione: applicatio non potest esse a subditis, quia sunt moti non motores: ergo ad auctoritatem spectat; ergo potestas executiva est necessaria. Id etiam empyrice comprobatur. Si enim lex publicaretur sine executione, esset quasi vana: multique eam violarent; et undique nutans esset societas. In quonam autem, executivae potestatis perfectio, est ponenda? In hoc, ut vi morali in voluntates dominetur, et vi physica, moveat corpora ad bonum. Vis moralis dicitur potestas iudiciaria; vis physica nominatur coactiva: prout bona regit, administrativa: prout personas moderatur, appellatur gubernium, quod, lato sensu, est etiam ad bene regendam societatem omnium potestatum complexus. Potestas igitur executiva, gubernio personas, administratione res, iudicibus ius individuis applicatum, militibus factum iuri respondens vi physica, obtinendum respicit.

467. *Q.* Utrum potestatum unitas, publicae securitati adversetur?

R. Potestatum unitas, publicae securitati non adversatur, ut somniavit Montesquieu, imo perbelle favet. Experientia enim constat multas esse familias, quae potestatum unitatem exercent, et bene se habent. Constat praeterea, multos fuisse principes et imperatores, quibus libenter populi se dederunt; et omnem securitatem pleno haustu delibarunt. Et ratio est, quia ibi est securitas, ubi omnium ius servari potest: sed omnis civis pacifice suis iuribus utitur, si imperans ea cognoscit, recte amat, fortiter protegit; ergo, aut dicendum est, potestatum unitati intelligentiam, rectitudinem, et vim absolute deesse, aut esse posse securitatem. Sed intelligentia et vis unita crescit; rectitudo potest tentari, non necessitari, imo, ut independens, potest esse iustior, et utilior. Ergo doctrina Montesquieu, in sua generalitate, falsitatem redolet. Restat igitur concludi, potestatum exercitium distinctum esse et divisum; quamquam originaria et suprema earumdem possessio, unitatem per maxime adhaecrescentem, compactamque expostulet.

468. *Q.* Quaenam sint officia inter subditos et auctoritatem?

R. Diximus finem societatis esse bonum commune externum omnium sociorum ad internum ordinatum, ultimoque fini subordinatum. Adigere autem socios ad hunc assequendum, est officium auctoritatis. Spectat igitur ad auctoritatem, subditorum iura vigentia protegere, eorumque usum facilem, et expeditum reddere; ordo enim socialis exigit, ut nullum ius sociale manifestum destruatur, imo omnium sociorum bona promoveantur. Ius et officium protegendi, vel est negativum, vel positivum; illud magis rigidum, hoc minus urgens, quia totam non habet evidentiam. Primum igitur auctoritatis officium est, subditorum subsistentiam, mediis externis, procurare, omnesque socios, ad vires adhibendas promovere, ut eam adipiscantur, praemiis, industrioribus favendo. Secundum est, sociorum honorem defendere ex natalium fortunaeque infortuniis, quae, ob publicum praeiudicium, innocentem dedecorare possunt,

quin tamen ius amittat, complicitates sociales puniendi, ad publicum societatis exemplum. Tertium est, legalibus munire praesidiis substantias, ita ut ius quod in societatibus deutarchicis oritur, firmissimam, etiam in morte, securitatem habeat, ordini congruentem, ex quo derivat. Quartum est, subditorum intellectum defendere, ita tamen ut libertate gaudeant socii a servitute tyrannidis, tum ex parte erroris et scandali, quam ex indebitae auctoritatis parte profluentis. Quintum est, studium bonorum moralium promovere, seu socios, ex sensibus ad rationem revocare, etiam motivis sensilibus adhibitis, superioris finis intuitu. Empyrice enim populos gubernare, est omnium permaximum infortunium. Sextum est, independentiam civilem servare, ut libere agant in propriis ditionibus, et ab aliis non dependeant, nisi in quantum hoc iubeat lex, inter populum et populum, universalis amoris. Denique septimum est, laesum ordinem instaurare, nocentes emendare, esse omnibus in exemplum. Quare poenae, reparatrices, medicinales, et exemplares, esse debent. Hinc a necessitate finis, necessitas poenae mensuratur; et etiam poena mortis, si ad finem socialem ducat et sit necessaria, uti potest sapiens gubernator. Subditi autem, erga auctoritatem tribus obligantur officiis, prout, vel cives separatos, vel totam societatem, vel auctoritatem, respiciunt. Civibus separatis, est habenda oris reverentia, amor animae, cordis obsequium. Erga totam societatem adhibenda est, ad bonum commune, sollicita cooperatio, eius augmenti, mediantibus iuribus, non violentiis, studiositas operosa; et ad patriam terram, christianorum affectio generosa. Denique auctoritatem tenentur subditi, propter dignitatis excellentiam, revereri; legibusque obedire, quae ab ipsa emanant. Nolle enim superiorum legibus obtemperare, est omnium absurdissimum. Quia, qui obedire detrectant, vel superiores, non esse superiores fingunt: vel inferioribus superiores subiicendos esse autumant: vel discordiam, esse societatis lucrum, et ornamentum, et vitam, per summam insaniam, praetendunt.

469. *Q.* Quaenam sint officia auctoritatis civilis erga religionem christianam?

R. Religio christiana, ut monstrant theologi, est societas cuius finis est spiritualis, cuius natura est divina, cuius praecepta sunt obligatoria, cuius auctoritas est immediate a Deo, cuius directio est infallibilis, cuius doctrina est una, universalis, certa, perpetua, sancta. His datis, in societate christiana, exurgit ius propagationis, possessionis, omniumque mediorum, quae ad finem sunt congruentia; auctoritatique civili gravia insunt officia reverentiae, observantiae, et etiam defensionis, maxime si de populo christiano agatur, et auctoritas sit christiana. Gaudet iure propagationis Ecclesia, quia verum habet, et infallibiliter docet; sed qui habet verum, et infallibiliter docet, ius habet ad propagationem; quia veritas est natura sua diffusiva, ipsaque homines indigent; ergo Ecclesiae, ius propagationis inest. Insuper, omnis societas moralis est in bonum, et ius habet se communicandi; sed officium hominis est veritati adhaerere, ipsamque diligere; ergo Ecclesia habet ius ad propagationem. Gaudet iure proprietatis; Ecclesia enim est societas ad bonum spirituale; ergo indiget mediis necessariis; sed finis spiritualis exigit media (ut nunc est homo) tum spiritualia, tum temporalia, tum animae, tum corporis; inter materialia autem est proprietas: ergo Ecclesia iure proprietatis fruitur. Si secus esset, Ecclesia a Deo missa, ut gentes congreget, ut praedicet, ut baptizet, ut omnia sacra faciat, inter persecutiones, a persecutoribus loca quibus adunare gentes, praedicare, sacra facere, petere deberet. Si autem persecutor media temporalia negaret, Ecclesiae nullum esset ius, eoque fungens, crimen committeret. Sed hoc est absurdum: ergo Ecclesia habet ius possidendi. Ad rem perbelle interrogat Aloysius Tapparelli: Nonne Ecclesia, hominibus constat? Nonne homines, ius habent possidendi? Nonne possessor, sua disponere potest? Multi possessores nonne iure fruuntur, in unum convenire ad bonum, spirituale, obligatorium? Huic societati, quis renuet suam au-

ctoritatem? Haec auctoritas non est ad finem? Ergo iudicium Ecclesiae est competens; ergo obligantur subditi; ergo Ecclesia ius habet ad necessaria a sociis expetenda: ergo Ecclesia naturaliter ius proprietatis habet (1). Sed si habet ius possidendi, habet etiam administrandi. Latrones igitur sunt, expoliatores bonorum Ecclesiae. Gaudet denique iure utendi omnibus mediis, suo fini convenientibus; namque omni enti inditum est ius vivendi, se evolvendi, iuxta propriam naturam, et ad suum finem, tendendi. Sed Ecclesia est ens vivum, visibile, sacrum, divinum: constat enim hominibus, et a Deo est instituta; ergo gaudet mediorum iure ad finem. Hinc ordines religiosi sunt colendi; hinc potestas legifera, executiva, iudiciaria, est Ecclesiae tribuenda: hinc denique principes et reges, exemplo suo et suorum, in subditos religionis sensus, fovere debent; tum quia servi sunt Christi, tum quia sunt in bonum ministri, tum quia sunt rectores populi, qui, regis ad exemplum, mores suos componere solet. Item debent principes, potestate uti, in praesidium religionis, quae est summum populi bonum, Ecclesiam liberam reddere, tum in electione Episcoporum, tum in iuventutis studiosae educatione. Secus se habentes, et munus pedagogicum, quasi rem suam, affectantes, meritissimas luent poenas, regiaque expulsi, dicere debebunt illud sapientiae: Per quae peccat quis, per haec et torquetur.

470. *Q.* Utrum Ecclesia catholica societatis civilis libertatem auferat?

R. Ecclesia non aufert, imo perficit societatis civilis libertatem. Non aufert primo, quia cuiuslibet societatis, tum domesticae, tum civilis, officium proprium est, independenter se regere, honesteque socios; sed si honeste se regunt, ius non est Ecclesiae, nec aliquid vetandi, nec quid imperandi, quoad facultates domesticas, et civiles; ergo propriam possident libertatem; ergo Ecclesia non aufert libertatem. Non aufert

(1) Diritto natur., vol. 2, dissert. VII, cap. 2, pag. 377.

secundo, quia si aliquando, aut per mentis errorem, aut per malam voluntatem eorum vi abuterentur, id non esset honestum, sed deordinatum; atqui, solum in hoc casu, Ecclesia auctoritatem impediret: ergo legitimam non tollit libertatem, sed malam; ergo Ecclesia non adversatur libertati civili. Non aufert tertio, quia propria voluntate et debito officio, homines fidem amplexi sunt: sed qui propria voluntate proprium officium iam debitum adimplet, nec minimum libertatis perdit: ergo servat: ergo Ecclesia libertati non officit. At non tantum servat, sed perficit. Perficit primo, quia libertatis operativae magna perfectio est ordinis conservatio; sed sola Ecclesia influit, ut ordinis transgressiones impediantur; ergo perficit libertatem. Perficit secundo, quia magna perfectio, tum societatis, tum principis, est subditos habere dociles, intima animi convinctione; sed nulla praeter Ecclesiam est institutio, quae animis subditorum, tum docilitatem, tum convinctionem inserere possit: semper enim mentem suadet, quia infallibilis, corda praepotentum facile flectit, tum patientiae doctrinis, tum praemiis, tum poenis; ergo perficit libertatem. Perficit tertio, quia magna perfectio subditorum libertatis est nullam habere coactionem nisi ex iure; sed ad hoc tantum cogit Ecclesia; ergo libertatem socialem perficit. Hinc clarissime liquet, separationem Ecclesiae a statu indebitam esse, et stultam: harmonice enim procedere debent, ut mater et filius. Liquet etiam, Ecclesiam a statu politico esse independentem, et liberam, eo modo, quo spiritus non pendet a corpore, aeternitas a tempore, coelum a terra. Denique liquet, nullas Ecclesiae conditiones ab hominibus imponi posse, quia homo Deo subest.

CAPUT IV.

DE VERITATE MORUM POLITICA, SIVE DE IURE INTERNATIONALI.

471. *Q.* Utrum ius gentium differat a iure naturali?

R. Ius internationale non differt substantialiter a iure naturali. Quamquam enim in gentium iure positivo, sicut in iure positivo ecclesiastico, et in iure civili publico et privato cuiusque gentis, multa legitime constitui possint; tamen ius gentium non differt a privato. Nam, ut a Deo est societas domestica, societas civilis, et religiosa; ita a Deo est familia gentium. Ut sine familia cessat propagatio et prolis educatio: ita sine gente nequit prosperare, nec religio, nec societas. Praeterea, ex lege communi, tales sunt singuli homines, quales fiunt regimine domestico; et tale est commune regimen familiarum, quale est civilis gentis regimen. Unde prorsus desipiunt philosophi, qui, admissa legis aeternae existentia, volunt datam esse privatis hominibus, familiis, non gentibus.

472. *Q.* Quaenam sint officia, tempore pacis, internationalia?

R. Officia inter nationes, tempore pacis, duo praecipue recensentur. Primum, bonum spirituale, alterum, temporale respicit. Quoad spiritualia bona, officium est gentium quaerere iustitiam, servare pacta, nec iura aliorum laedere. Hinc non modo sibi invicem debent exemplum pietatis, et regiminis vere christiani; sed tenentur de omnibus officiis charitatis fraternae, nominatim de mutua ope sibi praestanda, consiliis, monitis et armis, ubicumque opus fuerit ad veritatem, et iustitiam communem defendendam. Hinc videre est, quam sit absurdum, et contrarium non solum religioni, sed etiam iuri gentium, principium iuris novi de non *interventu*, vetans ne quis sucurrere audeat genti ab iniustis invasoribus oppressae; principium, quod a Summo Pontifice Pio IX vocatum fuit « perniciosum et funestum, ita ut quaedam veluti impunitas ac

» licentia impetendi, et diripiendi aliena iura, proprietates et » ditiones ipsas, contra divinas humanasque leges sanciri vi- » deatur; quemadmodum, luctuosa hac tempestate, cernimus » evenire » (1). Quoad bona temporalia, quae gentes sibi mutuo exoptare debent, et ad quorum tutelam mutuam, ex charitate tenentur, tria praecipue observanda sunt. Primum, ius cuique datum vivendi propriis legibus intra terminos suos. Secundum, ius locum sibi congruum tenendi, in legatorum reipublicae christianae consessu. Tertium, ius ineundi pacta et commercia, cum qualibet gente, absque aliarum detrimento. Haec iura, quae constituunt gentis vitam, sunt omnibus tum pusillis, tum magnis nationibus communia, quae diu iis pacifice usae sunt; nec possunt violari in una ex minimis, extra iustas causas, quin aliae, violationis poenam ferant; primum gens rea violationis, dein quae iniquitati, pro viribus, non obstiterunt.

473. *Q.* Quaenam sint iustae causae destituendi gentem, aut partim, aut in integrum, iuribus propriis?

R. Iustae causae, gentem propriis iuribus destituendi, nihil differunt a causis, propter quas pessimi cives merito civium iuribus excidunt. Ut ergo, unicuique societati ius est, infractores legis, violentosque libertatis alienae oppressores puniendi, coercendi, plectendi, bonorum iactura, extremo supplicio: ita gentium communitati ius denegari nequit, gentem iuris politici violatricem coercendi, eamque regimine proprio privandi. Quia vero in huiusmodi iudiciis aliquando violatur iustitia, impia praepotentium coitione, quibus placet terminos suos dilatare, minorum oppressione; istis superest, posteritatis et Christi iudicium appellare, qui patienter agit, sed non tardat promissionem suam, potentes tortores potenter torquendi in hoc saeculo. Oppressores vim et astutiam adhibuerunt, fovendo primum in populis confinibus factiones, eos deinde,

(1) In allocutione concistor. die vigesima octava septembris an. 1860.

obtentu pacis, occupando, dominando, lacerandoque; simili modo torqueantur et ipsi, usque ad restitutionem, sin ad mortem. Hinc non est mirum, si potentissima imperia olim latrociniis aucta, torqueri hodie, et periclitari conspicimus, indefessa hostium intestinorum cum exteris coniuratione. Caeterum, quidquid agant facinorosi populorum oppressores, tormentis non invenient finem, antequam scelera eluerint sua, dicentes: Merito haec patimur, quia peccavimus in gentem nostram, in fratres nostros, in amicos, in patrem; en sanguis eius exquiritur.

474. *Q.* Quaenam sint officia internationalia erga populos infideles?

R. Infideles populi, ut veniant ad veritatem, duobus praecipue indigent. Indigent viris apostolicis, audiendique et suscipiendi legem Dei, libertate. Cum autem haec haberi nequeant, sine mutua gentium fidelium cooperatione, dubium non est, quin earum rectores, de parte viribus suis congrua, in opere evangelizationis universalis, teneantur. Tenentur, ut ministri Dei in bonum omnium sociale. Tenentur, ut rectores populi, cui praesunt ad procurandam eius gloriam, et bonum, et mala vitanda. Teste enim historia, tales sunt gentes in familia Christi, quales se praebent in operibus veritatis. Et Deus, gentibus, propter praestitum veritati servitium, largiter iam in hoc saeculo, quod in futuro singulis hominibus evangelizantibus, congruenter retribuet. Multa enim dimittuntur peccata genti, quae, erga infideles populos, multam dilectionem demonstrat. Bene utenti talentis acceptis, talenta duplicantur; non utenti vero auferuntur accepta. Id etiam sponte fluit ab opere ipso. Lucrifaciendo enim animas Christo, gens valde commendatur, non solum proselytis, qui eam loco matris habent: verum etiam principibus ethnicis, qui revereri solent virtutem, nuntiorumque pectus vere apostolicum. Contra, populus unice sibi serviens inglorius erit, et pro quaesitis divitiis multa inveniet mala. Hinc habes, omnium Europae malorum causam primariam. Ex quo enim eius rectores, hoc officium spreverunt.

vires sibi datas ad bonum, nefarie converterunt in malum. Unice enim studentes, in amplificandis suis temporalibus ditionibus, populos iam ad bonum confoederatos, ad strages fraternas compulerunt, nec aliquando puduit Mahumetanos vocare ad christianitatem vastandam. Fratrum pugnas cumularunt parricidio, Roma tradita ferarum legionibus, quarum immanitas ipsis infidelibus horrorem incussit. Interim impietas Europam invadebat, ementito reformationis nomine, omnia sine fine et modo subversura. Atrocibus enim odiis, quibus diu exagitavit gentem christianam, mox coniuxit subversionem civilem, nomine libertatis politicae. Crudeli principum dominationi suffecit tyrannicam ordinum mediorum hodiernae aetatis, cessuram locum regno democratiae, cuius est, omnia civilitatis et progressus christiani diruere fundamenta. Quibus omnibus si adiiciantur naturae perturbationes, tempestatum interversio, exundatio fluviorum, pestilentes morbi in hominibus, in iumentis, in vineis, in frugibus, in commerciis, et negotiis, non immerito est concludendum, Europam, suis in Christum contumeliis, et in Ecclesiam iniuriis, et in Pontificem Summum ingratissima rebellione, ad illud devenisse praenuntiatum legis desertoribus in Deuteronomio: « Et erit vita tua » quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes » vitae tuae. Mane dices: Quis mihi det vesperum? Et vespere: » Quis mihi det mane » (1).

475. *Q.* Utrum bellum sit licitum inter gentes?

R. In hoc mundo parum prosunt iura armis destituta. Ut ergo privatis iuribus cuiusque gentis opus est gladio vindice, in eos, qui iura negant sibi nata; ita quoque iuri inter nationes. Deficiente autem, inter gentes nondum foederatas, gladio communi, cuius sit mutuas ulcisci iniurias, docet sana ratio ius inesse gentibus, paratas sibi iniurias, armis propulsandi, resarciendique illatas. Inde belli divisio in defensivum, quo con-

(1) Deuteron c. 28, v. 67.

tumelia repellitur: in offensivum, quo reparatur accepta. Utrumque licitum esse, debitis servatis conditionibus, nullus unquam genti negavit, si excipias Quacheros, et Manicheos. Bellum autem illud dicitur licitum, quod a gente suscipitur adversus aliam gentem, iusta et necessaria de causa, ex iussu aut saltem consensu supremi magistratus, et secundum regulas iuri gentium consonas. Diximus, iusta et necessaria de causa. Tanta enim mala bellum secum trahit, ut ex sola necessitate sit suscipiendum. Unde Augustinus: « Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate, et conservet in pace (1) ». Diximus secundo, ex iussu, aut saltem consensu summi magistratus: ad eum enim, qui curam habet societatis, necessario pertinet ius belli et pacis; ergo prohibitum est bellum offensivum initiare, principe inconsulto. Diximus tertio, secundum regulas iuri gentium consonas, quarum praecipua est, ut nemo bellum offensivum inchoet, nisi facta prius denuntiatione parti adversae, ad satisfactionem habendam. Ex dictis prospicitur, iustam belli, sive offensivi, sive defensivi, causam, semper esse defensionem, vel restitutionem iustitiae, ideoque pacis: siquidem cum inter privatos, cum inter nationes, est opus iustitiae pax.

476. *Q.* Utrum ad bellum inferendum possessori certo, et bonae fidei, sufficiat ius probabile ad rem?

R. Non sufficit ius probabile: quia motor bellicosae litis, discrimini indefinito obiicit multorum vitam, et innumera bona pacis, in sua ditione et in adversa. Quod si faciat cum iure simpliciter probabili, ideoque dubio, notam inhumanitatis, coram Deo et hominibus, non effugiet. Unde, ad iustam belli indictionem, requiritur ius multo probabilius iure possidentis. Hoc tamen in casu, possessor certus, et bonae fidei retinet ius suam propugnandi possessionem armis, ni aliquando prudentia, aliquam transactionem, suadeat.

(1) Ad Bonif. Epist. 189.

477. *Q.* Quaenam sint officia gentium, tempore belli?

R. Ne more belluarum, unde belli nomen derivatum putat Festus, christianae gentes belligerent, memores sint etiam, intra praelia, praecepto charitatis se ligari, eaque sola licere, quae ad belli finem ordinantur. Belli autem offensivi finis est, populum gravis iniuriae reum cogere ad satisfactionem, et exinde ad pacem. Quidquid eo conducit, nec aliunde, ut intrinsece malum, sit prohibitum, licitum est. Sic licet, hostem tamquam furiosum armis subigere, spoliare iis in quibus confidit, caedere eius exercitum, nisi posset exarmari vel captivari, munitiones obsidere, diruere domos, etiam cum periculo innoxios perimendi, tributis gravare provincias, quantum sufficiat ad belli expensas, donec hostis debilitatus praestet pignora satisfactionis. Attamen hosti non sunt infligenda mala ex odio, sed tamquam remedia, ad pacem habendam, necessaria. Hinc temperandum est a nimia saevitie, a caedibus inutilibus, ab incendiis, vastationibus, exactionibus supervacuis. Hinc soli militantes, vel militantibus operam praestantes non inviti, habendi sunt pro hostibus, licite in pugna occidendis. Uxoribus autem innoxiis, infantibus, senibus, clericis, vulneratis inermibus, arma deponentibus, petentibusque levamina, parcendum est. Vita enim, libertas, honor, bona innocentium sunt sacra. Sed saeva saevis sunt compensanda. — Verissimum: sed non nefaria nefariis. Hinc licitum non est, interimere captivos sub conditione deditos, nec violatae fidei reos: violare reverentiam nuntiis debitam: promissas frangere inducias ab hoste servatas: veneno cibaria inficere, aquas, arma; submittere sicarios, veneficos, ad hostium duces, vel tales emere pretio. Divina enim regula est christianorum: Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

478. *Q.* Utrum liceat praemiis, milites adversos ad proditionem et desertionem, sollicitare?

R. Circa hanc quaestionem, distinguendum est inter proditionem, et desertionem. Proditio enim semper mala est; ideo

nemo est ad eam directe sollicitandus; et simplices desertores si callide possunt interrogari de inimicorum arcanis, poenis tamen vel praemiis, eos ad revelanda adigi, infame est. Sed item non accidit de desertione; nam desertio, in bello iniusto, non est aliud quam cessatio a latrociniis: unde non videmus, cur tali bello oppressis non liceret iniqui hostis copias ad desertionem provocare, easque fundere auro, potius quam ferro. Caeterum, quoad officia belligerantium definienda, naturae belli semper habenda est ratio. Quaedam enim licent iniuste oppressis, quae oppressoribus sunt omnino prohibita. Item est de conditionibus pacis. Si enim agatur de gente inquieta, perfida, et finitimis populis periculosa, tunc durius erit procedendum, non tamen exterminio totius populi, ut olim gentiles, et barbari solebant vastatores: sed perturbantium depositione, novique regiminis institutione, sub qua, salva sit bonis integritas iurium civilium, quibus, semper nefas est gentem christianam, destituere (1).

479. *Q.* Quaenam sit origo, finis, auctoritas, et organismus societatis gentium?

R. Ethnarchia, sive plurium societatum unitas, est a natura. Omnis enim natio, natura sua, tendit ad amplitudinem maiorem, tum numeri, tum spatii; ergo, in spatio universi limitato, ad aliarum contactum: ergo ad ethnarchiam. Secunda ratio est, quia omnis natio ad suam perfectionem tendit; perfectio societatis est etiam in numero, et in commercio; sed in commercio et in numero, exurgunt relationes, tum gratitudinis tum affectionis; gratitudo et affectio dicit contactum; contactus societatem; ergo omnis societas ad ethnarchiam vocatur. Tertia ratio est, quia veritas et bonitas sunt per se diffusivae; diffusio autem in casu nostro est obligatoria; obligatio dicit, inter beneficiis affectum et benefacientem, contactum reciprocum: ergo societatem: ergo ethnarchiam universaliorem.

(1) Confer. Martinet in Theol. Moral. vol. 3.

Ex his principiis fluescit hanc societatem ethnarchicam, a societatibus independentibus, quam maxime differre. Societas enim gentium est protarchia hypotatica, cuius deutarchiae sunt nationes. Societas igitur gentium, eo modo, se habet ad nationes, quo natio, ad cives et familias. Bonum autem nationis est bene esse, et perficere operationes, scilicet, independentiam servare, et ordinem politicum bonis decorare. Ergo finis societatis gentium est securitas nationum, earum independentia, iuriumque singulorum protectio. Sed si claret finis, obscura non est auctoritas. Quia omnis societas, opus est, ut habeat auctoritatem. Creator enim, et omnium gentium conservator, Deus, ordinem vult, et perfectionem iubet; sed ordo exigit ordinatorem, perfectio socialis dicit operantium harmoniam; ad hoc requiritur auctoritas; ergo in ethnarchia auctoritas est. Quae auctoritas confirmatur ex eo, quod est ius gentium; si est ius, est lex; si est lex, est legislator; ergo auctoritas ethnarchica. Sed unde erit determinatio huius auctoritatis? Ex sociis consentientibus. Societas enim ethnarchica est voluntaria; sed in voluntariis, natura non determinat praeminentiam; ergo nulla est auctoritas determinata. Attamen auctoritas est necessaria. Erit ergo causa socians, auctoritatis determinatrix; sed causa socians et determinans, est consensus: ergo consensus determinet auctoritatem. Sed auctoritas vel est monarchica, vel polyarchica; ergo auctoritas gentium erit, vel monarchia, vel polyarchia. Restat denique, ut aliquid de organismo dicamus. Nationes enim sub ethnarchia sociae, et quasi sorores, sensim sine sensu, ad unitatem efficaciamque suorum iurium, tendere debent. Hinc organismo indigent congruenti. Et ratio est, quia si omnis natio independens, ut ordinem habeat civicum, tenetur ad suam politicam constitutionem, videlicet tres potestates, legiferam, executivam, et iudiciariam habere; hoc ethnarchia agere debet, ut ordinem internationalem assequatur. Organismus igitur ethnarchiae triplex esse debet, idest, legislativus, executivus, et iudiciarius. — Sed hoc omne,

est ideale. — Certe: ast ex ideis oritur realitas; quae si esset, omnia iura florerent, omnes parvae societates bonis cumularentur, praepotentes non opprimerent inermes; non amplius bella: non populorum expoliationes: non caedes urbium: militia populos non devoraret: tranquillitas ordinis regnaret ubique, scilicet pax. Concedat hoc Deus generi humano tantis lacerato malis.

Hoc precor, hunc illum, nobis aurora, nitentem
Luciferum roseis, candida, portet equis.

480. *Q.* Utrum, inter ethnarchiam et christianam religionem, sit relatio?

R. Inter ius gentium et Evangelium est relatio, et connexio tam essentialis, ut sine principiis catholicis, ethnarchia esse nequeat. Et ratio est, quia societas, quo crescit numero, eo magis indiget perfectione maiori; ideoque perfectissima evadit: sine enim mediis convenientibus nequit vivere; sed haec perfectio necessaria nequit moraliter haberi, nisi in societate catholica; ergo societas gentium, sine Ecclesia, esse nequit. Maior probatur sic, ex facto. Rudes enim societates non crescunt; et vastissima imperia tum magni Alexandri, tum Iulii Caesaris, quamquam multitudines populorum in unum conflavissent, violenta illa corporum coacervatio, toto coelo, distabat a spontanea animarum conglutinatione, quam christiana societas producit. Hinc nulla fraternitas religiosa, nullus omnium gentium coetus socialiter universalis. Probatur etiam metaphysice; quia, ad vastam gentium unitatem socialem efficiendam, requiritur summa veri perspicuitas; solum enim verum mentes unit: nulla falsitas: duo enim intellectus discordes, sunt divisionis elementa, eo magis perniciosa, quo maioris momenti sunt subiecta, de quibus fertur opinio; et rationes, quas proferunt, iudicantur, creduntur que veraciores. Requiritur fortissima voluntatum educatio; voluntates enim indomitae, vastum gubernium impossibile reddunt. Requiritur denique ma-

gna organismi vis, quae individuos in unum colligat. Sed hoc triplex incrementum, socialem perfectionem constituit; ergo maxime unitati, scilicet ethnarchiae, requiritur summa perfectio socialis; sed haec summa perfectio, diximus in minori, non est moraliter possibilis, nisi in Ecclesia catholica. Princeps enim terrenus, veri infallibilitate carens, nec mentem, nec animam replet. Ecclesia autem, in rebus magis necessariis, intellectus adhaerentes rapit. Etenim in hac, omnia solvuntur problemata: in hac omnia clarificantur officia: in hac omnes vitae aeternae spes eriguntur: in hac omnia momentosa negotia substentantur: omnia iura civilia defenduntur, omnes conscientiae latebrae illuminantur. Nec solum intellectus, sed etiam voluntates rapit christiana religio. Fortiter enim, suis mediis, tum in multitudines, tum in principes dominatur. Dominatur rectitudine, dominatur exemplis, dominatur patientia, dominatur factis, dominatur interne, dominatur externe; principes et populi, una fide, una lege, propter religionem coniuncti sunt. Unde Doctorum aquila maximus Augustinus, Ecclesiam Catholicam, sine qua religio Christi est magni nominis umbra, ita alloquebatur, singulas demonstrationis nostrae partes recensens: « Merito Ecclesia catholica, mater christianorum verissima, non solum ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissime atque castissime colendum praedicas, nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui servire iubeamur, sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, ut variorum morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud te medicina praepolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu foeminas viris suis, non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem, et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera

» quadam servitute subiungis, parentes filiis pia dominatione
» praeponis. Tu fratribus fratres religionis vinculo firmiore at-
» que arctiore, quam sanguinis, nectis. Tu omnem generis pro-
» pinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae
» voluntatisque nexibus, mutua charitate constringis. Tu do-
» minis servos, non tam conditionis necessitate, quam officii
» delectatione doces adhaerere. Tu dominos servis, summi
» Dei, communis Domini consideratione, placabiles, et ad con-
» sulendum quam coercendum propensiores facis. Tu cives ci-
» vibus, gentes gentibus, et prorsus homines, primorum paren-
» tum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam
» fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis; mo-
» nes populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, qui-
» bus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus con-
» solatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disci-
» plina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo doces;
» ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus
» charitas, et nulli debeatur iniuria » (1). Restat igitur concludendum, perfectionem ethnarchiae non esse, nec esse posse, extra Ecclesiam vivi Dei; quia absque ipsa, nec unitas mentium, nec voluntatum educatio, nec organismi vinculum, nec officiorum efficacitas, datur. Sed est et altera ratio. Religio enim catholica est una; sed unitas Religionis constituit, inter homines, societatem. Nam conspiratio multorum ad finem communem cognitum et volitum, est societas; omniumque hominum operatio ordinata ad finem a Creatore volitum, erit generis humani societas, et societas universalis. Omnis enim homo, ad religionis officiorum executionem, in vera Ecclesia, tenetur: ergo ethnarchia, extra Ecclesiam, esse nequit. Tertia ratio est, quia unitas gentium naturalis, unitatem iudicii in veris, unitatem voluntatis in rectis, unitatem organismi in operibus exigit: sed haec triplex unitas, extra Ecclesiam, esse

(1) De moralit. Eccl. cathol. lib. I, cap. 30.

nequit; ergo aut nulla ethnarchia, aut erit catholica. Probatur minor, in triplici suo respectu, hoc modo. Unitas veritatis nequit haberi, nisi aut evidentia naturali, aut auctoritate infallibili; sed societas naturalis caret utraque; ergo, extra Ecclesiam, ethnarchia est moraliter impossibilis. Unitas in rectis, potest esse tantum ab auctoritate, quae inviolabiliter eam sustineat; sed auctoritas, in societate humana, ad excessum tendit; habet enim passiones ad malum, et nullum fraenum, quia in ethnarchia naturali nullus est superior; hinc et in ethnarchia naturali, religiosa nulla veri evidentia, nulla recti inviolabilitas, nulla vis ad resistentiam, nullus organismus undique a Deo constitutus, et usque ad finem saeculi divinitus securus, nec unus, nec sanctus, nec universalis; ergo ethnarchia, extra Ecclesiam, esse nequit.

481. *Q.* Quaenam erit forma auctoritatis ethnarchicae?

R. Forma ethnarchicae auctoritatis erit polyarchico-monarchica. Erit polyarchica, quia nationum iura temporalia sunt independentia in Ecclesia; unde nationes aequalitatem naturalem servant; sed, inter aequales, auctoritas exurgit poliarchica, et hoc eo magis, quo nulla indiget aliis. Ergo auctoritas ethnarchiae christianae erit polyarchica. Hoc tamen nil impedit, quominus in Pontifice Maximo, maxima, internationalis auctoritatis, pars collocetur. Cum enim eius determinatio a sociorum consensu pendeat, et auctoritas naturaliter tendat eo esse, quo maior est capacitas ad bonum sociale promovendum, oppido liquet, quod si talis capacitas sit in Pontifice, in hoc, gentium auctoritas sit ponenda. Ast in Pontifice Summo, magis quam in alio quocumque, emicat talis habilitas. In Pontifice enim maximo, unitatis catholicae centro, tum fidei, tum legis, tum hierarchiae, paucis verbis, totius religionis principium conservativum, reperitur. In Religione autem catholica, ut vidimus, est causa essendi ethnarchiae: ergo Pontifex Maximus est conservator unice capax existentiae ethnarchicae. Insuper praeter existentiam, maximum cuiuscumque societatis bonum est,

iuris cognitio, iustitiaeque conservatio: sed id in societate christiana declaratur, defenditurque ab Ecclesia, ideoque a Summo Pontifice, qui est omnium caput: ergo Pontifex, ethnarchicae superioritatis, inter omnes capacissimus est. Denique unusquisque propendit magis duci ab eo, qui, cum capacitate et mediis, vim non habet ad violandum ius, quam ab eo, qui vi armata fruitur potentiam iuris socialis opprimendi; sed inter nationes, debiliores ad ordinandum influentiam non habent, fortiores viribus abuti possunt; e contra, in Pontifice influentia et vis moralis est maxima, sed vis armata quasi nulla; et, ut summa auctoritas spiritualis, ut sacerdos, ut senex, minus ad iura violanda, est dispositus; ergo capacior: ergo, iure naturali, gentes civiles, ni sophismatibus incredulorum aut passionibus politicis sint irretitae, semper, in Petri successore, auctoritatem ethnarchicam, collocabunt. Sed, hac nostra tempestate, constabilire mediae aetatis theocratiam religiosam, est somniantium ridiculum deliramentum. — Esset quidem, si quaedam minus propria spiritus christiani, et praesentis civilitatis, utputa Pontifices; gladio materiali, pugnantes, populi ad tumultuationem excitati constituerentur. Esset etiam, si pro praesenti tempore, regnum intelligitur impietatis, tum incredulae, tum haereticae, tum rationalisticae; sed nunquam fuit, nunquam delirium erit, agere, ut ius ab Ecclesia declaratum imperet super vim brutalem, et verae civilitatis, verique progressus salutaris influxus, super mala tempora, et homines obcaecatos, se expandat. Etenim si verus progressus a recto vivae auctoritatis regimine pendet, et, in victoria iuris super vim materialem, consistit; quo magis bonis exornatur progressus socialis, eo melius exurgit Pontificiae auctoritatis necessitas politica; nec ad longum tempus, incredulitatis impiissimi duces, naturalem, tum humanae, tum socialis rationis, cursum retardare poterunt.

Sed sit finis christianae philosophiae Breviloquio; et si cui aliter videtur, et fortassis melius, in rebus philosophicis evol-

vendis, non invideo. Sed hoc rogo, ut si quis, aliquid in hac opella invenerit adprobatione dignum, agat gratias Deo omnium bonorum largitori. In aliis vero locis, ut invenerit vel falsum, vel dubium, vel obscurum, scribentis insufficientiae benigne indulgeat, qui absque dubio, teste conscientia, vera, aperta et communia, dicere concupivit. Quidquid enim sit de verbis, quae foliis comparantur, hoc summopere attendendum, et inquisitione qualibet observandum, ne quis adeo laetetur in sententia oris sui, sicque ei inhaereat, ut oris alieni verba despiciat, aspiciens ea, oculo minus sano, et sic per tumorem et livorem sibi veritatis aditum praecludat; et de numero horum sit, de quibus dicit Apostolus: Quod semper sunt discentes, nunquam ad scientiam veritatis pervenientes; quod Deus avertat ab omnibus veritatis inquisitoribus. Hanc autem veritatem infatigabiliter quaerere, infallibiliter invenire, inamissibiliter apprehendere, et tenere, concedat nobis ille, qui est Via, Veritas et Vita; qui cum Patre et Spiritu Sancto unus existens in essentia, et ab eis distinctus in persona, hominem rectum fecit, qui se infinitis quaestionibus immiscuit, secundum quod, series manifestat trium praecedentium partium philosophiae; Cui est omnis honor, gloria, laus, et imperium per infinita saeculorum saecula. Amen.

BREVILOQUII CHRISTIANAE PHILOSOPHIAE FINIS.

APPENDIX

DE DISPUTATIONE SCHOLASTICA

CIRCA MODUM DISPUTANDI ANIMADVERSIONES

Disputationes scholasticae semper apud Nostros maximi habitae sunt. His enim arguendi exercitationibus, mens illuminatur, ingenium acuitur, habitusque ratiocinandi formatur, regitur, perficitur, et, quam maxime longius fieri potest, provehitur. His disputationibus, iam comprehensa ad mentem revocantur, non comprehensa melius clariusque apprehenduntur et intelliguntur. His, parva multorum capacitas et imbecillitas, qui vix duarum, vel trium idearum coniunctionem percipere queunt, saepissime perspicaces evadunt, ut plurimas assequantur. His denique, perspicacitas roboratur, excitatur attentio, allucinationes cognoscuntur, ambiguitates profligantur, iuvenumque profectus manifestatur, et diligentia, et studium.

Quae autem optime regere debent disputationes haec sunt, quae tres amplectuntur personas, tum Lectoris, tum Defendentis, cum Arguentis. Lectoris igitur munus erit Defendentem iuvare, si deficiat in responsione, corrigere si erret, illuminare si ignoret; et si aliquando propter vocum inopiam, vel aliquam similem causam, in Defendentis responsionibus aliqua confusio, vel obscuritas apparere videatur, debet Magister pro viribus, ipsam, claritate brevitateque possibili, effugare. Similiter si Defendens interrogatus fuerit de aliquo, vel circa aliquod, quod quidem transgrediatur debilem ipsius facultatem, statim philosophiae Lector debet responsum prae-

bere, ostendendo, hoc defendentis capacitatem, statum, aut ingenium transilire.

Defendentis autem officium primum est, statum quaestionis disputandae cognoscere, suam sententiam rationibus probare, ambiguitates auferre. Munus est etiam ipsius, argumentationem attente perscrutare, accurate intelligere, secum in mente rapide evolvere; deinque integram clare repetere, lente procedendo ad singulas praemissas expendendas, concedendo propositionem, quae dignoscitur vera: negando propositionem, quae dignoscitur falsa: omittendo propositionem, si nihil ad sensum, vel thesim propositam, conferat: distinguendo, si duplicem ferat sensum, aut veritatis affirmatione, aut negatione falsitatis. Si autem aliquando ab auctoritate argumentum sumatur, ad Defendentem dicere pertinet: admitto, vel explico auctoritatem. Item si argumentum sumatur ab exemplo respondeat: nego paritatem, vel aliter iuxta paritatis sensum. Denique si aliquid supponatur tamquam certum in aliqua propositione, quod quidem sit falsum; Defendentis est negare suppositum, vel maioris, vel minoris, nisi forte, aliis verbis, respondere possit, quod melius erit; quia communiter non bene recipitur ab Argumentante, quod taliter sibi respondeatur. Nec minus urbano modo procedendum est, in negationibus refellendis, et subsumptis evolvendis. Illud enim verbum: *Nego*, est durum, ut durum est dicere: *Nihil* valet tua paritas, tua auctoritas, tua similitudo. Hisce in casibus, Religiosus charitate, et urbanitate imbutus, dicat: *Faveas probare*, peritiamque Arguentis laudet.

Denique Arguentis munus est, inutiles ambages omittere, reverenter petere explanationes, si sint necessariae, supervacaneis verbis non contendere, varietatem, seu mutationem mediorum fugere, suum unicum argumentum fideliter prosequi. Insuper Arguens ita se gerat, ut, non contradicendi libidine, nec superandi studio: sed ingenuo solum veritatis excolendae desiderio, moveatur. Abstineatur igitur a conviciis, a morda-

citate, a verbis inurbanis, quae non solum Religiosum, sed sapientiae amatores saeculares dedecent, ut advertit Cicero, ubi ait: « Maledicta, contumeliae, contentiones, concertationes» que in disputando pertinaces, indigna mihi philosophiae vi» deri solent ».

Caeterum, haec exercitia a nobis divulgantur, tum propter Lectores, tum Defendentes, tum Arguentes. Lectoribus enim, propter ista, facile erit opportuna occasio latius explicandi demonstrationes, accuratius enucleandi argumenta complexa, diligentiusque explanandi res difficiles, et ad mediocrium etiam mentem afferendi. Arguentibus autem, et Defendentibus, non minus haec exercitia proderunt. Obiectionibus enim bene perpensis, fortiter ventilatis, sedule attenteque discussis, validiores quam maxime, et strenui erunt, in detegendis falsarum opinionum secretis, in ostendendis stultorum sophistarum fallaciis, in denudandis ridiculae doctrinae praeoccupationibus, in cognoscendis parvulorum sophismatum viribus, in perfringendis blasphemantium hominum conatibus, in exsufflandis vanissimis delirantium chimeris, in pervincendis levissimis roboantis garrulitatis strepitibus, necnon in excolendis veris philosophiae principiis, in defensandis rationis veritatibus, in omnibus erroribus facile profligandis. Sed haec omnia, et alia huc spectantia, magis continuis exercitationibus patefient.

EXERCITIA

DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE SUPER PROEMIUM.

1.

Philosophia non est scientia, ergo falsa tua thesis.

Prob. 1. Scientia non est de concretis, sed abstractis; at philosophia est de concretis; ergo philosophia non est scientia.

2. Homo, Deus, mundus sunt realia: sed realia sunt concreta: ergo etc.

3. Quod existit est reale, et inde concretum: ergo etc.

4. Simplex apprehensio est prima cognitio: sed cognitio respicit obiectum, obiectum est reale; ergo etc.

2.

Philosophia non est utilis, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Non est utile, quod non est ad finem; sed philosophia non est ad finem: ergo philosophia non est utilis.

2. Speculationi non prodest, quod confundit: sed philosophia confundit: ergo etc.

3. Exitialis ad mores est dubitatio: sed philosophia dubitationem inducit, ergo etc.

4. Inutile est, quod inutiliter facit deterere tempus: sed talis est scientia philosophica, ergo etc.

5. Qui incredulis arma praebet, non iuvat religioni: sed philosophia arma praebet incredulis, ergo etc.

EXERCITIA

DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE SUPER LOGICAM.

1.

Logica non est scientia, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Modus sciendi non est scientia; sed Logica est modus sciendi: ergo Logica non est scientia.

2. Scientia versari debet circa materiam determinatam; sed Logica non est materia determinata: quia de pluribus, imo de omnibus agit, ergo etc.

3. Logicae non conveniunt conditiones scientiae: ergo etc.

4. Logica non est de obiecto necessario, sed de contingenti: atqui de contingentibus non datur scientia; ergo etc.

2.

Conscientia non est criterium veritatis, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Ubi est dubium, ibi nulla certitudo; sed in conscientia est dubium: ergo etc.

2. Dubitamus utrum odio, vel affectione moveamur: ergo etc.

3. Conscientia somniantibus et amentibus testatur, se multa videre et audire, quae non existunt: ergo etc.

3.

Sensus externus nequit esse veritatis criterium, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Dormientes aeque ac vigilantes, corpora percipere putant, quae realiter non sunt: ergo etc.

2. Saepe sensus nos fallunt: ergo tamquam veritatis criterium assignari nequeunt: ergo etc.

4.

Ratio inductiva non est via ad verum, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Inductio est de aliquo particulari: sed de particularibus non datur scientia: ergo nulla est certitudo inductiva.

2. Certitudo perfecta non invenitur nisi in iis, quorum oppositum est impossibile: atqui fieri potest, ut id eveniat, quod naturae adversatur legibus; ergo certitudo rationis inductivae non est perfecta.

5.

Memoria non est criterium veritatis, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod decipit non est veritatis criterium: sed memoria decipit: ergo etc.

2. Ni memoria deciperet, de omnibus apprehensis recordaremur: sed hoc est impossibile, ergo etc.

3. Scientia debet versari circa determinatum: sed memoria, prout respicit praeterita, est quid indeterminatum, ergo etc.

6.

Sensus communis non est criterium veritatis, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Consuetudines populorum, et opiniones sapientum saepe sibi adversantur; sed in certaminibus idearum, non est certitudo; ergo sensus communis non est criterium veritatis.

2. Veritas refertur ad subiectum; sed subiectum est instabile: ergo et instabilis veritas.

3. Quod non stat firmum, est opinio: opinio non parit certitudinem: ergo de veritate certi esse non possumus.

4. Nil est certum sine demonstratione: sed demonstratio indiget propositione: propositio non demonstrat: ergo nihil certe scire possumus.

EXERCITIA

DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE SUPER METHAPHYSICAM GENERALEM.

1.

Deus potest facere impossibile, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus potest facere, supra quam possumus intelligere: ergo etc.

2. Deus potest facere, quod sermo docentis significare potest: ergo etc.

3. Deus de trunco potest facere vitulum: ergo etc.

4. Deus de non ente facit ens: ergo de uno ente potest facere aliud: ergo etc.

2.

Deus non cognoscit negationes, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Omne nobilius Deo est attribuendum; sed quaedam melius est nescire, quam scire: ergo etc.

2. Intellectus noster non intelligit singularia: ergo multo minus divinus.

3. Deus dicitur omnisciens et omnipotens: sed potentia mali non est a Deo: ergo nec scientia.

3.

Nulla est essentiarum cognitio, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Essentia est inexcogitabilis: sed quod est inexcogitabile, non est cognoscibile; ergo etc.

2. Quidditas rei est menti impervia: ergo etc.

3. Quidditatis cognitio importat cognitionem perfectissimam: sed haec non est in homine: ergo etc.

4.

Nullum est discrimen inter causam et principium, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Causa dicit initium aeque ac principium: ergo causa et principium sunt unum et idem.

2. Causa est aliquid efficiens, et aliquid efficiens est principium: ergo etc.

3. Idem est dicere ex effectu, tu mihi es principium, tu mihi causa; et hoc sonat idem, ergo etc.

5.

Effectus est sine causa, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Effectus dicit aliquid distinctum: ergo etc.

2. Effectus dicit quid activum: sed activitas est a se: ergo etc.

3. Effectus vivit: sed vita est a se: ergo etc.

6.

Nullis rebus creatis inest vis agendi, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Res creata est in potentia: ergo etc.

2. Solus actus primus habet vim agendi: ergo etc.

3. Si res creatae haberent vim agendi, essent a Deo independentes: sed hoc absurdum: ergo etc.

7.

Deus non influit in omnem creaturae actionem, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Omnis creatura est activa: ergo etc.

2. Sunt actiones malae: sed Deus in malum non potest: ergo etc.

3. Homo est libertate praeditus; sed libertas dicit electio-

nem; electio dicit propriam vim; ergo non vim divinam; ergo Deus etc.

4. Homo saepe fallit: sed Deus est falli nescius: ergo etc.

8.

Accidentia nequeunt existere sine substantiis, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Accidens dicit aliquid relativum necessarium: ergo etc.

2. Accidens est id, quod non est sine substantia: ergo etc.

3. Accidens nihil est, sine subiecto: ergo etc.

4. Si stat accidens sine substantia, vana est omnis cognitio: sed hoc absurdum: ergo etc.

9.

Spiritus non sunt in loco, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Incorporeum non est in loco: sed Angeli sunt incorporei: ergo non sunt in loco.

2. Locus ad locatum dicit contactum: sed contactus spiritibus repugnat: ergo etc.

3. Locus dicit influentiam super locatum: sed non est influentia corporis super spiritum: ergo etc.

4. Locus dicit potentiam super locatum: sed corpus non potest super spiritum: ergo etc.

5. Omne locatum dicit pondus ad locum: sed spiritus non habent pondus: ergo etc.

10.

Nulla est unitas privationis, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Unitas privationis dicit simplicitatem in anima: sed anima variis praedita est potentiis: ergo etc.

2. Anima cogitat tempus praesens, transactum, et futurum: sed haec, composita sunt: ergo etc.

3. Simplicitas rei creatae dicit initium: initium dicit exitum: exitus compositionem; ergo etc.

11.

Ab uno nequeunt esse multa, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Unum est summe simplex: sed simplex excludit multitudinem: ergo etc.

2. Multitudo dicit compositionem: ergo etc.

3. Unum dicit aliquid a se, individuum: individuum excludit multitudinem; ergo ab uno nequeunt esse multa.

12.

In rebus est falsitas, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Imperfectio dicit falsitatem: sed res sunt imperfectae: ergo in rebus est falsitas.

2. Defectus dicit falsitatem, sed res sunt defectivae: ergo etc.

3. Saepe falsitas est in labiis hominum: ergo in rebus adinvenitur falsitas.

13.

Malum non fundatur in bono, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Arbor bona non potest fructus malos facere: ergo etc.

2. Cuius causa bona est, ipsum quod venit a causa est bonum: sed malum non potest esse bonum: ergo etc.

3. Contrariorum contrariae sunt causae: sed bonum et malum sunt contraria: ergo malum in malo fundatur: ergo etc.

14.

Permissio mali detrahit summo bono, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Malum iniuriat permittenti: ergo etc.

2. Qui non vetat, vetare cum possit, iubet: ergo etc.

3. Blasphemia est malum: sed Deus non impedit blasphemiam: ergo vult malum.

4. Ex malo oritur damnatio: damnatio non impedita, pugnat cum divina bonitate: ergo etc.

15.

Omnium aevi aeternorum est unum aevum,
ergo falsa tua thesis.

P. 1. Sicut se habet tempus ad temporalia, ita aevum ad aevi aeterna; sed tempus est unum: ergo unum est aevum.

2. Maior est varietas in mutabilibus, quam in immutabilibus; ergo si in mutabilibus unica est mensura, hoc et etiam est aevi aeterni.

16.

Inter aevum et tempus est aliud mensurans,
ergo falsa tua thesis.

P. 1. Inter aevum et tempus, sunt principia et temporis et aevi: ergo etc.

2. Tempus mensurat motum, aevi aeternum mensurat spiritus: sed inter motum et spiritus est principium regens utrumque: ergo etc.

3. Inter tempus et aevi aeternum sunt saecula: ergo etc.

EXERCITIA
DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE SUPER COSMOLOGIAM.

1.

Inter Deum et mundum nulla est distinctio,
ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus est substantia, quae omnia amplectit: ergo etc.

2. Causa est in effectu, et effectus in causa: ergo etc.

3. Deus est necessarius: ergo necessitate agit; ergo effectus necessarius; ergo effectus in causa, et causa in effectu: ergo etc.

2.

Creatio non est mutatio in re creata, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Mutari est se aliter habere nunc, quam prius: atqui quod creatur, non se habet aliter nunc, quam prius: ergo etc.

2. Quod non fuit aliquo modo, aliter non se habuit: sed

creatio non fuit prius aliquo modo: ergo non se habuit aliter postea: ergo etc.

3. Omnis mutatio est perfectio entis in potentia: sed creatio nil supponit: ergo creatio non est mutatio etc.

4. Omnis mutatio fundatur super aliquid: sed aliquid non fuit in creatione: ergo etc.

3.

Inter Creatorem et creaturam est medium.

P. 1. Sicut se habet generari ad generatum, et fieri ad factum: ita creari ad creatum; sed fieri est medium inter facientem et factum: ergo creari est medium inter Creatorem et creaturam.

2. Quod creatur est creatura, quo creatur est creatio: ergo sunt duo: ergo etc.

3. Quod transit non est idem cum eo, quod permanet: sed permanet creatura, et actio creationis transit: ergo sunt tria.

4. Creatio est via ad ens: sed via supponit exitum et terminum: ergo etc.

4.

Mundus est aeternus, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Est aeternum, quod non habuit principium: sed materia non habuit principium: ergo etc.

2. Effectus est similis causae: ergo materia similis Deo: ergo aeterna; ergo etc.

3. A pulcherrimo non procedit tenebrosum, sicut a luce non procedit nox: ergo etc.

4. Artifex nequit producere quod non cognoscit, sed res cognoscitur per creationem, et cognitio est aeterna; ergo etc.

5. Creatio est accidens, accidens non est sine substantia, ergo si est creatio, est materia ingenita: ergo aeterna.

6. Posita causa, ponitur effectus; sed Deus ab aeterno est causa: ergo et effectus.

7. Deus est causa sufficiens: ergo etc.

8. Quod incipit agere exit in actum, exitus dicit motum in agente: ergo Deus mutatur: sed hoc falsum: ergo mundus est aeternus.

5.

Deus non creavit propter bonitatem, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Creatio est in hominis utilitatem: ergo etc.

2. Ille est finis principalior, quem efficiens magis intendit: sed Deus magis intendit hominis utilitatem, quam suam; ergo etc.

3. Ille finis potior, quem res condita magis appetit: sed creatura magis appetit sua utilitatem; ergo etc.

4. Deus erat tam bonus ante, quam post creationem; ergo etc.

5. Deus non agit frustra; ergo etc.

6.

Deus non potuit mundum facere meliorem, quoad substantiam partium integrantium, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus est optimus: ergo etc.

2. Deus optime operatur: ergo etc.

3. Substantia partium integrantium est optima: ergo etc.

4. Substantia vel est optima, vel non; si non, Deus est deficiens; si sic, habeo propositum; ergo etc.

7.

Deus non potuit mundum facere meliorem quoad proprietates partium integrantium, ergo etc.

P. 1 Optimi est optima operatio: sed optimo nil melius: ergo etc.

2. Aut Deus potuit facere optima, aut non, aut non voluit; potuit ergo fecit; non, ergo deficit: non voluit, ergo invidus; sed haec ultima sunt absurda: ergo stat primum: ergo etc.

3. Agens ex toto optime operatur; sed Deus ex toto agit: ergo optime: ergo etc.

4. Bonum est sui diffusivum, et magis bonum, est magis diffusivum, et optimum, optime diffusivum; sed talis est Deus; ergo etc.

8.

Deus potuit facere mundum meliorem quantum ad partium ordinem, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Ordo praesens est finitus; ergo etc.

2. Deus potuit melius mundum ordinare; ergo etc.

3. Melior est ordo, in quo nulla cadit inordinatio, quam in quo cadit: sed in universo sunt inordinata; ergo etc.

4. Quod propinquius est fini, melius est ordinatum: ergo omnia sunt coniuncta fini: ergo omnes salvantur; sed hoc non accidit; ergo etc.

5. Bonitas ordinis est ex bonitate partium; sed partium proprietates possunt esse meliores; ergo etc.

9.

Materia non est una in omnibus, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Materia angeli non est eadem hominis; ergo etc.

2. Quae dividuntur non sunt unius: sed materia hominis, ab angeli materia dividitur; ergo etc.

3. Angelus est ad lucem, materia corporum est ad tenebras; ergo etc.

4. Creatio non est ad esse, sed ad essentiam: ergo ubi variantur essentiae, variatur et materia; ergo etc.

5. Esse simpliciter unum in pluribus, est solius Dei; ergo hoc non competit materiae; ergo etc.

10.

In angelo nulla est materia, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Angelus est spiritus: ergo etc.

2. Materia dicit quantitatem; sed angelus non habet quantitatem: ergo nec materiam.

3. Materia est composita, angelus est simplex; ergo etc.

11.

In homine non est imago Dei, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Imago dicit similitudinem: sed nulla est similitudo inter Deum et hominem; ergo etc.

2. Imago dicit identitatem: sed nulla est identitas hominis cum Deo: ergo etc.

3. Imago dicit convenientiam: sed nulla est convenientia hominis cum Deo: ergo etc.

4. Imago dicit figuram: sed Deus non est figurabilis; ergo etc.

5. Homo est finitus, Deus infinitus; ergo etc.

12.

Corpus est inutile, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Est inutile quod nec Deo, nec homini iuvat; ergo etc.

2. Corpus est mutum: ergo non glorificat Deum; ergo etc.

3. Corpus est impedimentum homini ad bene speculandum; ergo etc.

13.

Diversitas morum causatur a plagis et locis;
ergo falsa tua thesis.

P. 1. Plaga lenis invitat, et attrahit ad voluptatem: ergo etc.

2. Asiatici sunt molles: ergo etc.

3. Ignobilia per nobiliora diriguntur: ergo etc.

4. Ni corpora influerent in animum, essent inutilia; sed Deus nihil agit frustra: ergo etc.

14.

Animalia non sunt propter hominem, ergo falsa tua thesis.

P. 1. Eo se habet finis, quo principium; sed principium animalium est Deus; ergo et finis; ergo propter Deum; ergo etc.

2. Animalia sunt ad esum et vestimentum: sed si homo stetisset, his non indiguisset: ergo aut frustra, aut non propter hominem; ergo etc.

3. Quod nocet, non est pro homine: sed animalia nonnulla nocent: ergo etc.

4. Quod dehonestat habitationem, non est ad ornamentum; sed bestiae dehonestant hominis habitationem: ergo etc.

15.

Nullus est Angelus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Angelus est fictio mentis: sed fictio non est realis: ergo etc.

2. Angelus est quid subiectivum: ergo non habet realitatem obiectivam: ergo etc.

3. Ratio ordinis est pure mentalis: ergo etc.

4. Angelum nemo vidit unquam: ergo etc.

5. Quod est inutile, non existit: ergo etc.

6. Est inutile quod redundat; sed Angeli redundant: ergo etc.

7. Sine Angelis, Deus ad hominem loquitur; ergo etc.

8. Deus est ubique praesens: ergo vana missio Angeli; ergo etc.

16.

Non est Angelus ad custodiam hominis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Cui nulla potest fieri violentia, nulla indiget custodia: sed homo non violentatur: ergo etc.

2. Quo paucioribus auxiliis, quis triumphat, eo gloriosior; ergo gloriosius est homini vincere diabulum per se; ergo carentia Angelorum auget gloriam hominis: ergo etc.

3. Maior est qui recumbit, quam qui ministrat: ergo homo maior Angelo: sed hoc absurdum: ergo etc.

4. Perfectus custos non indiget subalternis: sed Deus est perfectus custos: ergo superflua est custodia Angelorum.

17.

Stante homine, nullus fuisset Angelus ad eius custodiam deputatus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Angelus est custos propter defectum; sed in homine innocente nullus fuisset defectus; ergo etc.

2. Homo innocens aequiparatur Angelo: ergo ut Angelus, homo non indiget custodia: ergo etc.

3. Custodia dicit praesidentiam: sed anima humana solus Deus est maior: ergo etc.

18.

In mundo non est ordo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. In re ordinata nulla est deordinatio: sed in mundo sunt multae deordinationes: ergo etc.

2. In mundo sunt peccata; sed peccatum est deordinatio: ergo etc.

3. In mundo multa sunt casualia: sed casuale ordini repugnat: ergo etc.

4. In mundo sunt monstruosa; sed monstruosum repugnat: ergo etc.

5. In mundo sunt damnosa et inutilia: ergo etc.

19.

Miraculum non est possibile; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod repugnat, non est possibile; ergo etc.

2. Repugnat, quod legibus adversatur; ergo etc.

3. Repugnat, quod est contra sapientiam Dei; ergo etc

4. Qui mutat leges, dicit se errasse; ergo etc.

5. Leges naturae sunt fixae; ergo mutari nequeunt.

6. Quod Deus statuit, nequit mutari; ergo etc.

7. Mutatio legis dicit mutationem imperantis; ergo etc.

8. Leges sunt ad bonum commune; ergo etc.

20.

Deus non est sola causa miraculi; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Miraculum est id, quod contingit ultra facultatem, et spem admirantis; sed sunt plurima, quae nostra aetate evenerunt, ultra spem admirantis; ergo etc.

2. Phoenomena electrica, magnetica et optica, si accidissent, temporibus anteactis, fuissent ultra spem admirantium patrum; ergo etc.

3. Daemones possunt miracula patrare; ergo etc.

4. Daemones possunt novas rerum formas inducere; ergo etc.

5. Mesmeristae faciunt miracula; ergo etc.

6. Mesmeristae futura praedicunt, corpora movent, sine mediis, interna detegunt; ergo etc.

7. Malefici in Aegypto mutaverunt virgam in serpentem; ergo etc.

8. Nulla est religio, quae sua non iactet miracula, ergo etc.

9. Claudia vestalis, Esculapius, Apollonius Tianaeus, Eutichianus, Novatianus, Vespasianus fecerunt miracula; ergo Deus non est sola causa miraculi.

EXERCITIA
DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE SUPER ANTHROPOLOGIAM.

1.

Anima non est simplex; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Indivisibilitas non est argumentum simplicitatis animae; ergo etc.

2. Gravitas, vis motrix, et caetera huiusmodi sunt indivisibilia, et tamen sunt corpora; ergo etc.

3. Perceptio et perceptum sunt eiusdem naturae: sed perceptum est extensum; ergo extensa perceptio; ergo etc.

4. Quidquid recipitur, recipitur per modum recipientis: sed anima recipitur in corpore; ergo etc.

5. Anima non potest movere corpus ni tangat; sed tactus est corporum; ergo etc.

6. Spiritibus nihil resistit; sed plurima resistunt animae; ergo etc.

7. Anima subit corporis vices: iuvenescit enim et senescit; ergo sunt eiusdem naturae: ergo anima non est simplex.

2.

Animae hominum sunt una numero; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Una anima potest perficere diversa membra; ergo diversa corpora: ergo etc.

2. Plus assimilantur duorum hominum corpora, quam diversa membra: ergo etc.

3. Anima intellectiva est universalis, sive ad universalia; sed quod ad universalia, plùrima amplectit; ergo plura corpora.

4. Diversorum animae hominum idem intelligunt; ergo etc.

5. Officium animae est dirigere corpus; ergo, cum nihil sit otiosum, dissoluto corpore, anima aliud vivificat; ergo non individuatur: ergo est una.

3.

Anima non est tota in toto corpore; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Compresso vel putrefacto cerebro, sensationes deficiunt; ergo anima est in cerebro; ergo etc.

2. Anima est in corpore organico; sed omnis corporis pars non est organica: ergo anima est solum in organis; ergo etc.

3. Si anima esset tota in toto, crescente corpore, cresceret et ipsa, et, minuente corpore, minueret et ipsa; sed hoc est absurdum: ergo etc.

4. Quod est totum in uno, non est totum in altero; ergo si anima est in una parte, non est in alia; ergo etc.

4.

Anima creata est ante corpus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Corpus humanum non est nisi per animam; ergo anima fuit tempore prius, quam corpus; ergo etc.

2. Anima se habet ad corpus, sicut aevum ad tempus; sed aevum est prius tempore; ergo etc.

3. Absolutum est ante dependens; sed anima quoad corpus habet rationem absoluti; ergo est ante corpus.

4. Inter corpus et spiritum maior est distantia, quam inter corpora miscibilia; sed miscibilia separatim producuntur; ergo etc.

5. Tanto prius debet aliquid produci, quanto magis se appropinquat Deo; sed anima magis se appropinquat Deo, quam corpus; ergo etc.

5.

Anima rationalis est ex traduce; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Actus generandi est entis completi; sed homo est ens completum; ergo generat totum; ergo etc.

2. Ens completum est illud, quod potest generare sibi simile; sed talis est homo; ergo etc.

3. Forma naturalis habet potentiam se multiplicandi; ergo etc.

4. Vis generativa residet penes animam; ergo si caro est ex carne, multo fortius anima est ex traduce; ergo etc.

5. Perfectior generans est homo quam brutum; sed brutum generat tum quoad animam, tum quoad corpus; ergo etc.

6. Aut anima est per propagationem, aut per creationem; si per propagationem est ex traduce; si per creationem, sicut Deus adultero non dat gratiam in adulterio; sic nec animam per adulterium: sed hoc non accidit; ergo etc.

7. Nihil vivit, nisi per animam: sed semen est vivum; anima igitur est in semine.

6.

Anima sensitiva est a generante; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Anima belluina est a generante; ergo solus intellectus est a Deo.

2. Anima sensitiva pendet a corpore in vivendo; ergo et in nascendo.

3. Prius est animal, quam equus; ergo a pari prius est sensibilis, quam intellectualis; ergo etc.

4. Embryon prius nutritur, et sentitur, quam perficiatur anima rationali; ergo sensitiva prius est, quam intellectualis; ergo etc.

7.

Anima non est immortalis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Anima vivit cum corpore; ergo, dissoluto corpore, interit et anima.

2. Cessante fine entis, cessat ens; sed finis animae est informatio corporis: ergo etc.

3. Quod est ex nihilo, tendit in nihilum; sed anima est ex nihilo; ergo in nihilum tendit; ergo etc.

4. Si anima esset immortalis mors non esset timenda; sed homines timent mortem; ergo etc.

5. Virtus est sibi praemium, vitium sibi poena; ergo non indiget altera vita; ergo etc.

6. Desiderium vivendi non est argumentum ad immortalitatem, sicut desiderium divitiarum non est argumentum ad divitias; ergo etc.

7. Meritum humanum est finitum; ergo finitum et praemium; ergo etc.

8. Illud est possibile quod non repugnat; sed non repugnat quod animae adnihilentur post sufficiens praemium; ergo etc.

9. Culpa est finita; ergo et finita poena; ergo etc.

10. Misericordia Dei est infinita; ergo damnatis potest remittere peccata; ergo etc.

11. Voluntas damnati est libera; ergo se potest retrahere a peccato; ergo etc.

12. Poena inutilis est iniusta; sed poena aeterna est inutilis; ergo iniusta.

8.

Vera est doctrina vitalismi; ergo falsa tua thesis.

P. 1. In homine duplex est homo; ergo etc.

2. Dicitur communiter corpus humanum, anima humana; ergo etc.

3. Quae sibi adversantur non sunt eiusdem; sed rationale et sensitivum sibi adversantur; ergo etc.

4. Homo potest carere intelligentia, quin amittat vitam; ergo etc.

5. In cadavere animalis, et in nervis amputatis, etiam sine anima datur vita; ergo etc.

9.

Nulla est species sensibilis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Species sensibilis est immaterialis, res sensibilis materialis; sed materia nequit dare quod non habet; ergo etc.

2. Simile simili cognoscitur; ergo per species immateriales cognosci nequit materiale; ergo etc.

3. Corpus non agit in spiritum; ergo etc.

4. Corpus est materiale; ergo producere nequit speciem immaterialem; ergo etc.

10.

Nulla est species intelligibilis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Species intelligibilis est incorporea: phantasma est materiale; sed materia non dat intellectum; ergo etc.

2. Natura rei mutari nequit; ergo nec phantasma in speciem intelligibilem; ergo etc.

3. Particulare nequit dare universale; sed phantasma est particulare; ergo non potest dare universale; ergo nec species intelligibiles: ergo etc.

4. Intellectus priusquam sibi species efformet intelligibiles, aut cognoscit rem, aut non cognoscit; sed nequit cognoscere, esset enim cognitio ante cognitionem; ergo non cognoscit, quia intellectus non valet sibi effingere species, quas ignorat: ergo etc.

11.

Intelletus possibilis non differt ab agente;
ergo falsa tua thesis.

P. 1. In perpetuis non differt esse et posse; sed intellectus est perpetuus: ergo etc.

2. Perpetuitas dicit durationem; duratio dicit actum; ergo intellectus est actualis, non possibilis: ergo etc.

3. In imaginatione unus est actus; ergo est unus actus in intellectu; ergo etc.

4. Imaginatio est una: ergo etc.

5. Oculus cati suscipit speciem et facit: ergo pari ratione intellectus agens et possibilis: sed in cato est unus actus; ergo fortius unus intellectus in homine: ergo etc.

6. Intellectus possibilis aut intelligit, aut non. Si non, non est intellectus, si sic, est agens: ergo etc.

12.

In homine non est lumen intellectuale: ergo falsa tua thesis.

P. 1. Lumen intellectuale dicit actum; actus dicit Deum: ergo etc.

2. Actui secundo si est lumen commune, dicit in omnibus luminis aequalitatem; sed hoc contrarium est experientiae; ergo etc.

3. Lumen intellectuale aut est a se, aut ab alio; si est a se, est Deus; si ab alio, est compositum: ergo etc.

4. Lumen intellectuale dicit infallibilitatem; sed homo est fallibilis: ergo etc.

5. Lumen intellectuale dicit constantiam virtutis; sed in homine nulla est virtutis constantia; ergo etc.

6. Si omnibus inesset lumen intellectuale, nullae essent quaestiones; sed multae sunt inter homines quaestiones: ergo etc.

7. Uniformitas est in materialibus; ergo fortius in rationalibus; sed ita non evenit: ergo etc.

13.

Homini non est connaturale cognoscere:
ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod est connaturale non mutat: ergo etc.

2. Quod est connaturale non amittitur; sed aliquando lumen naturale amittitur: ergo etc.

3. Quod est connaturale semper est in verum; sed cognoscens aliquando est in falsum: ergo etc.

4. Quod est a natura semper agit; sed cognoscens aliquando cognoscit, aliquando non; ergo etc.

5. Cognoscere est vivere; sed vivere est a Deo; ergo a Deo est cognoscere; ergo homini non est connaturale cognoscere: ergo etc.

14.

Homo Deum intuitur: ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus est lux: sed lux non habetur nisi per intuitionem: ergo etc.

2. Verum non videtur nisi ubi est: sed verum non est nisi in Deo: ergo etc.

3. Intelligere lucere est: sed lux dicit intuitionem: ergo etc.

4. Sicut de sole exit unde sol videri possit; ita de Deo dicendum est; ergo a Deo est visio: ergo etc.

5. Scibile est necessarium; ergo divinum: ergo a Deo.

6. Omne iniudicabile est super iudicabile; sed lux, qua iudicamus, est iniudicabilis; ergo super iudicabile; ergo est Deus: ergo etc.

7. Omne infallibile est super fallibile; sed lux, qua cognoscimus, non fallit; ergo est Dei: ergo etc.

8. Sicut Deus est causa essendi, ita est ratio intelligendi; ergo nihil intelligi potest sine Deo; ergo etc.

9. Nullum defectivum cognoscitur nisi per perfectum: sed perfectus solus Deus: ergo per solum Deum cognoscitur; ergo etc.

10. Quo se habet affectus ad bonum, eo est intellectus ad verum; sed bonum est a Deo; ergo a Deo est intellectus; ergo a Deo intelligere: ergo etc.

15.

Intellectus et voluntas non differunt; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Intellectus est ad verum, voluntas ad bonum; sed verum et bonum convertuntur: ergo etc.

2. Intellectus speculativus fit per voluntatem practicus: ergo etc.

3. Extensio non variat potentiam; ergo sunt idem et unum potentia cognitiva et motiva: ergo etc.

4. Potentiae differunt per obiecta; sed obiectum voluntatis idem est ac intellectus: ergo non differunt.

5. Lumini et calori correspondent intellectus et voluntas; sed lumen et calor sunt unius potentiae: ergo unius potentiae intellectus et voluntas.

6. Optimum rei est unitas; sed anima est optima; ergo est una; ergo voluntas et intellectus non differunt.

16.

Voluntas est etiam brutorum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Voluntatis est eligere bonum, et fugere malum; sed bruta haec faciunt; ergo etc.

2. Animalia faciunt opposita: ergo etc.

3. Animalia refraenantur: ergo etc.

4. Animalia moventur a principio intrinseco: ergo etc.

5. Animalia quoad futurum sunt provvida: ergo etc.

6. Quaedam animalia sunt indomita; ergo etc.

17.

Voluntas non est libera; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod est liberum movetur a se; sed anima movetur a Deo: ergo etc.

2. Quod aliquis necessario vult, non est liberum; sed voluntas necessario vult bonum: ergo etc.

3. Qui vult finem, necessario vult media; sed voluntas necessario vult felicitatem; ergo et media: ergo etc.

4. Voluntas sequitur iudicium; sed iudicium est necessarium, sive ex necessitate: ergo etc.

5. Inter aequalia non datur electio: ergo etc.

18.

Liberum arbitrium non amplectit rationem et voluntatem; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Liberum arbitrium non cogitur, sed cogitur ratio; ergo liberum arbitrium rationem non amplectit.

2. Ratio est eorum, quae non sunt a nobis: liberum arbitrium est eorum, quae a nobis sunt; ergo in plus se extendit ratio, quam liberum arbitrium: ergo etc.

3. Voluntas appetit impermutabiliter, liberum arbitrium permutabiliter: ergo etc.

4. Voluntas est possibilium et impossibilium, liberum arbitrium possibilium: ergo etc.

5. Ex duabus potentiis nunquam fit una; sed ratio et voluntas sunt duae potentiae; ergo ex his non fit una: ergo etc.

19.

Liberum arbitrium non est necessariorum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Liberum arbitrium est ad futura; sed futura sunt contingentia: ergo etc.

2. Liberum arbitrium dicit consilium; sed consilium non est in necessariis: ergo etc.

3. Liberum arbitrium dicit indifferentiam ad faciendum, vel non: ergo dicit contingens.

4. Necessarium et voluntarium opponuntur; ergo in necessariis nequit esse liberum arbitrium.

20.

Liberum arbitrium, secundum quod liberum, est in malum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. De nullo quis vituperatur aut laudatur, nisi de illo quod est a libero arbitrio: sed homo laudatur virtutem adhibens, et vituperatur peccans; ergo peccatum est a libero arbitrio: ergo etc.

2. Liberi arbitrii est eligere: electio est in bonum vel malum; bonum est a ratione; ergo malum a libero arbitrio ut libero: ergo etc.

3. Potestas rationalis est ad opposita; sed liberum arbitrium est potestas rationalis; ergo ad opposita, ergo ad bonum et malum: ergo etc.

4. Liberum arbitrium potest facere malum, aut a se, aut ab alio; ab alio non, non enim esset liberum; ergo a se ipso: ergo etc.

21.

Homo ab intrinseco cogi potest; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Homo potest violentari: ergo etc.

2. Maior virtus potest in minorem; sed maior est virtus angelica, quam humana: ergo etc.

3. Virtus potest privari actu: ergo etc.

4. Sicut se habet intellectus ad verum, ita se habet affectus ad bonum; sed intellectus compellitur ad verum; ergo et liberum arbitrium ab bonum.

5. Causa inducens iterata parit necessitatem; ergo liberum arbitrium ab habitu necessitatur: ergo etc.

22.

Liberum arbitrium cogitur a Deo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Causa prima potest cogere secundam: ergo etc.

2. Causa prima est omnipotens; ergo omnia potest: ergo etc.

3. Homo potest cogere brutum; ergo fortius Deus potest cogere liberum arbitrium.

23.

Deus rebus praescitis necessitatem imponit; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quae praescivit Deus, necesse est futura esse: ergo etc.

2. Quod Deus praescit, est verum: ergo etc.

3. Quod Deus praescivit, aut evenire debet, aut non; si non, fallit Deus; si sic, necessitatur homo; ergo etc.

4. Omne aeternum est necessarium: sed Deus est aeternus; ergo necessario scit: ergo etc.

5. Omne immutabile est necessarium: sed Deus est immutabilis; ergo etc.

24.

Deus debuit facere hominem impeccabilem; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Optimi est optima adducere; sed melior est natura quae non possit, quam quae possit peccare: ergo etc.

2. Summae liberalitatis est dona velociter dare: ergo, cum Deus fecit hominem, debuit ei dare dona, ut non peccaret; ergo etc.

3. Maioris sapientiae est, scire mala praecavere, quam remedium exhibere post facta: ergo etc.

4. Divinae potentiae dignior est operatio subita, quam successiva; ergo subito etc.

25.

Deus non debuit permittere hominem impugnari; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Qui permittit malum, male agit; sed Deus bene agit: ergo etc.

2. Malus pastor est, qui permittit ovem morderi a lupo; ergo etc.

3. Iniustum est, constituere bellum inter partes inaequales: ergo etc.

26.

Deus potuit homini dare liberum arbitrium ad malum inflexibile; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Sicut Deus potuit dare lucem immunem a tenebris, ita potuit dare intellectum et voluntatem immunem a peccato; ergo etc.

2. Optimi est optima dare; sed optimum est liberum arbitrium ad malum inflexibile: ergo etc.

3. Melius est non permittere peccata, quam permittere; ergo melius est liberum arbitrium inflexibile, quam flexibile ad malum: ergo etc.

27.

Peccatum originale adversatur rationi; ergo non est philosophice admittendum.

P. 1. Quod repugnat Deo, indignum est rationis: ergo etc.

2. Peccatum originale pugnat cum sapientia, potentia, et bonitate Dei: ergo etc.

3. Summe sapiens non facit opus imperfectum: ergo etc.

4. Summe potens defendit atrium suum: ergo etc.

5. Summe bonus omnia communicat, ut effectus non deficiat; ergo etc.

6. Naturae lapsae nullus est testis, nisi revelatio; ergo sola revelatione nititur peccatum originale: ergo etc.

EXERCITIA

DISPUTATIONIS SCHOLASTICAE SUPER THEOLOGIAM NATURALEM.

1.

Deus non est cognoscibilis per creaturas; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Via ad errorem non est via ad cognitionem; sed cognitio per creaturas, est via ad errorem; ergo etc.

2 Via tenebrosa non est via ad lumen cognoscendum; sed creatura est tenebrosa; ergo etc.

3. Medium, per quod aliquid cognoscitur, debet communicari in aliquo, cum eo quod cognoscendum est; sed creatura et Creator nihil habent commune; ergo etc.

4. Medium, per quod ascenditur ad extremum, distat ab illo, gradibus finitis; sed omnis creatura infinite distat a Deo; ergo etc.

2.

Deus per creaturas non cognoscitur in omni statu; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Cognitio per vestigium est cognitio per medium; mens formatur a veritate ipsa; veritas est Deus: ergo mens non indiget creaturis ad Deum cognoscendum: ergo etc.

2. Rectum non est, quod propinquius perveniat in finem per medium magis distans; sed homo in statu primo, propinquior Deo erat caeteris creaturis; ergo etc.

3.

Deus non est nominabilis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Dei non est nomen, neque verbum, neque ratio, neque phantasia; ergo etc.

2. Prima causa omni superior est enarratione; ergo etc.

3. Nomen habet proportionem ad nominatum; sed inter finitum et infinitum non est proportio; ergo Deus etc.

4. Nomen a forma imponitur; sed Deus formam non habet; ergo etc.

5. Omne nomen significat substantiam cum qualitate, et quantitate; sed in Deo non est qualitas, nec quantitas; ergo etc.

4.

Athei positivi existunt; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Multi dicunt Deum non esse: ergo etc.

2. Omnis idolorum cultor, dicit alium Deum non esse, nisi

idolum, et hoc credit, et cogitat; sed idolum non est Deus: ergo etc.

3. Illud, quod facile nos latet, de facili cogitari potest, non esse; sed veritas divini esse, est inaccessibilis; ergo potest cogitari non esse: ergo etc.

4. Quod contingit exprimere, contingit cogitare; sed contingit exprimere divinum esse non esse; ergo et cogitare: ergo etc.

5. Quod nihil ponit, nihil infert; sed qui negat Deum, nihil ponit; ergo nihil infert: ergo etc.

5.

Deus non existit; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Nulla est proportio inter Deum, et creaturas: ergo etc.

2. Eorum, quae sunt relativa, eadem ratio est; atqui inter Deum et creaturas non est relatio; ergo non est eadem ratio; ergo ex contingenti non infertur necessarium: ergo etc.

3. Effectus finitus est a causa finita; ergo a mundo, Dei existentia non colligitur: ergo etc.

4. A distributivo ad collectivum non datur illatio; ergo quod unum non potest, possunt plura; ergo plura simul possunt producere, quod non unum: ergo etc.

5. Series contingentium infinita, existere potest sine necessario: ergo etc.

6. Sensus communis est testis hominum; sed homines sunt fallaces; ergo nequeunt dare Dei existentiam: ergo etc.

7. Omnia sunt merum somnium: ergo etc.

53.

D. Bonaventura falso ontologismo favet; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Doctrinis Bonaventurae innituntur ontologi: ergo etc.

2. D. Bonaventura dixit, Deum esse primam veritatem menti claram: ergo etc.

3. D. Bonaventura dixit, Deum primum ab homine videri: ergo etc.

4. D. Bonaventura dixit, sine Deo nihil hominem videre posse: ergo etc.

7.

Deus est in genere determinato; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod distinguitur ab aliis, determinatur; sed Deus distinguitur ab aliis: ergo etc.

2. Quod habet aliis aliquid superius, est determinatum; sed Deus est super omnia: ergo etc.

3. Omne quod est in creatura, est in Deo; sed in creatura est distinctio, et determinatio: ergo etc.

8.

Deus non est unus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Plus Deus potest facere, quam intellectus cogitare; sed intellectus intelligit plures deos; ergo Deus plures potest facere deos; ergo etc.

2. Plura bona sunt meliora paucioribus; sed plures dii sunt plura bona; ergo melius plures, quam unus; ergo etc.

3. Magna potentia est, quae potest magnum; maior quae maius, maxima quae maximum; sed Deus est summe potens; ergo potest producere summum bonum; sed summum bonum est Deus; ergo, cum in aeternis idem sit esse et posse, Deus plures deos potest facere; ergo etc.

9.

Duo principia sunt in mundo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Oppositorum, oppositae sunt causae; sed spiritus et corpus opponuntur; ergo habent diversam causam; ergo etc.

2. Quod est, principium habet; sed in mundo est malum; ergo habet principium. Hoc principium non est bonum; ergo malum; ergo etc.

3. In mundo est corruptio; corruptio dicit causam: causa est mala; ergo etc.

4. Bonum non est nisi a bono, malum non nisi a malo; ergo etc.

10.

Deus non est simplex; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod constat pluribus non est simplex; sed Deus constat pluribus; ergo etc.

2. In Deo sunt tres personae; ergo constat pluribus; ergo etc.

3. In Deo sunt plura attributa; ergo etc.

4. Numerus dicit compositionem; ergo etc.

11.

Deus est mutabilis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Nemo dat quod non habet; sed Deus omnibus dat motum; ergo etc.

2. Omne quod nunc est aliquid, quod non fuit prius, est mutatum; sed Deus non fuit semper Creator; ergo etc.

3. Qui de non agente fit agens mutatur; sed Deus de non creante factus est creans; ergo etc.

4. Deus fuit, de non creante, creans; ergo mutatio est ad intra; ergo etc.

5. Voluntas divina est causa prima et immediata rerum: sed posita tali causa, ponitur effectus; ergo si ab aeterno voluit, mundus est aeternus: sed hoc absurdum; ergo Deus est mutabilis.

12.

Deus non est immensus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Immensitas dicit ubiquitatem; ubiquitas dicit localitatem: localitas inconvenientiam; sed in Deo non est inconvenientia; ergo etc.

2. Quo quid simplicius, eo impermixtius; sed Deus est simplicissimus; ergo impermixtus; ergo non est ubique; ergo etc.

3. Quod a rebus summe distat, non est in rebus; sed Deus summe distat a rebus; ergo non est in rebus: ergo etc.

4. Quo aliquid est unitum, minus est diffusivum; ergo etc.

5. Est agentis nobilissimi agere ubi non est: sed Deus est agens nobilissimus; ergo etc.

13.

Deus non cognoscit alia a se; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Intelligibile est perfectio intellectus; ergo si Deus intelligit aliud a se, intellectus eius perficitur; sed hoc pugnat; ergo non etc.

2. Cognoscere est videre aliquid extra se; sed haec cognitio dicit defectum: defectus non est in Deo; ergo etc.

3. Ratio cognoscendi est veritas; sed veritas est Deus; ergo se ipsum solum cognoscit; ergo etc.

4. Ratio cognoscendi est assimilatio; sed nihil assimilatur Deo; ergo se solum cognoscit, non alia; ergo etc.

5. Sicut Deus non facit omne quod potest fieri, sic non omne cognoscit, quod potest cognosci; ergo etc.

14.

Deus non potest plura scire; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Scientia Dei est infinitorum; ergo etc.

2. Deus scit complexum et incomplexum; ergo etc.

3. Deus non cognoscit successive; ergo etc.

4. Si Deus plura potest scire, in Deo est augmentum; sed hoc absurdum; ergo etc.

15.

Deus eadem cognitione non cognoscit se, et alia a se; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Cognitio dicit ideam: idea dicit modum: modus alius est in Creatore, alius in creatura; ergo diversificantur; ergo etc.

2. In Deo idem est cognoscens, cognitum, et ratio cognoscendi; sed in cognitione, qua cognoscit creaturas, hoc non est; ergo etc.

3. Inter Creatorem et creaturam nihil est commune ratione essendi; ergo nec cognoscendi; ergo etc.

16.

Deus mutabilia mutabiliter cognoscit; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Res cognoscuntur ut sunt; sed res sunt mutabiles; ergo etc.

2. Scibile et scientia habent proportionem; ergo etc.

3. Quidquid scitur, est verum; ergo si cognoscitur mutabile, mutabiliter cognoscitur; ergo etc.

4. Res sunt contingentes; ergo contingenter cognoscuntur; ergo etc.

17.

Deus non cognoscit omnia praesenter; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus est praescius futuri; sed futurum non est praesens; ergo etc.

2. In praescientia duo sunt: scientia et antecessio respectu cogniti; aut ergo non est praescientia in Deo, aut non cognoscit omnia praesenter; ergo etc.

3. Omne praesens secundum praesentialitatem est necessarium; ergo Deus cognoscit necessarie; ergo necesse est esse; ergo contingens necessarium; sed hoc absurdum; ergo etc.

4. Si Deus cognoscit omnia praesenter; ergo plura simul; ergo se convertit ad multa; ergo non est simplex; sed hoc absurdum; ergo etc.

5. Si Deus omnia cognoscit praesenter, ergo scit opposita: quidquid autem scitur est verum; ergo duo contraria opposita sunt vera; sed hoc pugnat; ergo etc.

18.

Scientia Dei est causa omnium rerum, etiam respectu mali; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Res futurae sunt, quia Deus eas novit; ergo etc.

2. Omne quod antecedit aliud, et ipso posito, ponitur aliud,

ipsum est causa illius; sed divina scientia omne antecedit; ergo etc.

3. Nihil est, nisi Deo operante; ergo etc.

4. Omne quod scitur, est in sciente, ut in causa; sed Deus scit omnia; ergo etc.

19.

Deus non potest in omne aliud a se; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Agens in aliud egreditur a se; sed egressio dicit motum: motus imperfectionem; in Deo non est imperfectio; ergo etc.

2. Omne quod agit in aliud, dependet ab illo: sed Deus est independens; ergo etc.

3. In Deo idem est posse et esse: sed Deus non est aliud a se; ergo non potest in aliud a se.

20.

Deus non est omnipotens; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus non potest pati; ergo etc.

2. Deus non potest peccare; ergo etc.

3. Deus nihil potest recipere; ergo etc.

4. Deus non potest in effectum actu infinitum; ergo etc.

21.

In Deo non est voluntas; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Voluntas est motus animae; sed in Deo non est motus; ergo etc.

2. Voluntas dicit fugam a malo, et amorem ad bonum; sed in Deo non est fuga; ergo etc.

3. Voluntas dicit vertibilitatem; ergo etc.

4. Voluntas dicit contingentiam; ergo etc.

22.

Deus est omnivolens; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quia omnia potest Deus, dicitur omnipotens; ergo debet dici omnivolens.

2. Ut se habet cognitiva ad verum, ita affectiva ad bonum; ergo etc.

3. Sicut Deus dicitur verum omnis veri, ita bonum omnis boni; ergo etc.

4. Optima voluntas se extendit ad omnia; sed Deus est optima voluntas; ergo etc.

23.

Deus non est causa immediata rerum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Unius est una causa immediata; ergo si Deus est immediata, nullum ens habet aliam causam quam Deum, ideoque cessat omnis operatio creaturae; sed hoc abnorme; ergo etc.

2. Si divina voluntas est causa proxima et immediata rerum, posita causa ponitur effectus; ergo cum divina voluntas sit ab aeterno, ab aeterno sunt omnia; sed hoc falsum; ergo etc.

3. Quod habet causam proximam immediatam et necessariam est demonstrabile; ergo sunt omnia demonstrabilia; ergo nulla mysteria; sed hoc non est; ergo etc.

4. Cognita causa proxima, non est ultra quaerere; ergo sunt vanae scientiae; sed hoc absurdum; ergo etc.

24.

Omnis actio non est a Deo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Aliqua actio est prohibita; ergo etc.

2. In aliqua actione est peccatum; ergo etc.

3. Actio substrata peccato, non est simpliciter bona; ergo etc.

4. Si Deus cooperatur in libero arbitrio, luxuriatur cum adultero, furatur cum latrone; sed hoc abnorme; ergo etc.

25.

Actio iniusta est a Deo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod est causa alicuius per sui praesentiam, per absentiam est causa oppositi; sed Deus per praesentiam est causa boni; ergo per absentiam mali; ergo etc.

2. Qui currit cum fure furatur; sed Deus est causa, ut fur currat; ergo cum fure furatur; ergo etc.

3. Qui est in peccato, est ab actione Dei; ergo etc.

4. Deliberatum est a Deo; ergo etc.

26.

Actio fortuita secundum quod fortuita, est a Deo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Omnis actio est a Deo; sed fortuitum est actio; ergo etc.

2. Sicut ens est a Deo, ita accidens; sed accidens est ens fortuitum; ergo etc.

3. Quae uniuntur in opere, sunt a summe summo; sed Deus solum est summe summus; ergo a Deo est accidens; ergo etc.

4. Sicut causa per se est a Deo, sic causa per accidens; ergo etc.

27.

Conservatio omnis rei non est a Deo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Verbum Dei est potestate plenum; ergo quod agit bene agit: quod bene actum, a se servatur; ergo etc.

2. In Deo dicere est facere; ergo Deus rebus dedit virtutem conservationis; ergo etc.

3. Conservatio creaturae est successiva: sed in Deo non est successio; ergo etc.

4. Facere opus stabile est agentis creati; ergo fortius Dei; ergo etc.

5. Idem est principium essendi et conservandi; sed forma dat sufficienter esse unicuique rei; ergo conservatio Dei vana est; ergo etc.

6. Si omnis res conservaretur a Deo, nunquam deficeret; sed hoc non accidit; ergo etc.

7. Creatura sibi relicta, aut conservatur, aut non: si conservatur, habeo propositum; si non, aut hoc est actione propria, aut aliena: actione propria non; quia natura desiderat quod melius est: non actione aliena, quia nulla creatura potest aliquid redigere in nihilum; ergo etc.

28.

In Deo non est provvidentia; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Provvidentia est directio rerum in finem; sed multa finem non obtinent; ergo etc.

2. Multi inter homines damnantur; damnatio est aberratio a fine; ergo etc.

3. Disparitas in aequalibus parvam dicit curam in rectore; sed ita est in mundo; ergo etc.

4. Divinae maiestati non convenit ad viliora descendere; ergo etc.

5. Boni opprimuntur, mali exaltantur; ergo etc.

6. Ubi est cura hominis, ibi evanescit cura Dei; sed homini est cura sui et suorum; ergo etc.

7. Omnes fatigantur, quasi nulla esset provvidentia; ergo sensus communis eam excludit; ergo etc.

29.

Deus non potest permittere mala; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Consentire est facere, cum possis malum impedire; ergo etc.

2. Cohibere a peccato pertinet ad rectorem humanum; ergo multo fortius ad divinum; ergo etc.

3. Zelus obviat peccato; ergo etc.

4. Deus est summa misericordia, et summa veritas; ergo etc.

EXERCITIA

ARGUMENTATIONIS SCOLASTICAE SUPER ETHICAM.

1.

Omne agens non est ad finem; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Omne medium agit; sed multa sunt media; ergo etc.

2. Media sunt multa, quae finem non tangunt; ergo etc.

3. In mundo sunt deordinationes; sed deordinationes sunt aberrationes a fine; ergo etc.

4. Finis est extremum rei; sed pauci tangunt extrema; ergo etc.

5. Finis omnium est unitas; ergo si omne agens, agit in finem, tendit ad unum; sed hoc non est; ergo etc.

2.

Omne agens non est ad bonum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Multi agunt inconvenientier; ergo etc.

2. Omnis actio est ex intentione; sed multae intentiones sunt malae; ergo etc.

3. Inter malum et bonum per se, est summa distantia; ergo omne agens male, ad malum tendit; ergo etc.

3.

Homo non est ad bonum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Homo tendit in malum; ergo etc.

2. Malum est in oppositum finis; sed multi sunt qui se directe opponunt fini; ergo etc.

3. Si homo esset ad bonum, semper esset felix: sed felicitas non est in terra; ergo etc.

4. Multi in voluptate constituunt operationis finem; sed haec est inversio: inversio est mala; ergo etc.

4.

Deus non est obiectum humanae felicitatis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Felicitas obiectiva debet homini proportionari; sed inter Deum et hominem nulla est proportio; ergo etc.

2. Felicitas obiectiva debet esse visibilis; sed Deus non videtur; ergo etc.

3. Felicitas obiectiva debet esse realis; sed Deus realiter non videtur; ergo etc.

4. Felicitas obiectiva compositi, debet esse composita; sed Deus est simplex; ergo etc.

5. Homo est ens completum; sed completum bono alieno non indiget; ergo etc.

6. Si obiectum humanae felicitatis esset bonum infinitum, homo libertate careret; ergo non peccaret; sed hoc non est; ergo etc.

5.

Nullus actus est intrinsece bonus vel malus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Actus est ex agente; agens ex lege; lex ex fine; finis ex homine; homo contingens; ergo etc.

2. Actus est bonus si convenit legi, malus si dissentit; ergo a lege est bonitas actus; ergo etc.

3. Leges sunt a voluntate legislatoris; ergo a voluntate legislatoris est bonitas actus; ergo etc.

4. Actus morales sunt contingentes; ergo per se non sunt nec boni, nec mali; ergo etc.

5. Si essent actus intrinsece boni vel mali, aequalitas operationum omnibus inesset; sed hoc non est; ergo etc.

6. Deus potuit diverse ordinare mundum; ergo potuit facere quod malum esset bonum, et bonum malum; ergo etc.

6.

Opus bona intentione factum semper est bonum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Affectus operi tuo nomen dat; ergo etc.

2. Arbor bona facit semper fructum bonum: ergo intentio, in arbore bona figurata, facit semper fructum bonum; ergo etc.

3. Voluntas est mala ex mala intentione: ergo bona est ex bona; ergo etc.

4. Bonum depravari potest ex mala intentione: ergo potest rectificari malum a bona; ergo etc.

5. Bonum non dat nisi bonum; ergo intentio bona non dat nisi bonum; ergo etc.

6. Qui facit malum praeter intentionem, non est culpabilis; ergo si privatio intentionis non facit malum, intentionis rectificatio facit bonum; ergo etc.

7.

Ad vitam aeternam sufficit intentio bona, sine operibus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Intentio sufficit ad meritum; ergo etc.

2. Mereri vitam aeternam, est in potestate nostra; sed opera exteriora non sunt in nostra potestate; ergo etc.

3. Intentio et voluntas non pendent ex opere; ergo, opere non existente, potest esse bonitas; ergo etc.

8.

Lex naturalis non existit; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod idem non est apud omnes, non est naturale; sed apud omnes lex non est eadem; ergo etc.

2. Alia fuit lex Lacedaemonum, alia Graecorum, alia Romanorum; ergo etc.

3. Sunt populi, qui bonum a malo non secernunt; ergo etc.

4. Quod est naturale, clare docet; ergo si omnibus inesset lex naturalis, iura omnia et officia essent clara; sed hoc non est; ergo etc.

5. Multa sunt perplexa in casibus moralibus: aut ergo lex naturalis est obscura, aut silet: si obscura non ducit, si silet inutilis; sed in natura nihil est inutile; ergo etc.

6. Ubi est lex naturalis, vanae sunt leges humanae: sed in mundo sunt leges humanae; ergo etc.

7. Lex naturalis omnibus aequaliter imperat; ergo omnes operationes aequales; sed hoc non accidit; ergo etc.

9.

Lex naturalis est mutabilis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Mutare legem idem est ac dispensare; sed Deus aliquando cum homine dispensavit; ergo etc.

2. Deus imperavit Abraham ut occideret filium; sed occidere filium est contra naturam; ergo etc.

3. Furtum est contra naturam; sed Deus permisit Haebreis furtum in Aegyptios; ergo etc.

4. Si lex naturalis esset immutabilis, Deus esset dependens a lege; sed hoc absurdum; ergo etc.

10.

Conscientia non est actus innatus, sed acquisitus; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Conscientia est tabula rasa, in qua nihil depictum est; ergo etc.

2. Conscientia sequitur cognitionem; sed cognitio est a sensibus; ergo a sensibus conscientia; ergo etc.

3. Non est cognitio de complexo, nisi habeatur cognitio de incomplexo; ergo etc.

4. Scientia speculandorum non est innata; ergo nec scientia agendorum, quae difficilior est; ergo etc.

5. Habitus naturales insunt semper, omni, et inseparabiliter naturam comitantur; sed conscientia non est eadem omni, nec semper, nec inseparabiliter; ergo etc.

11.

Synderesis extingui potest; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Homo potest privari ratione; ergo et synderesi.

2. Homo fit stupidus per peccatum; ergo etc.

3. Haeretici pro errore suo sustinent mortem, sine conscientiae remorsu; ergo sine synderesi; ergo etc.

4. Fomes se habet per oppositum ad synderesim; sed fomes extingui potest, ut in beata Virgine; ergo et synderesis; ergo etc.

12.

Suicidium licitum est; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Licitum est quod fortis est animi; sed se ipsum occidere est fortis animi; ergo etc.

2. Quod nobis malum, et nemini bonum, licet abiicere; sed vita aliquando nobis est malum, nemini bonum; ergo etc.

3. Homo doloribus affectus sibi est malum, et aliis non est bonum; ergo etc.

4. Onus intollerabile abiicere licet; sed vita aliquando est onus intollerabile; ergo etc.

5. Omnes vitam habent ut beneficium; ergo si evadit maleficium extingui potest; ergo etc.

6. Licita sunt remedia extrema in malis extremis; mors autem est remedium extremum in extremis malis; ergo etc.

7. Membrum amputare licet, pro salute totius corporis; ergo etc.

8. Mortem sibi inferre licet pro patria; ergo suicidium per se non est prohibitum; ergo etc.

9. Quod potest superior in iure vitae, potest inferior; sed superior mortem infert; ergo potest et inferior; ergo etc.

10. Dare novam formam materiae non est malum; sed in morte nihil aliud fit nisi nova forma materiae; ergo etc.

11. Samson, Eleazarus, et Apollonia sibi mortem intulerunt, et a Sanctis laudantur; ergo etc.

13.

Duellum non est malum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Non est malum, quod ordinem reparat; sed duellum ordinem reparat; ergo etc.

2. Poena est reparatio mali; sed duellum reparat iniuriam; ergo etc.

3. Pro vita defendenda licet homini hominem occidere; ergo et pro honore; ergo etc.

4. Honor melior est, quam vita; ergo etc.

5. Nemo tenetur famae iacturam pati; sed qui recusat duellum, iacturam famae patitur; ergo etc.

14.

Deus ab homine nullum exigit cultum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus non indiget creaturis; ergo etc.

2. Deus est sibi sufficiens; ergo etc.

3. Deus nequit exigere indigna; sed cultus hominis Deo indignus est; ergo etc.

4. Quod est finitum, non est dignum infinito; sed cultus hominis internus est ab ente finito; ergo non est dignus infiniti, sive Dei; ergo etc.

15.

Deus non exigit cultum externum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Deus cor intuetur; ergo etc.

2. Deus adorandus est spiritu et veritate; ergo etc.

3. Deus omnia cognoscit et scrutatur; ergo etc.

4. Quod varium est, et non uniforme, non est in natura; sed cultus externus cum populis variat; ergo etc.

16.

Inimici non sunt diligendi; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Diligere inimicos est perfectorum; sed ad perfectionem non omnes tenentur; ergo etc.

2. Diligere inimicum est miraculum; sed homo miracula patrare nequit; ergo etc.

3. Agere contra naturam est malum; sed diligere inimicum est contra naturam; ergo etc.

4. Creatura tam sensibilis, quam rationalis odit adversantem; ergo etc.

5. Amicis est benefaciendum; ergo inimicis malefaciendum: ergo etc.

6. Oppositum est contra oppositum; ergo etc.

17.

Homini non est ius proprietatis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Omnia in natura sunt communia; ergo etc.

2. Homines sunt aequales; ergo aequaliter debent possidere; ergo etc.

3. Indigenti est providendum; sed iure proprietatis hoc effici nequit; ergo etc.

4. Ius proprietatis dicit dominium; sed dominium est solius Dei; ergo etc.

5. Leges civiles dominium transferunt; ergo dominium non est a natura; ergo etc.

6. Ecclesia, societas divina, expoliatur; ergo fortius divites expoliandi sunt; ergo etc.

18.

Matrimonium non est bonum; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod, sua vi, non trahit, non est bonum; sed matrimonium, sua vi, non trahit; ergo etc.

2. Quod fieri publice non licet, non est bonum; sed matrimonium fieri pubblice non licet; ergo etc.

3. Quod sana mens erubescit est malum; sed sana mens erubescit statum coniugale; ergo etc.

19.

Matrimonium non est a Deo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Matrimonium est ab homine; ergo etc.

2. Os ex ossibus meis, caro ex carne mea: haec verba prolata sunt ab Adam, non a Deo; ergo etc.

3. Crescite et multiplicamini dictum est tam bestiis, quam hominibus; ergo etc.

4. Matrimonium contrahitur per consensum humanum; ergo etc.

20.

Consanguinitas et propinquitas non impedit matrimonium; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Omne animal diligit sibi simile; ergo quanto aliquae personae sunt coniunctae, tanto magis, natae sunt invicem copulari; ergo etc.

2. Firmiori vinculo coniunguntur, qui natura et voluntate alligantur, quam qui voluntate solum; ergo etc.

3. Solatium inter consanguineos et propinquos, magis est durabile, quam inter extraneos; ergo etc.

21.

Homo naturaliter non est socialis; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Quod adversatur iuri naturae non est naturale; sed societas adversatur iuri naturae; ergo etc.

2. Quod parit inaequalitatem adversatur iuri naturae; sed societas parit inaequalitatem; ergo etc.

3. Homines sunt aequales natura; ergo inaequalitas, iuri naturae pugnat; ergo etc.

4. Ex societate oriuntur tyranni et egentes; sed tyranni et egentes obstant iuri naturae; ergo etc.

5. Illud felicitati adversatur, quod cupiditatibus favet; sed societas favet cupiditatibus; ergo etc.

6. Illud felicitati obstat, quod hominem malum efficit; sed societas hominem reddit malum; ergo etc.

7. Si homo est natura socialis, deserendo societatem peccat; sed hoc sanctis esset iniuriosum; ergo etc.

8. Homo natus est ad felicitatem; societas autem felicitati humanae adversatur; ergo etc.

22.

Auctoritas non est a Deo; ergo falsa tua thesis.

P. 1. Auctoritas est factum humanum; ergo etc.

2. Auctoritas est virga furoris; virga furoris est in poena; poena est in culpa; culpa non est a Deo; ergo etc.

3. Auctoritas est in bonum; ergo auctoritas quae non est in bonum, non est a Deo; ergo etc.

4. Bona auctoritas est petenda a Deo; ergo etc.

5. Auctoritas a Deo, nunquam fallit; sed auctoritates civiles errant; ergo etc.

6. Auctoritas a Deo nunquam deponitur; sed auctoritates civiles aliquando deponuntur; ergo etc.

7. Si auctoritas esset a Deo, auctoritatis forma non esset inaequalis; sed auctoritatis forma est varia; ergo etc.

Visto per la stampa

Genova, 12 Luglio 1881.

Can. E. Bonino per deleg.

Visto — se ne permette la stampa

Genova, 13 Luglio 1881.

Michele C. Colla *Vic. Gen.*

INDEX

SECUNDA PARS LOGICAE.

LOGICA CRITICA.

SECUNDA PARS PHILOSOPHIAE

DE VERITATE RERUM.

METAPHYSICA.

METAPHYSICA GENERALIS.

METAPHYSICA SPECIALIS.

COSMOLOGIA.

ANTHROPOLOGIA.

THEOLOGIA NATURALIS.

TERTIA PARS PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE
DE VERITATE MORUM.

ETHICA.

APPENDIX.

Pag.	Linea	Errata	Corrige.
57	28	qui	quod
62	19	chi	che
96	14	intrinseca	extrinseca
100	3	ens	est
101	20	insensibiia	insensibilia
107	26	differentiam	differentia
111	(in citat.)		part. 2.
119	25	quæritur	queritur
119	26	implumis	implumes
122	21	vieni	vien'
127	8	detestabile	delectabile
128	7	ch 'l	ch' al
129	25	simul	semel
130	5	haec	hae
131	20	unde	ideo
131	18	manu	manus
131	10	Boethius	Boetius
136	18	explanare	explanari
150	31	limitari	limitare
158	20	Deo	Deum
160	(in citat.)	50	40
173	9	Alpis	Alpibus
179	14	appigit	appingit
270	27	pertinet	pertinent
317	4	mainu	main
334	8	muneris	numeris
367	13	Causin	Cousin
423	3	annuntiat	annuntiant